


UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 01646951 2
UNIV. OF
TORONTO
LIBRARY

PATRUM

NOVA BIBLIOTHECA.

NOVAE PATRUM BIBLIOTHECAE

TOMUS TERTIUS

CONTINENS

S. CYRILLI ALEXANDRINI COMMENTARIOS

IN IV. PAULI EPISTOLAS ET IN PSALMOS

CUM EIUSDEM CYRILLI ET ALIORUM PATRUM


FRAGMENTIS ALIQUOT MINORIBUS


EX VATICANIS PRAESERTIM CODICIBUS.

OMNIA

CUM LATINA EDITORIS INTERPRETATIONE

PROLOGIS ET ADNOTATIONIBUS.





ROMAE

TYPIS SACRI CONSILII PROPAGANDO CHRISTIANO NOMINI.

M.DCCC.XLV.

EDITORIS PRAEFATIO.

Cyrillus quaesitus in catenis T. vet.

1. Alterum hoc procedit anecdotorum S. Cyrilli alexandrini scriptorum volumen, cuius graecum textum ex codicibus hausimus, latinam vero interpretationem festinato studio publici usus gratia fecimus; et parco licet, sed tamen rei praesertim dogmaticae idoneo adnotationum comitatu stipavimus. Nostrae igitur ob vestigandum Cyrillum curae ad ineditas Patrum catenas praecipue respexerunt. Sed in manuscriptis quidem ad octoteuchum et historicos ss. bibliorum libros commentariis, Cyrillum quaerendum vix putavimus; quia praeter quam quod ad pentateuchum glaphyra Cyrilli edita extant, copiosa insuper vulgata fuit superiore saeculo lipsiensibus typis Patrum catena, quae Cyrillum quoque, perinde ut est in vaticanis catenis, continet. Attamen ad libros regum egregiam planeque diversam Patrum catenam Venetiis nos in Bessarionis Cardinalis codice non observavimus solum, verum etiam quicquid erat Cyrilli ineditum manu nostra inde exscripsimus, atque hoc volumine inclusimus. Ad Iobum scripsisse Cyrillum constat; ceteroqui in vaticanis codicibus nihil praeter illam, quam Iunius edidit, catenam reperi; sed tamen praestantissimi codicis, quadratis litteris vetustissimis scripti, in quo cum aliis patribus Cyrillus quoque citatur, specimen aere cusum exhibui. De Cyrilli peramplis in psalmos commentariis infra dicam. Ad Proverbia vix unum comperi Cyrilli fragmentum; nihil autem ad Ecclesiasten. Ad duodecim minores prophetas Cyrilli curae aetatem tulerunt; item ad Isaiam: multa vero Cyrilli ad Hieremiam fragmenta vulgavit in catena Ghislerius. Ad Ezechielem vix octo exigua Cyrilli fragmenta vaticana catena, ceteroquin ingens, nobis obtulit; et ad Danielem tria. Cyrillum in Ezechielem scripsisse, extra omnem dubitationem est: nam praeter reperta a nobis fragmenta in catenis, Bandinius catal. cod. gr. laurent. T. I. p. 119. duo alia perbrevia in codice miscello memorat, quae a nostris diversa sunt. Quid plura? Leo Allatius in enchiridio p. 38. ut ostendat Spiritum sanctum esse spiritum filii, citat Cyrilli explanationem in Ezechielem τὴν ἐξήγησιν τοῦ Κυρίλλου εἰς τὸν Ἰεζεκιήλ. Mihi tamen pretiosum hoc summeque optandum Cyrilli scriptum nusquam compertum est. Felicior in cantico Salomonis fui, ad quem librum non ita paucas Cyrilli reliquias superiore volumine complexus sum. Mitto libros deuterocanonicos Tobiae, Sapientiae, Ecclesiastici, et Machabaeorum, quos prisci Patres curis suis raro aut vix attigerunt: quamquam Sapientiam certe atque Ecclesiasticum Cyrillus noster ceu divinas scripturas non semel laudat: Sapientiae autem libro regia manus Matthaei Cantacuzeni graecum commentarium addidit, cuius nos excerpta in alio volumine inter scholia ad Nicephorum sparsim dedimus.

Item in catenis T. N.

2. Iam in novo testamento, ad Matthaeum quidem ex amplis qui perierunt Cyrilli tractatibus, mediocris fragmentorum numerus in Possini et Corderii catenis le-

gitur: sed tamen ego quoque coacervaveram nova Cyrilli fragmenta ex vaticanis codicibus, ac paene impresseram; sed accepta interim oxoniensi cl. I. A. Crameri graeca catena, multum ex vaticanis deminui; ita tamen ut fragmenta supra viginti mihi adhuc inedita superfuerint, quae huic volumini inserui. Conquisitis novis in Matthaeum Cyrilli reliquiis, de commentario eius ad Marcum cogitandum a me esse non indicavi; quia in eo, quem olim Possinus typis barberinis Romae excudit, Victor antiochenus (ut certe inscribitur) auctor ait neminem praeter se commentarios in Marcum scripsisse. Revera autem ne in vaticanis quidem codicibus graeca ulla Marci explanatio legitur, praeter illam quam sub Victoris nomine editam dixi: quae ceteroqui multo copiosior mihi variausque occurrebat in codice vat. 756, nec non in ottoboniano 113, quo in utroque exemplari non Victori id opus tribuitur sed Origeni. Sed tamen in ottoboniano alius quoque nominatur huius scripti auctor Leontius aetolus. Etenim fol. 49, ubi opus incipit, ita se habet titulus: Ὠριγένους πρόλογος εἰς τὴν ἑρμηνείαν τοῦ κατὰ Μάρκον ἁγίου εὐαγγελίου. Tum in margine adscribitur: ἀλλαχοῦ Λεοντίου ἀπὸ τῆς Αἰτωλίας. Ecce autem cl. anglus Cramerus in duobus nuper parisiacis codicibus, nec non in bodleiano, hunc in Marcum commentarium Cyrilli alexandrini nomine praetitulatum observavit, et in sua catenarum serie graece cum additamentis exhibuit: deque eo titulo sive auctore modeste ac docte in suae praefationis calce disseruit. Verumtamen haec nos historice tantum narramus; neque enim inter quatuor haec nomina, Origenis, Cyrilli, Victoris, atque Leontii, interponere nostrum iudicium volumus. Quamquam si ea potius ex diversis patribus catena est, ut satis constare videtur, quam unius hominis lucubratio, nemo iam mirabitur variare in titulis nomina auctorum. Nihil nos igitur Cyrilli ad Marci evangelium proferimus; quandoquidem quae in codicibus vaticanis incrementa erant, ea neque Cyrilli nomen gerunt, neque iam post oxoniensem librum incognita sunt. Sed ecce demum Cyrilli grandes et indubias ad Lucam lucubrationes, in superiore volumine nos ipsi edidimus. Ad Iohannis evangelium extat magnus Cyrilli duodecim libris commentarius; sed quia septimi et octavi libri lacuna, nonnisi ope catenae gallicanae expleta utcumque fuerat, alia mihi supplementa inventa sunt, quae neque Aubertus neque Corderius in excerptis habuerunt, et praedictum detrimentum minuunt. Ad apostolorum actus fragmenta Cyrilli paraveram Oecumenio incognita; sed ea demum omisi, praeter unum, postquam cognovi nuperas ad eum librum ex catenis accessiones. Postremo ad apocalypsin nihil habeo Cyrilli quod adferam.

Cyrilli fragm. ad ep. cath.

3. Cyrillum catholicas quoque epistolas commentariis suis ornavisse, satis constabat apud Montfauconium Biblioth. coislin. p. 163, ubi is in antiquissimo miroque codice ·CCII· saeculi ·V· vel ·VI· narrat extare tum aliorum patrum, tum etiam Cyrilli scholia, quae tamen ipse non recitat. Sed enim complura dat Cramerus in catena ad catholicas nuper Oxonii edita. Ego vero quum Cyrilli nomen in vaticanis ad eas epistolas commentariis frustra quaesissem, tandem his diebus gemina reperi Cyrilli ad primam Iohannis epistolam scholia, quae fausto casu conservavit Leo patricius et Canielei praefectus in sua inedita utriusque Testamenti summaria expositione, cuius olim Leo Allatius de Engastrimytho capp. 9. et 20, locos tres recitavit, qui ad Testamenti veteris libros spectant. Quin adeo in codicibus quoque vindobonensibus 157. et 230. apud Lambecium idem Leonis patricii opus servatur. Mihi quidem duo praedicti operis codices vaticani comperti sunt, quorum alter integrior gemina quae dixi Cyrilli scholia suppeditavit. (Alterum quoque diversi generis mihi

in manibus est Leonis *κειμήλιον*, sed eius descriptio tempus aliud occasionemque postulat.) Nunc, quia absoluto iam hoc volumine, collocare in serie Cyrillum nequeo, praesente in pagina his fragmentis, ne pereant, sedem adsignabo. Ergo ad epistolam primam Iohannis cap. I. 5: *ὁ Θεὸς φῶς ἐστι, καὶ σκοτία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν οὐδεμία*: *Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae*, sic in codice lego. ΚΥΡΙΛΛΟΥ. Ἢ ὅτι κατ' οὐσίαν φῶς ὑπάρχει ὁ Θεὸς, ἐν τοῖς ἐν αὐτῷ διὰ τῶν ἀρετῶν περιπατοῦσιν, ἀληθῶς φῶς γενόμενος· ἢ σκοτίαν, τὴν κακίαν λέγει διὰ τοὺς Ἰουδαίους. Cyrilli. *Sic ait, vel quia Deus substantialiter lux est, quatenus iis hominibus, qui in ipso virtutibus suis ambulant, vere lux efficitur. Vel tenebras dicit nequitiam, propter Iudaeos.* Rursus ad cap. II. 13: *γράφω ὑμῖν πατέρες, γράφω ὑμῖν νεανίσκοι, γράφω ὑμῖν παιδία*: *scribo vobis, patres; scribo vobis, adolescentes; scribo vobis, infantes.* ΚΥΡΙΛΛΟΥ. Ἡλικίας ἐνταῦθα μοι νόει κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον· οὐ γὰρ ὁ εὐαγγελιστὴς πρὸς βρέφη ἔγραφε· καὶ νεανίαι μὲν, οἱ εἰς ἀνδρίαν ἐλθόντες πνευματικήν· πρεσβύται δὲ οἱ εἰς φρόνησιν ἐλάσαντες· νήπιοι δὲ, οἱ ἐν Χριστῷ ἄρτι πιστεύσαντες. Cyrilli. *Aetates hoc loco mecum intellige secundum interiorem hominem; neque enim evangelista ad infantes scriberet. Et adolescentes quidem sunt, qui ad spiritalem firmitatem pervenerant: senes, qui prudentiam adsecuti: infantes denique, qui nuper crediderant.* Iam vero primum ex his fragmentis in oxoniensi libro prorsus desideratur. Secundum autem anepigraphum, id est absque Cyrilli nomine, legitur lib. cit. p. 113, sed ita productum ac varium, ut Leonem nostrum compendium eius fecisse, prorsus appareat. Interim hoc adsequimur, ut auctorem fragmenti Cyrillum esse agnoscamus.

4. Reliqui ergo mihi fuerunt in vetere quidem Testamento, liber psalmorum; in novo, Pauli epistolae, ad quas divinae scripturae partes praeclaram aedepol Cyrilli explanationem inveni. Atque ut de Pauli epistolis primum dicam, in illa ad Romanos, in utraque ad Corinthios, itemque ad Hebraeos satis prospera fortuna usus sum: in reliquis quamquam eas Cyrillum partim saltem illustrasse compertum est, nihil ego reperi, praeter singula fragmenta ad Galatas et ad Colossenses. Igitur ut in quatuor epistolis, quas dixi, sistam; codex vaticanus valde pretiosus, saeculi ferme XII, cuius integram paginam aere incusam in hoc volumine ante paginam primam habes, egregias mihi cyrilliani commentarii partes ad Rom. et ad Corinth. I. et II. suppeditavit; quas ego diligenter exscriptas, adnotationibus etiam prout opus fuit instructas, et latina interpretatione donatas, in priore voluminis parte typis expressi. De doctrinis vero Cyrilli praecipuis, tum in adnotationibus tum in indice lectores admonui. Magna equidem voluptate fruebar, dum tantam praestantissimi Cyrilli partem ex eo codice eruerem; idque ego paulo post annum 1841 efficiebam: etenim intra hoc octennium, usque ad 1849, quinque haec novae Patrum bibliothecae volumina adornabam, interrupto identidem propter alias occupationes labore. Interim vero ex Anglia catenas Patrum accepi, quae graece tantum a cl. I. A. Cramero annis 1841. et 1844. imprimebantur: ubi quod attinet ad epistolam Pauli ad Romanos, et ad Corinthios primam, partes meas Cyrilli vaticanas, quas iam impresseram, vidi cum illis contemporalis in Anglia editoris passim congruere (quamquam etiam catenis incognitum Cyrilli tractum Nicephorus nobis suppeditavit, part. lat. p. 27-28. in adn.) non ita tamen in secunda ad Corinthios, ubi Cyrilli partes vaticanae nihil habent anglico libro simile: etenim Crameri codex, Cyrilli ad hanc epistolam curas prorsus desiderabat. Sed enim in prioribus quoque Pauli epistolis editio mea satis in

Cyrilli comm. in IV. Pauli ep.

hoc differt, quod Cyrillum a reliquorum interpretum turba seorsum exhibet, et cum interpretatione latina, quam anglicus liber nullam habet. Postremo super epistolam ad Hebraeos nihil Cyrilli mihi suppeditabant codices vaticani; sed insignem tamen partem ac novam Mediolano, doctis viris faventibus, accersivi; qua de re quum accurate suo loco p. gr. 105. dixerim, nihil heic superaddendum videtur. Dicam denique, satis constare Cyrillum hos commentarios in sermones (λόγους) distribuisse, uti reapse se habet commentarius eius in Isaiam, nec non thesaurus: quamquam ii sermones, sectiones potius commentariorum dicendi sunt. Certe Severus antiochenus apud nos p. gr. 103. citabat Cyrilli in ep. II. ad Cor. tertium sermonem (λόγον), et pag. lat. 67. septimum. Ceterum generalis horum Cyrilli operum exegeticorum titulus modo fuit ἑρμηνεία *interpretatio*, modo ὑπόμνημα *commentarius*, ut apud nos pagg. gr. 437. 438, et pag. lat. 290. videre est.

Cyrilli commentarius in psalmos.

5. Post Cyrilli ad quatuor Pauli epistolas commentarios, de eiusdem ad psalterium lucubrationibus cogitare coepi. Etenim ego Balthassaris Corderii in psalmos catenam cum aliquo vaticano codice forte comparans, statim agnoveram complures Cyrilli partes corderianae editioni deesse. Itaque constitui ea tantum Cyrilli segmenta ex vaticanis codicibus sumere, quae in tribus corderianae catenae voluminibus non apparebant. Hoc suscepto proposito, coepi vaticanas ad psalmos catenas prout se dabant excutere, totque illarum inveni codices, ut duodecimum numerum mihi expleverint; quos ego codices in libri mei marginibus denoto litteris A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. Et quidem Cyrilli nomen in singulis codicum locis perpetuo scribitur, ut dixi pag. lat. 192. adn. 1. His accedit unicum folium veronense, de quo mox loquar. Ibi enimvero coepto et paulo longius progresso opere, quum inedita Cyrilli materia affatim et supra omnem spem abundaret, poenitentia me cepit, quod supplementa Cyrilli seorsum a catena Corderii typis excudere instituissem, quum contra oportuisset corderianas potius Cyrilli partes inter libri mei multo uberiores ac praestantiores divitias conserere: qao facto, integrum prope Cyrilli ad psalmos commentarium in seriem restituissem. Tanta enim est cyrillianae rei in vaticanis codicibus copia, ut fragmenta antehac edita longe superet obruatque. Nunc quia consilium mutare coepto in opere non licebat, superest ut tum demum totus Cyrilli in psalmos commentarius una serie connectatur, cum omnia sanctissimi viri opera, partim adhuc dispersa aut perturbata, novo ac meliore apparatu edentur; quod fore auguror, et in superioris voluminis prologo satis suasi.

Codices unde sumptus Cyrillus.

6. Sunt autem catenarum in psalmos vaticani codices, unde nos Cyrillum hausimus, hi. I. Codex quem A. appello, inter ceteros praestans, membraneus saeculi XIII. in fol., cuius scripturae specimen in adiuncta tabula n. 3. exhibuimus. Continet is Nicetae in psalmos Patrum catenam, praefixo prologo, quem nos ante Cyrillum nostrum minoribus formis extare voluimus. Est hic idem codex unde olim Fleckmannus nova magni Athanasii ad psalmos fragmenta extulit, quae in Montfauconii editione videre est. Quia vero hic codex nonnisi usque ad psalmum LXXVI. porrigitur, satis constat deesse alterum paris molis volumen, quod num alicubi adhuc extet, valde dubito. II. Codex B. chartaceus saeculi XV. fol. in duo magna volumina dispertitus, cum catena Patrum ad psalterium totum copiosissima. Quare et hic inter fere nobilissimos habendus est. III. Codex C. bombycinus in 4. saec. XIV., qui praeter catenam, habet etiam adiunctam quandam paraphrasim; ita tamen ut a ps. 36. ad 51. et interdum alibi scholiorum comitatu destituatur. IV. Codex D. membr. in fol. saec. XI.

valde nobilis, cum perpetua catena, cum hexaplaribus in margine varietatibus, et cum grandi isagoge, ex qua Montfauconius in aliis lecta codicibus tria Origenis opuscula edidit ante celeberrimam suam hexaplorum restitutionem. V. Codex E. membraneus fol. saec. XIV, catena in totum psalterium. VI. Codex F. in 4. membraneus saeculi XI. vel XII, eleganti scriptione, in psalmos omnes catena. VII. Codex G. fol. chart. recens, catena a psalmo 51. usque ad finem psalterii. VIII. Codex H. fol. chart. in duo volumina sectus, qui fuit olim Giberti episcopi veronensis, catena densa a psalmo 55. in omnes reliquos, quae cum illa praestante codicis B. valde conspirat. IX. Codex I. membr. fol. saec. XII, catena a psalmo primo ad quinquagesimum; quare vix est dubitandum, quin alia duo paris molis volumina interierint vel alicubi lateant. Est vero hic codex multo utilissimus, quia spatiosa paene prae ceteris continet Patrum excerpta: quae res me commovit, ut praeter Cyrillum, alios quoque aliquot excerperem Patres ineditos, quos tempore commodo in lucem proferam. X. Codex K. membr. fol. saec. XII. catena integra in psalmos, cum illa quoque isagoge de qua dixi ad cod. D. In hac isagoge sunt etiam Theodoreti argumenta psalmorum, multo editis pleniora, quamquam idemtidem certe interpolata sunt. XI. Codex L. membr. in 4. saeculi ferme XII. aut XIII, catena in universum psalterium, cum praedicta isagoge. Ceteroqui hic codex mendis abundat. XII. Codex M. chart. fol. saec. XV. in universum psalterium catena, de quo codice singulariter dixi in parte gr. p. 450. Patres autem in his catenis laudati supra quinquaginta sunt, nempe Anastasius, Andreas (cretensis), Anonymus quidam, Antiochus, Apollinaris, Arethas, Arsenius, Asterius nunc sine adiuncto nunc arianus, Athanasius, Basilius, Cassianus, Clemens, Cyrillus alex., Cyrillus hierosol., Cyrillus presbyter, Didymus, Diodorus, Dionysius, Dorotheus, Ephraemius, Epiphanius, Evagrius, Eulogius alex., Eusebius caesar., Gennadius, Georgius, Germanus, Gregorius naz., Gregorius nyss., Hadrianus, Hesychius, Hieronymus, Hypatius, Iohannes chrysostomus, Iohannes damascenus, Isidorus, Maximus, Metaphrastes, Methodius, Metrophanes, Nicetas David, Nilus, Olympiodorus, Origenes, Philo hebr., Photius, Severus, Scholia, Theodoretus, Theodorus modo sine adiuncto (fortasse heracleotes), modo antiochenus vel Mopsuestiae, Theodosius (cuius nos olim edidimus scholia quaedam ad Danielem), Theodotus, Theophilus, et fortasse nonnulli alii. Citantur praeterea aliquando textus hebraeus, septuaginta interpretes, Aquila, Symmachus, Theodotio, et quinta ac sexta editiones. Ex his quisque eruditus videt, quanti lateant in his codicibus doctrinae thesauri, qui singulorum Patrum editiones cumulare poterunt, vel etiam primitus in publicam lucem vindicari. Nos interea unum ex tot Cyrillum alexandrinum excerpsimus, et singulorum codicum indicativas litteras in libri nostri marginibus ad perpetuam veritatis demonstrationem laboriosa sedulitate adscripsimus.

Cyrilli fragmentum veronense et alia.

7. Dixi antea, me de veronensi quoque Cyrilli fragmento locuturum. Ea res ita se habet. Anno 1844, postquam Romae iam Cyrillum in Pauli epistolas typis impresseram, eiusdemque in psalmos commentarium partim aeque prelo supposueram, facto in autumnalibus feriis per superiorem Italiam excursu, Venetiis primo Cyrilli fragmenta ad regum libros ex nobili marciano codice collegi. Deinde Veronam veniens, adita RR. Canonicorum insigni codicum bibliotheca, quaesivi a bibliothecario numquid ibi Cyrilli conservaretur; qui mihi statim folium obtulit, inter codices illic conservatum, quod cupide inspiciens, ipsam esse cognovi Cyrilli praefationem (quae in vaticanis codicibus deerat) ad suum in psalmos commentarium, quem ego, ut dixi,

iam imprimere acephalum Romae coeperam. Ergo data a RR. Canonicis benigne venia gemmulae huius exemplar paribus litterarum formis faciendi, prout nunc in tabula nostra conspicitur (1); mox ibidem legi etiam manuscriptum capitularium codicum indiculum a Scipione Maffaeio confectum, in quo sub numero 119. vir ille doctissimus, cyrilliani folii antea possessor, ita scribit. « Codex non est, quem hic tibi, lector, » narro, sed pagella una membranei codicis, et quidem exilis admodum. Abscissa » procul dubio fuit, detrimento magno, emolumento nullo, ab eximio et multi fa- » ciendo libello. Qui eam ad me misit, daturum se brevi persimiles alias multas, » subsequentes puto, spopondit; sed ab annis pluribus nequicquam expecto. Scri- » ptum litteris maioribus constat, accentibus a prima manu superpositis; septimum » aut octavum saeculum redolet. Ne avolet pagella et depereat, ut initio nuper re- » lati codicis diligenter assueretur, curavi. Quid autem contineat, accipe. (Heic Maf- » faeius fragmentum exscribit, tum pergit dicere.) Cyrilli genuinum esse foetum, ex » paucis his verbis optime dignoscet quicumque illius opera aliquando triverit: de- » prehendet enim statim proprium illud dicendi genus, ac veluti specialem linguam, » quam iure meritoque Photius (cod. 49. p. 38.) Cyrillo tribuit: λόγος πεπονη- » μένος, καὶ εἰς ἰδιάζουσαν ἰδέαν ἐκβεβιασμένος, καὶ οἷον λελυμένη καὶ τὸ » μέτρον ὑπεροριῶσα ποίησις: *eius oratio elaborata, et in peculiarem formam* » *contorta, ac velut libera metroque soluta poësis.* Phrases vides a communi usu » loquendi remotas, et poëtica verba quae in aliis Cyrilli operibus non una vice re- » perias, v. gr. εὐκλεᾶ τε καὶ ἀξιάγαστον χορὸν libro septimo in genesim (in » glaphyris ed. Aubert. p. 238.) Opus autem non ineditum modo, sed ab eruditis » scriptorum enarratoribus immemoratum puto (ineditum recte dicit Maffaeius, non » item quod fuerit immemoratum.) Cyrillum ceteroquin in psalmos scripsisse, e nu- » per descripto codice (seu folio), ex catena a Daniele Barbaro versa, et ex cor- » deriana praesertim constat, in qua ultra centies laudatur: eius autem expositiones a » speciali in psalmos tractatu decerptas esse, primus (apud Corderium) quarti psalmi » argumentum continens locus, satis prodit. » Ita Maffaeius, qui in dissertatione etiam secunda de fragmentis Irenaei edit. Venet. T. II. p. 4. iam scripserat: « nemo » dixit S. Cyrillum alexandrinum in psalmos scripsisse, et tamen abs fragmento ali- » cuius ms. celebris, quo potior, colligitur id vel certissime. » Patet autem Maf- faeium dum haec postrema scriberet neque catenas adhuc consuluisse, neque Fabri- cium et nonnullos alios, qui Cyrilli deperditum in psalmos commentarium memora- verant. Hactenus de litterario meo apud Veronam casu. Statim ergo Romam redux, primum cyrilliani in psalmos operis folium ita refeci, ut veronensem prologum in capite, prout ius fasque erat, collocarem. Atque hic fuit veneti et veronensis itineris fructus. Sed neque frustra Mediolanum ac Florentiam adii: etenim illinc, si minus manu propria, propter temporis incommoditatem, favore certe hominum amicorum novas Cyrilli accessiones nactus sum. Cetera quae appendicis loco volumen habet fragmenta, sive Cyrilli ipsius, sive Irenaei, Basilii, Theophili, Theodori mopsuesteni, ac Didymi, ea singularibus monitis a me commendata fuerunt.

Lexicon sub Cyrilli nomine.

8. Nunc quia in specimine cuso titulum cyrilliani cuiusdam lexici exposuimus, superest ut de eo vaticano codice, satis prisco ac nobili, pauca verba faciamus. Quamquam igitur Cyrillo Alexandriae archiepiscopo id glossarium inscribitur, atta-

(1) Vides in tabula δύνομαι pro δύναμαι. Id pertinere videtur ad dialectum alexandrinam, quoniam in codice quoque celebri Bibliorum vatic. Matth. XXVI. 53. legitur aeque δύνομαι.

men alicuius potius Cyrilli grammatici credendus videbitur, quam illius sanctissimi praesulis: quumque is liber non semel, prout se varie in variis codicibus obtulit, editus fuerit, mihi nuda eius commemoratio satis sit. Pertingit id lexicon valde spatiosum in codice non parvi moduli a fol. 1. ad 154. Et hoc vaticanum quidem Cyrilli lexicon communis generis est: ceteroqui Fabricius B. G. ed. nov. T. IX. p. 493. ait extare ms. in variis bibliothecis etiam Κυρίλλου εἰς τὰς ἀπορουμένας λέξεις τῆς ἁγίας γραφῆς, *Cyrilli de ambiguis scripturae sanctae vocabulis;* cui subiungi solet eiusdem ἑρμηνεία ὀνομάτων καὶ λέξεων ἑβραϊκῶν ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς, *interpretatio nominum ac vocabulorum divinae scripturae*, alphabetico ordine digestorum. Revera in Cyrilli apud nos commentario psalmorum nonnullae huiusmodi ex hebraico interpretationes occurrunt, nec non etiam ex syriaco in eiusdem Cyrilli fragmento de Abrahami transnominatione, quod ex florentino codice nos impetravimus. Legesis in hoc nostro volumine pp. 109. 227. 234. 242. 252. 253. 285. Suo igitur fortasse lexico utebatur Cyrillus, non Philonis aut Origenis, ut nos interdum putavimus. Nec aegre quisquam sibi persuaserit, Cyrillum, qui totum vitae suae tempus in sacrorum Bibliorum studio et explanatione consumpsit, lexica etiam marte proprio sibi concinnasse, quibus in sacro codice declarando commode uti posset; vel quae sponte, ut fit, lucubranti ipsi subnata fuissent. His de Cyrilli lexico dictis, reliquas codicis vaticani, quem coeperamus describere, partes prosequamur. Scilicet a p. 154. usque ad 163. est Ἰωάννου Φιλοπόνου περὶ τῶν διαφόρων σημασιῶν διαφόρως τονουμένων: *Iohannis Philoponi de vocabulis diverse pro diversitate accentuum significantibus.* Posthinc rhetorica quaedam lexica usque ad fol. 177. Ibi vero incipit: λεξικὸν ἐνδιαθέτων γραφῶν ἐκτεθὲν παρὰ Στεφάνου καὶ Θεοδώρου, καὶ ἑτέρων λεξιγράφων Κασιανοῦ καὶ Λογγίνου φιλοσόφου: *lexicon scripturae utriusque testamenti* (ἐνδιαθέτων *positarum in canone*) *editum a Stephano et Theodoro aliisque lexicographis Cassiano et Longino,* usque ad fol. 212. (Cassiani et Longini ἀποσπασμάτιον lexici ego vidi in alio etiam vat. codice.) Deinde λέξεις ἰατρικοῦ βιβλίου· περὶ βοτανῶν ἑρμηνεία, nempe *medicum et herbarium lexicon,* usque ad fol. 215. Mox post minora alia et fortasse levidensia fol. 255: Θεοδοσίου γραμματικοῦ Ἰωάννῃ τῷ θεοφιλεστάτῳ πρεσβυτέρῳ καὶ ἐν Χριστῷ ἀδελφῷ, περὶ τῶν ἐν τοῖς κανόνεσι τῶν ἁγίων ἑορτῶν: *Theodosii grammatici ad Iohannem Deo dilectissimum presbyterum et in Christo fratrem, de canonibus seu metris sanctarum sollemnitatum.* Postremo sunt Cosmae monachi itemque Iohannis (damasceni) canones aliquot seu metra cum odis. Cosmas quidem est ille philogregorius, et melodus celebris, cuius nos amplos commentarios ad Nazianzeni carmina his annis edidimus in Spicilegio rom. T. II. Profecto si occasio ferret de graecis lexicis loqui, quae permulta in vaticanis codicibus latent, dilatando sermoni nostro campus pateret: atque haec non spernenda fortasse mantissa foret lexicorum illorum quae Photius in sua bibliotheca numerat a cod. 145. ad 158. Profecto in his vaticanis nonnulla certe excellunt, quorum tamen materia cum Suida et cum etymologicis saepe congruit; sed non sine varietate multa seu vocabulorum seu etiam exemplorum: quo fit, ut egregia etiam deperditorum operum fragmenta, quasi auri probatissimi scobem, nancisci possimus. Sed de his alio fortasse tempore agemus. Nunc huius nostri voluminis materia capitulatim percensenda est.

VOLUMINE CONTINENTUR HAEC.

SPECIMINA SCRIPTURARUM.

I. Tabula. Ex codice vaticano saeculi XII. pagina integra, quae refertur ad nostram editionem commentarii S. Cyrilli in epistolam ad Romanos p. gr. 14.

II. Tabula. Continet varia specimina ex codicibus vaticanis. 1. et 2. Fragmentum Cyrilli in Iobum cap. III. 18, cum textu sacro ex codice saec. circiter VIII. – 3. Folium unicum archii capitularis veronensis saec. VII. aut VIII. continens prologum S. Cyrilli in suum Commentarium ad psalmos, editionis nostrae p. 143. – 4. Specimen ex codice vat. A. commentarii Cyrilli in psalmos, in edit. nostra p. 144. – 5. Cyrilli de Christi genealogia fragmentum, ex cod. vat. 358, quod superiore tomo edidimus p. 484. – 6. Specimen eiusdem prisci codicis, in quo historia evangelica feminae adulterae. – 7. Titulus lexici nobilis graeci quod inscribitur Cyrillo in vetere codice vaticano.

S. Cyrilli alexandrini Tabula I.

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΚΥΡΙΛΛΟΥ

ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΣ

ΕΡΜΗΝΕΙΑ

ΕΙΣ ΤΗΝ ΠΡΟΣ ΡΩΜΑΙΟΥΣ ΕΠΙΣΤΟΛΗΝ.

Περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα. Cap. I. 3.

Οὐκοῦν ὡς εἰκόνες πρὸς ἀρχέτυπον, οὕτω καὶ ἡμεῖς οἱ κατὰ θέσιν Cod. f. 2. b.
υἱοὶ πρὸς τὸν φύσει τε καὶ δυνάμει, καὶ ἀληθῶς ἐκ πατρὸς μεμαρτυρημένον εἰς τοῦτο κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης καὶ ἐκ τῆς ἀναστάσεως τῆς ἐκ νεκρῶν· ὁρίζεται δὲ εἰς υἱὸν καὶ κατὰ τὸ ἀνθρώπινον· ἔστι δὲ καὶ κατὰ φύσιν υἱὸς θεοῦ, καὶ ἐν δυνάμει μαρτυρούμενος κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, τουτέστιν ἀπό γε τοῦ δύνασθαι καταργεῖν τοῦ θανάτου τὸ κράτος.

Ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης. v. 20.

Ἀπὸ κοινοῦ νοουμένου τοῦ καθορᾶται· πῶς δὲ γινώσκεται διὰ τῆς Cod. f. 11.
δημιουργίας ἡ ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις; ὅτι φθαρτὴν ἐχόντων τὴν φύσιν τῶν παρηγμένων εἰς γένεσιν καὶ κεκλημένων ἐν χρόνῳ πρὸς [1] ὕπαρξιν, ἔσται που πάντως ὁ τούτων δημιουργὸς ἄφθαρτος καὶ ἀΐδιος· οὐκοῦν οὐδεμίαν εὑρήσουσιν ἀπολογίαν ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως.

Μὴ ἡ ἀπιστία αὐτῶν τὴν πίστιν τοῦ θεοῦ καταργήσῃ; Cap. III. 3.

Ἐντιμότεροι τῶν ἄλλων οἱ προεγνωσμένοι καὶ νόμον λαχόντες Cod. f. 23. b.
παιδαγωγὸν, καὶ ὑποσχέσεις ἔχοντες ἐπὶ Χριστῷ, καὶ δὴ καὶ ἀπειληφότες καὶ προκεκλημένοι τῶν ἄλλων· ἔφασκεν γὰρ ὁ σωτήρ· οὐκ ἀπεστάλην εἰ μὴ πρὸς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραήλ· καὶ τῶν διὰ πίστεως ἀνασεσωσμένων ἀπαρχὴ γεγονότες· οὐ γὰρ εἴ τινες ἐκ φρενοβλαβείας τοῦ πιστεύειν ἀπώλισθον, ταύτῃ τοι, φησὶν, ἀφαμαρτήσειεν ἂν τοῦ καὶ ἀληθὴς εἶναι θεός· οὐκοῦν πέπομφε μὲν ἐξ οὐ-

(1) In codice loco *πρὸς*, est *τήν*. Sed *πρὸς* vel *εἰς* heic requiri, tum sensus docet, tum alii Cyrilli loci apud nos p. 39. v. 19; p. 129. v. ult.; p. 231. v. 16; p. 247. v. 3; p. 118. v. 8.

ρανοῦ τὸν υἱὸν ὁ πατὴρ, πεπιστεύκασί γε μὴν οὐ πάντες αὐτῷ· ἆρ᾽ οὖν ὅτι γεγόνασί τινες ὑβρισταί τε καὶ ἄπιστοι, οὐκ ἔσται ὁ θεὸς ἀληθὴς διὰ τοῦτο; μὴ γένοιτο· γινέσθω δὲ ὁ θεὸς ἀληθὴς, πᾶς δὲ ἄνθρωπος ψεύστης· ἀντὶ τοῦ νοείσθω τε καὶ λεγέσθω πρὸς ἡμῶν ἀληθὴς, καθοριζέσθω δὲ ὥσπερ ἀνθρώπου παντὸς τοῦ ψεύδους τὸ κατηγόρημα· ἄτρεπτος μὲν γὰρ καὶ ἀναλλοίωτος παντελῶς ἡ θεία φύσις ἐστίν· σεσάλευται δὲ λίαν ἡ ἀνθρώπου φύσις, καὶ ὅσον ἧκεν εἰς τὸ ἐγχωροῦν πᾶς ἄνθρωπος ψεύστης· καταθλεῖ γὰρ ἔσθ᾽ ὅτε τῆς ἀνθρώπου διανοίας ὡς ἁμαρτία τὸ ψεῦδος, καὶ δέχεταί πως ἡ φύσις καὶ τοῦ τοιοῦδε τὴν νόσον· ἐπὶ δέ γε τοῦ πάντων κρατοῦντος θεοῦ, τοιοῦτόν τι νοεῖν ἢ λέγειν οὐ θέμις· οὐκοῦν τό γε δύνασθαι παθεῖν τὸ ψεῦδος τὴν ἀνθρώπου φύσιν, ἤγουν τὴν διάνοιαν, ἀληθὲς ἔσται τὸ κατηγόρημα· οὕτω πού φησι καὶ ὁ μακάριος Δαβίδ· ἐγὼ εἶπα ἐν τῇ ἐκστάσει μου, πᾶς ἄνθρωπος ψεύστης· ὁ αὐτὸς δ᾽ ἂν γένοιτο λόγος περί τε θεοῦ καὶ ἡμῶν καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων· οἷον ἐπὶ τῆς δικαιοσύνης, φαίη γὰρ ἄν τις καὶ οὐκ ἔξω λόγου, γινέσθω δίκαιος ὁ θεὸς, πᾶς δὲ ἄνθρωπος ἄδικος.

Cap. III. 5. Εἰ δὲ ἡ ἀδικία ἡμῶν, θεοῦ δικαιοσύνην συνίστησι.

Cod. f. 25. Ἡ τῆς τοιαύτης διαβολῆς πρόφασις, ἐντεῦθεν γεγένηται· μετὰ τὴν ἀπὸ Βαβυλῶνος ἐπάνοδον οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ κελευσθέντες ὑπὸ Κύρου ἀναδείμασθαι τὸν νεὼν, καὶ πληροῦν εὐχὰς, καὶ προσάγειν θυσίας, γεγόνασι ῥᾴθυμοι, προφασιζόμενοι πτωχείαν, καὶ τὴν ἀπὸ τῆς αἰχμαλωσίας ταλαιπωρίαν· ταύτῃ συμμέτροις ἐσωφρονίζοντο παιδείαις, ἀφορίαις καρπῶν, καὶ ὑετῶν ἐνδείαις· ἀσχάλλοντες δὲ πρὸς τὰς τοιαύτας πληγὰς, ἐμακάριζον μὲν τοὺς ἀλλογενεῖς, καὶ τοὺς μὴ δουλεύοντας τῷ θεῷ ὡς ἐν εὐθυμίᾳ διάγοντας, καὶ ἔφασκον ἀμείνους ἑαυτῶν ὑπάρχειν ἐκείνους· καὶ γοῦν ἔφασκε πρὸς αὐτοὺς Μαλαχίας ὁ προφήτης· ἐβαρύνατε ἐπ᾽ ἐμὲ τοὺς λόγους ὑμῶν, λέγει κύριος· καὶ εἴπατε· ἔν τινι κατελαλήσαμεν κατὰ σοῦ; εἴπατε, φησὶ, μάταιος ὁ δουλεύων θεῷ· καὶ τί πλέον ὅτι ἐφυλάξαμεν τὰ φυλάγματα αὐτοῦ, καὶ διότι ἐπορεύθημεν ἱκέται πρὸ προσώπου κυρίου παντοκράτορος; καὶ νῦν ἡμεῖς μακαρίζομεν ἀλλοτρίους· καὶ ἀνοικοδομοῦνται ποιοῦντες ἄνομα· ἀντέστησαν θεῷ, καὶ ἐσώθησαν· ταῦτα κατελάλησαν οἱ φοβούμενοι κύριον ἕκαστος πρὸς τὸν πλησίον αὐτοῦ· καὶ προσέσχε κύριος, καὶ εἰσήκουσε· ταύτης ἕνεκα, φησὶ, τῆς αἰτίας ᾤοντο τινὲς τοὺς ἰουδαίους λέγειν,

ποιήσωμεν τὰ κακὰ ἵνα ἔλθῃ τὰ ἀγαθά· ἔνδικον γε μὴν τὸ κρίμα εἰπὼν, ἢ τῶν ἰουδαίοις ἐπιφημιζόντων ἐκεῖνα, ἤγουν τῶν λέγειν ἀποτολμώντων, ὅτι ποιήσωμεν τὰ κακὰ ἵνα ἔλθῃ τὰ ἀγαθά.

Νυνὶ δὲ χωρὶς νόμου, δικαιοσύνη θεοῦ πεφανέρωται. Cap. III. 21.

Οἶδα ὅτι γέγραπται περί τινων, ὅτι ἦσαν δίκαιοι ἀμφότεροι πορευόμενοι ἐν ταῖς ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασι τοῦ Χριστοῦ ἄμεμπτοι· καὶ ὁ μακάριος δὲ Παῦλος ἔφη, ὅτι καὶ αὐτὸς κατὰ δικαιοσύνην τὴν ἐν νόμῳ γέγονεν ἄμεμπτος· ἀλλ' ὁ ἐν τούτοις ἄμεμπτος, οὔπω πέπραχε τὰ δι' ὧν ἔσται λαμπρὸς καὶ ἀοίδιμος· καὶ γοῦν αὐτὸς ἔφη πάλιν ὁ μακάριος Παῦλος, ὡς ἡγεῖτο μὲν ἅπαντα τὰ ἐν νόμῳ ζημίαν, καὶ ἐν ἴσῳ σκυβάλοις κατελογίζετο· ζητοίη δὲ πάλιν τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως Χριστοῦ· κατακρίνει δὲ πάλιν ὁ νόμος τοὺς παραβαίνοντας· ταύτῃ τοι ἑτέρωθι φησίν· εἰ γὰρ τῇ διακονίᾳ τῆς κατακρίσεως δόξα, πολλῷ μᾶλλον περισσεύει ἡ διακονία τῆς δικαιοσύνης δόξῃ· πλείστης δὲ οὔσης ἐντολῆς ἐν αὐτῷ, πᾶσα πως ἀνάγκη καὶ τὸν ἀκριβῆ νομοφύλακα διαπταίειν ἔν τισι, καὶ παραβάτην νόμου καθίστασθαι· καὶ ὅτι φορτικὸς ἀληθῶς, διωμολογήκασιν ἐναργῶς οἱ θεσπέσιοι μαθηταί· ἔφασκον γάρ· νῦν οὖν τί πειράζετε τὸν θεὸν, ἐπιθεῖναι ζυγὸν ἐπὶ τὸν τράχηλον τῶν μαθητῶν, ὃν οὔτε οἱ πατέρες ἡμῶν οὔτε ἡμεῖς ἰσχύσαμεν βαστάσαι; ὅτε τοίνυν ἕλληνες μὲν ἦσαν ὑφ' ἁμαρτίαν ὡς ἠγνοηκότες τὸν δημιουργὸν, ἰουδαῖοι δὲ ὡς τῆς τοῦ νόμου παραβάσεως ἔνοχοι, ἐδέησεν ἀναγκαίως τοῖς οὖσιν ἐπὶ τῆς γῆς τοῦ * δικαιοῦντος Χριστοῦ· δεδικαιώμεθα γὰρ, οὐκ ἐξ ἔργων τῶν ἐν δικαιοσύνῃ ὧν ἐποιήσαμεν ἡμεῖς, ἀλλὰ κατὰ τὸ πολὺ αὐτοῦ ἔλεος· αὐτὸς γὰρ ἦν ὁ καὶ πάλαι λέγων διὰ φωνῆς προφητῶν· ἐγώ εἰμι ὁ ἐξαλείφων τὰς ἀνομίας σου, καὶ οὐ μὴ μνησθήσομαι· διάττει γε μὴν ἡ δικαιοῦσα χάρις εἰς πάντας ἐν ἴσῳ, ἰουδαίους τέ φημι καὶ ἕλληνας, ὅτι καὶ πάντες ἥμαρτον καὶ ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ θεοῦ· δόξα θεοῦ δὲ νοοῖτ' ἂν εἰκότως, τὸ μήτε εἰδέναι μήτε μὴ πεφυκέναι πλημμελεῖν· κατόπιν δὲ πάντως τῶν τῆς θεότητος αὐχημάτων, πᾶσα ἡ γενητὴ κτίσις· παρώλισθον γὰρ καὶ τῶν ἀγγέλων τινές· πλὴν εὐδόκησεν ὁ θεὸς καὶ πατὴρ ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ τῷ δικαιοῦντι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι· τέθειται γὰρ ἱλαστήριον διὰ πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι· ἐπειδὴ γὰρ πεποίηται τῆς ἁπάντων ζωῆς ἀντάλλαγμα τὸ ἴδιον αἷμα, σέσωκε τὴν

Cod. f. 28. b.

* cod. ...

ὑπ' οὐρανὸν, ἵλεων τὲ καὶ εὐμενῆ κατέστησεν ἡμῖν τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς πατέρα καὶ θεόν.

Cap. III. 27. Ποῦ οὖν ἡ καύχησις; ἐξεκλείσθη.

Cod. f. 30. b. Τίς γὰρ ὅλως ἢ ἐπὶ τίσιν καυχήσεται, πάντων ἠχρειωμένων καὶ ἐκκεκλικότων τῆς εὐθείας ὁδοῦ, καὶ οὐδενὸς ὄντος παντελῶς τοῦ ποιοῦντος χρηστότητα; οὐκοῦν ἐξεκλείσθη, φησὶν, ἡ καύχησις, τουτέστιν ἐκβέβληται καὶ ἀνήρηται, τόπον οὐκ ἔχουσα παρ' ἡμῖν οὐδένα· ἐξεκλείσθη δὲ τίνα τρόπον; τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων πεπλουτήκαμεν, ἐλέῳ καὶ χάριτι δικαιούμενοι δωρεὰν ἐν Χριστῷ.

v. 31. Νόμον οὖν καταργοῦμεν διὰ πίστεως;

Cod. f. 31. b. Ἔφη τῷ θεσπεσίῳ Μωσεῖ ὁ τῶν ὅλων θεός· προφήτην αὐτοῖς ἀναστήσω ἐκ τῶν ἀδελφῶν αὐτῶν ὥσπέρ σε, καὶ δώσω τὸ ῥῆμά μου ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ, καὶ λαλήσει αὐτοῖς καθ' ὅ τι ἂν ἐντείλωμαι αὐτῷ· καὶ ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος ὃς ἐὰν μὴ ἀκούσῃ τῶν λόγων αὐτοῦ ὅσα ἂν λαλήσῃ ὁ προφήτης ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, ἐγὼ ἐκδικήσω ἐξ αὐτοῦ· πῶς οὖν οὐχ' ἱστῶμεν νόμον διὰ τῆς πίστεως τὸν παρ' αὐτοῦ προσιέμενοι λόγον; καὶ προφήτης ὠνόμασται διὰ τὸ ἀνθρώπινον ὁ Ἐμμανουὴλ, ὁ ὡς ἐν τάξει Μωσέως μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων. Καὶ πάλιν· ὁ μὲν νόμος ἦν ἐν σκιαῖς, πλὴν ὠδίνων ὁρᾶται τῆς ἀληθείας τὴν μόρφωσιν· οὐκ ἀναιρεῖ δὲ τοὺς τύπους ἡ ἀλήθεια, καθίστησι δὲ ἐμφανεστέρους.

Cap. IV. 2. Εἰ γὰρ Ἀβραὰμ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, ἔχει καύχημα ἀλλ' οὐ πρὸς τὸν θεόν.

Cod. f. 33. b. Χρῆναι δὲ ὑπολαμβάνω, ἔφη τις, τὸν περὶ τοῦ προπάτορος Ἀβραὰμ πολυπραγμονοῦντας λόγον, ἐκεῖνο εἰπεῖν· εἴρηταί που τινὶ τῶν ἁγίων μαθητῶν, δίχα τῶν ἔργων τὴν πίστιν εἶναι νεκράν· προσεπάγει δὲ τούτοις τὸ, θέλεις δὲ γνῶναι, ὦ ἄνθρωπε κενὲ, ὅτι ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρά ἐστιν; Ἀβραὰμ ὁ πατὴρ ἡμῶν οὐκ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, ἀνενέγκας Ἰσαὰκ τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον; ἆρ' οὖν ἀλλήλοις τἀναντία φασὶν οἱ πνευματοφόροι; τί οὖν πρὸς ταῦτα φαμέν; εἰς γῆρας ἐληλακότι λοιπὸν, ἀδοκήτως λίαν ἐπηγγέλλετο αὐτῷ υἱὸν ὁ τῶν ὅλων θεός· ἔφασκέν τε ὅτι τῇ τῶν ἄστρων ἀναριθμήτῳ πληθύϊ φιλονεικοῦν τὸ ἐξ αὐτοῦ γενήσεται σπέρμα· ὁ δὲ ἐπείπερ ἐτίμα τὸν ὑπισχνούμενον τὸ πάντα δύνασθαι κατορθοῦν, διὰ τούτου ἐπιμαρτυρῶν τῷ θεῷ, δεδικαίωται παρ' αὐτῷ, καὶ γέρας ἀντάξιον τῆς οὕτω θεοφιλοῦς ἐκομίζετο γνώμης τῶν ἀρχαίων αἰτιαμάτων τὴν ἀμνηστείαν·

πλὴν ἐποιεῖτο κατὰ καιροὺς γύμνασμα τῷ δικαίῳ θεὸς, ἐπί γε τῷ Ἰσαὰκ χρησμῴδημα· ἀλλ᾽ ἦν καὶ ἐπ᾽ αὐτῷ πιστὸς καὶ φιλόθεος, ὡς τῆς πρὸς θεὸν ἀγάπης προτάξας οὐδέν· πλὴν καθά φησι τοῦ σωτῆρος ὁ μαθητὴς, ἡ πίστις συνήργει τοῖς ἔργοις, καὶ ἐκ τῶν ἔργων ἡ πίστις ἐβεβαιώθη· ἔφη δέ που καὶ αὐτὸς ὁ θαυμάσιος Παῦλος περὶ τοῦ προπάτορος Ἀβραάμ· πίστει προσενήνοχε τὸν Ἰσαὰκ πειραζόμενος, καὶ τὸν μονογενῆ προσέφερεν ὁ τὰς ἐπαγγελίας ἀναδεξάμενος· πρὸς ὃν ἐλαλήθη, ἐν Ἰσαὰκ κληθήσεταί σοι σπέρμα· λογισάμενος ὅτι καὶ ἐκ νεκρῶν ἐγείρειν δυνατὸς ὁ θεός· οὐκοῦν κἂν εἰ λέγοιτο τυχὸν, ἐξ ἔργων δεδικαιῶσθαι διά τοι τὸ προσενεγκεῖν τὸν Ἰσαὰκ πειραζόμενον, ἀλλ᾽ ἦν καὶ τοῦτο αὐτῷ πίστεως τῆς ἑδραιοτάτης ἀπόδειξις ἐναργής. (1)

Οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ καυχώμενοι ἐν τῷ θεῷ. Cap. V. 11.

Ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς τὴν ἀξιάγαστον ἀληθῶς τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς ἀγάπησιν, ἣν εἰς ἡμᾶς ἐπεδείξατο, καθιστὰς ἐναργῆ, τῆς μετὰ σαρκὸς οἰκονομίας τὸ πέρας, καὶ τὸ ἐπὶ τῷ σταυρῷ πάθος παρεκόμιζεν εἰς ἀπόδειξιν, ὧδέ πη λέγων· οὕτω γὰρ ἠγάπησεν ὁ θεὸς τὸν κόσμον, ὥστε τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ ἔδωκεν, ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν μὴ ἀπόληται, ἀλλ᾽ ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον· ἔδωκε γὰρ ὡς ἀληθῶς ὑπὲρ ἡμῶν τὸν ἴδιον υἱόν· ἐκλελυτρώμεθα δὲ ἡμεῖς, ἀπηλλάγμεθα θανάτου καὶ ἁμαρτίας· οὐ γὰρ ἑτέρου τινὸς χάριν γέγονε σὰρξ ὁ λόγος, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, ἢ ἵνα τὸν τῆς σαρκὸς θάνατον ἀνατλὰς, θριαμβεύσῃ μὲν ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας, καταργήσῃ δὲ καὶ αὐτὸν τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου, τουτέστι τὸν σατανᾶν· καὶ ἀνέλῃ μὲν τὴν φθορὰν, ἀποστήσῃ δὲ σὺν αὐτῇ καὶ τὴν καθ᾽ ἡμῶν τυραννήσασαν ἁμαρτίαν· ἄπρακτόν τε οὕτως ἀποφήνῃ λοιπὸν τὴν ἀρχαίαν ἐκείνην ἀρὰν, ἣν ἡ τοῦ ἀνθρώπου φύσις ὑπέμεινεν ἐν Ἀδὰμ ὡς ἐν ἀπαρχῇ τοῦ γένους, καὶ ὡς ἐν ῥίζῃ τῇ πρώτῃ· παραβὰς γὰρ τὴν ἐντολὴν ὁ Ἀδὰμ, προσκέκρουκε τῷ δημιουργῷ· ταύτῃ τοι γέγονε καὶ ἐπάρατος καὶ θανάτῳ κάτοχος· ὁλοτρόπως δὲ ἀπολωλότας κατηλέησε πάλιν ὁ τῶν ὅλων δεσπότης· καθίκετο γὰρ ἐξ οὐρανῶν ὁ υἱὸς, ἀνιεὶς ἐγκλήματα, δικαιῶν ἐν πίστει τὸν ἀσεβῆ, μεταχαλκεύων ὡς θεὸς τὴν ἀνθρώπου φύσιν εἰς ἀφθαρσίαν, καὶ ἀνακομίζων εἰς τὸ ἀπ᾽ ἀρχῆς· καινὴ γὰρ κτίσις τὰ ἐν Cod. f. 15.

(1) Confer Wolfium anecdot. gr. T. IV. p. 64, qui olim ex catena quadam fragmenti huius cyrilliani partem sumpsit, quamquam aliis plerumque verbis a nescio quo eclogario convestitam.

Χριστῷ, ὅτι καὶ ῥίζα τέθειται καινή· γέγονε δὲ καὶ δεύτερος Ἀδάμ· καὶ οὐχ᾽ ὥσπερ ἐκεῖνος ὀργῆς παραίτιος καὶ ἀποστροφῆς τῆς ἄνωθεν τοῖς ἐξ αὐτοῦ γεγονόσι, πρόξενος δὲ μᾶλλον καὶ δοτὴρ τῆς πρὸς θεὸν οἰκειότητος, δι᾽ ἁγιασμοῦ τε καὶ ἀφθαρσίας, καὶ τῆς ἐν πίστει δικαιοσύνης· ταῦτα ἡμῖν ὁ σοφὸς ἐξηγεῖται Παῦλος διὰ τῆς προκειμένης ῥήσεως· οὐκοῦν ὡς δι᾽ ἑνὸς ἀνθρώπου, φησὶν, ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος, καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον· εἰσέδυ μὲν γὰρ, ὡς ἔφην, διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος ἐν τῷ πρωτοπλάστῳ καὶ ἐν τῇ τοῦ γένους ἀρχῇ· εἶτα ὅλον ἐφ᾽ ἑξῆς κατενεμήθη τὸ γένος· ἀλλὰ καὶ ὁ τῆς ἁμαρτίας εὑρετὴς δράκων ἰσχύσας ἐν Ἀδὰμ τοῖς τῆς φαυλότητος τρόποις, βατὴν εἴργασται τὴν ἀνθρώπου διάνοιαν· πάντες γὰρ ἐξέκλιναν, ἅμα ἠχρειώθησαν· ἐκ προσώπου δὴ οὖν γεγονότες τοῦ παναγίου θεοῦ διά τοι τὸ ἐπιμελῶς ἐγκεῖσθαι τὴν ἀνθρώπου διάνοιαν ἐπὶ τὰ πονηρὰ ἐκ νεότητος, ἀλογώτερον διεζῶμεν βίον· καὶ κατέπιεν μὲν ὁ θάνατος ἰσχύσας, ὡς ὁ προφήτης φησὶν, ἐπλάτυνε δὲ καὶ ὁ ᾅδης τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, καὶ διήνοιξε τὸ στόμα αὐτοῦ τοῦ μὴ διαλιπεῖν· ἐπειδὴ γὰρ τῆς ἐν Ἀδὰμ παραβάσεως γεγόναμεν μιμηταὶ καθ᾽ ὃ πάντες ἥμαρτον, ταῖς ἴσαις ἐκείνῳ δίκαις ὑπενενήγμεθα· ἀλλ᾽ οὐ μεμένηκεν ἀνεπικούρητος ἡ ὑπ᾽ οὐρανὸν, καθῄρηται γὰρ ἡ ἁμαρτία, πέπτωκεν ὁ σατανᾶς, κατήργηται δὲ καὶ ὁ θάνατος.

Cap. V. 13. Ἄχρι γὰρ νόμου ἁμαρτία ἦν ἐν κόσμῳ.

Cod. f. 46. Ὁ νόμος ὁ διὰ Μωσέως, ἔλεγχος ἦν, ὡς ἔφην, τῆς τῶν πταιόντων ἀσθενείας, οὐ λυτικὸς ἁμαρτίας· κατειργάζετο δὲ μᾶλλον ὀργήν· ἦν γὰρ ἀνάγκη τοὺς παραβαίνοντας, ταῖς ἐν νόμῳ διωρισμέναις ὑποφέρεσθαι δίκαις· οὗ δὲ δὴ ὅλως παραβάσεως τρόπος, ἐκεῖ που πάντως καὶ ἁμαρτία· καὶ εἴπερ ἐστιν ἁμαρτία θανάτου πρόξενος, πᾶσα πως ἀνάγκη συνερρῶσθαι λέγειν αὐτῇ καὶ τὸν ἐξ αὐτῆς ἀναφύντα θάνατον· καθῃρημένῃ τε πάντως συγκατασείεσθαι, καὶ οἷά περ ἰδίᾳ συνδιολλύσθαι μητρί· ἦν οὖν ἄχρι νόμου ἁμαρτία, φησὶν, ἐν κόσμῳ· κειμένου γὰρ ἔτι τοῦ νόμου, καὶ τὰ τῆς παραβάσεως ἐγκλήματα κατὰ τῶν πταιόντων ἐκρατύνετο· ἀργοῦντος δὲ ἤδη, πέπαυται σὺν αὐτῷ τοῦ παραβαίνειν ἡ γραφή· πεπαυμένης δὲ τῆς ἁμαρτίας, ὡς ἔφην, συμπεπαύσεται καὶ ὁ θάνατος.

Ἀλλ᾽ ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωσέως κ. τ. λ. Cap. V. 14.

Ἀλλ᾽ εἰ τοῦτο, τίνα τρόπον φαίη τίς ἂν, κατεκράτησε τῶν ἐπὶ τῆς γῆς καὶ πρὸ νόμου θάνατος; - Εἰ γὰρ καί τινες οὐ γεγόνασι ταῖς τοῦ νόμου παραβάσεσιν ἔνοχοι, διά τοι τὸ μήπω τεθεῖσθαι τὸν νόμον, ἀλλ᾽ ὑπέδυσαν καὶ αὐτοὶ τὴν φθορὰν ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ· ὅμοιον ὡσεὶ λέγοι τυχὸν ἐπιτρέχοντος τοῦ θανάτου καθ᾽ ὁμοιότητα τὴν Ἀδὰμ, τὸ ἐξ αὐτοῦ πᾶν γένος ὥσπερ φυτοῦ παθόντος βλάβος εἰς ῥίζαν, πᾶσα πως ἀνάγκη τοὺς ἐξ αὐτοῦ γεγονότας μαραίνεσθαι κλῶνας· τύπον γε μὴν αὐτὸν τοῦ μέλλοντος εἶναί φησι, τουτέστι Χριστοῦ, καί τοι παραγεγονότος ἤδη, καὶ τῆς μετὰ σαρκὸς οἰκονομίας διαπεράναντος τὸ μυστήριον· πῶς οὖν μέλλοντα καλεῖ, φαίη τίς ἂν ἴσως; παραθεὶς γὰρ ἡμῖν τὸν πρῶτον ἄνθρωπον, καὶ τῶν τῆς παραβάσεως διαμνημονεύσας καιρῶν, ὡς μετ᾽ αὐτοὺς παρεσόμενόν τε καὶ ἔσχατον Ἀδὰμ ὠνόμασε τὸν Χριστόν· προώριστο μὲν γὰρ ὡς ἐν θελήσει τὲ καὶ προμηθείᾳ τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς, σωτήρ τε καὶ λυτρωτής· ἐπέφανε δὲ καιροῖς ἰδίοις καθ᾽ οὓς ἠθέλησεν ὁ δυνάστης· οὗτοι δὲ εἰσὶν οἱ ἐν ἐσχάτοις καὶ οἷον ἐπὶ δυσμαῖς τοῦ παρόντος αἰῶνος· οὐκοῦν τεθεικὼς εἰς τύπον τοῦ πρώτου τὸν δεύτερον, μονονουχὶ καὶ διαπυνθάνεται τὸν ἀκροώμενον, ὡς ἐν ὑποστιγμῇ τε καὶ ἐρωτήσει λέγων τὰ ἑξῆς·

Ἀλλ᾽ οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα, οὕτω καὶ τὸ χάρισμα. v. 15.

Ὅμοιον γὰρ ὡς λέγοι, κατακεκρίμεθα τῷ θανάτῳ, διὰ τῆς ἐν Ἀδὰμ παραβάσεως, ὅλης τῆς ἀνθρωπείας φύσεως τοῦτο παθούσης ἐν αὐτῷ· καὶ γὰρ ἦν ἀπαρχὴ τοῦ γένους· ἀλλ᾽ ἐν Χριστῷ πάλιν ἀνεθάλλομεν εἰς ζωήν· τύπος δὲ ἦν ὁ Ἀδὰμ τοῦ μέλλοντος, τουτέστι Χριστοῦ, τῇ τῶν φθασάντων σκαιότητι τὴν ἰσομοιροῦσαν ἡμῖν εἰσκομίζοντος χάριν· ἆρα οὖν, φησὶ, τοῦτο λέγων διημάρτηκα τἀληθοῦς; ἔξω φέρομαι τοῦ εἰκότος; οὐχ᾽ ὡς τὸ παράπτωμα, οὕτω καὶ τὸ χάρισμα; ἀλλ᾽ ἴσχυσε μὲν δι᾽ ἑνὸς ὁ θάνατος, ἀτονήσει δὲ δι᾽ ἑνὸς ἡ ζωή; καί τοι πῶς οὐκ ἀληθὲς ἐκεῖνο εἰπεῖν; εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπέθανον, πολλῷ μᾶλλον ἡ χάρις τοῦ θεοῦ καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τοὺς πολλοὺς ὑπερίσσευσεν· ἀνέξεται γὰρ ἥκιστά γε, φιλάνθρωπος ὢν ὁ δημιουργὸς, κατισχῦσαι μὲν θάνατον διὰ τοῦ ἑνὸς, ἀπρακτῆσαι δὲ τὴν δι᾽ ἑνὸς ἀνθρώπου ζωήν· ὑπερκείσεται δὲ ἡ χάρις τὰ ἐξ ὀργῆς.

Cod. f. 46. b — Cod. f. 50

Cap. V. 16. Καὶ οὐχ ὡς δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος, τὸ δώρημα.

Cod. f. 51. Ἀνατίθησιν ὥσπερ τὴν τοῦ πράγματος φύσιν καὶ τὴν τοῦ νοήματος δύναμιν ἐπὶ τὸ ὅτι μάλιστα πρέπον τῷ θεῷ· εἰ γὰρ δὴ, φησὶ, τὸ ἐξ ἑνὸς, ἤ τοι δι' ἑνὸς, κατάκριμα τοῦ Ἀδὰμ ἀπεφοίτησεν εἰς πάντας καθ' ὁμοιότητα τὴν αὐτοῦ· ῥίζα γὰρ ἦν ὡς ἔφην τοῦ γένους παθοῦσα τὴν φθορὰν, πῶς οὐκ ἂν γένοιτο καὶ πίστει παράδεκτον καὶ ἀγαπητὸν τῷ θεῷ τὸ δεῖν ἐξ ἑνὸς δικαιώματος, ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων δικαιοῦσθαι πολλούς; ἢ οὐχ' αἱρετὸν τὸ σώζειν μᾶλλον, ἢ ἀπολλύναι παρὰ θεῷ; ὥσπερ τοίνυν καταδεδίκασται μὲν ὁ Ἀδὰμ, κατεκράτησε δὲ Μωσέως ἡ τῆς ἀρᾶς δύναμις ὑποφέρουσα τῇ φθορᾷ τοὺς ἐπὶ τῆς γῆς, οὕτως ἐπειδήπερ δεδικαίωται Χριστὸς ὁ δεύτερος Ἀδὰμ, ὁδῷ τῇ πρώτῃ βαδιεῖταί που πάντως καὶ εἰς ἡμᾶς ἡ δικαίωσις· δεδικαιῶσθαι δὲ φαμὲν τὸν Χριστὸν, οὐχ' ὡς ἄδικον μὲν γεγονότα ποτὲ, προήκοντά γε μὴν ἐξ ἐπιδόσεως τῆς εἰς τὰ ἀμείνω εἰς δικαίωσιν, ἀλλ' ὅτι πρῶτός τε καὶ μόνος ἄνθρωπος αὐτὸς ἐπὶ γῆς οὐκ ἐποίησεν ἁμαρτίαν, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ.

v. 17. Εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι ὁ θάνατος ἐβασίλευσε διὰ τοῦ ἑνὸς κ. τ. λ.

Cod. f. 51. b. Ἄθρει δὴ πάλιν ὡς ἀλκιμωτέραν τῆς κατακρινούσης ἀρᾶς καταλογίζεται τὴν δικαιοῦσαν χάριν· οὐ γὰρ δὲ, φησὶ, φαίη τίς ἂν ὡς ἦν εἰκὸς κατισχύσαι μὲν τῶν ἐπὶ τῆς γῆς τὸν δι' ἑνὸς θάνατον, εὐσθενείας γε μὴν ἀμοιρῆσαι τὴν ζωήν· πολλῷ γὰρ μᾶλλον οἱ χάριν ἔχοντες τὴν διὰ Χριστοῦ καὶ τὴν τῆς δικαιοσύνης δωρεὰν ἐκ φιλοτιμίας τῆς ἄνωθεν, ἀποσείσονται μὲν τοῦ θανάτου τὸ κράτος, συμβασιλεύσουσι δὲ τῷ ζωοποιοῦντι τὰ πάντα Χριστῷ.

v. 18. Ἄρα οὖν ὡς δι' ἑνὸς παραπτώματος, εἰς πάντας ἀνθρώπους, εἰς κατάκριμα κ. τ. λ.

Cod. f. 52. Προσεπάγει ταῖς προκειμέναις ἐννοίαις ὁ θεσπέσιος Παῦλος οἱονεὶ τὸ συμπέρασμα, καὶ φησίν· ἄρα οὖν ὡς δι' ἑνὸς παραπτώματος καὶ τὰ ἑξῆς· κατακεκρίμεθα μὲν γὰρ, ὡς προεῖπον, ἐν Ἀδὰμ, καὶ ὡς ἐκ ῥίζης τῆς πρώτης εἰς ἅπαν διέβη, τὸ ἐξ αὐτῆς, γενόμενος ὁ ἐξ ἀρᾶς θάνατος· δεδικαιώμεθα δὲ καὶ ἀνεβλαστήσαμεν εἰς ζωὴν, δικαιωθέντος ὑπὲρ ἡμῶν τοῦ Χριστοῦ· ἀφειδήσας μὲν γὰρ τῆς αὐτῷ δοθείσης ἐντολῆς ὁ προπάτωρ, προσκέκρουκε τῷ θεῷ καὶ ὑπομεμένηκε τὰ ἐκ θείας ὀργῆς· κατώλισθε γὰρ εἰς φθοράν· τότε καὶ εἰσήλατο τὴν ἀνθρώπου φύσιν ἡ ἁμαρτία· οὕτω καὶ ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν

οἱ πολλοὶ, τουτέστιν οἱ ἀνὰ πᾶσαν τὴν γῆν· ἀλλ' εἴποι τὶς ἄν· ναὶ ὠλίσθεν ὁ Ἀδὰμ, καὶ τῆς θείας ἀλογήσας ἐντολῆς, φθορᾷ καὶ θανάτῳ κατεδικάζετο· εἶτα πῶς ἁμαρτωλοὶ δι' αὐτὸν κατεστάθησαν οἱ πολλοί; τί πρὸς ἡμᾶς τὰ ἐκείνου πταίσματα; πῶς δὲ ὅλως οἱ μήπω γεγενημένοι καταδεδικάσμεθα σὺν αὐτῷ; καί τοι θεοῦ λέγοντος, οὐκ ἀποθανοῦνται πατέρες ὑπὲρ τέκνων, οὔτε τέκνα ὑπὲρ πατέρων, ψυχὴ ἡ ἁμαρτάνουσα αὕτη ἀποθανεῖται· τίς οὖν ἂν γένοιτο πρὸς ἡμᾶς τῆς ἀπολογίας ὁ τρόπος; οὐκοῦν ψυχὴ μὲν ἡ ἁμαρτάνουσα αὕτη ἀποθανεῖται· ἁμαρτωλοὶ δὲ γεγόναμεν διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ Ἀδὰμ διὰ τοιόνδε τρόπον· πεποίητο μὲν γὰρ ἐπὶ ἀφθαρσίᾳ καὶ ζωῇ, ἦν δὲ αὐτῷ καὶ ὁ βίος ἁγιοπρεπὴς ἐν τῷ παραδείσῳ τῆς τρυφῆς, ὅλος ἦν καὶ διὰ παντὸς ἐν θεοπτίαις ὁ νοῦς, ἐν εὐδείᾳ δὲ καὶ γαλήνῃ τὸ σῶμα, κατηρεμούσης ἁπάσης αἰσχρᾶς ἡδονῆς· οὐ γὰρ ἦν ἐκτόπων κινημάτων θόρυβος ἐν αὐτῷ· ἐπειδὴ δὲ πέπτωκεν ὑφ' ἁμαρτίαν, καὶ κατώλισθεν εἰς φθορὰν, ἐντεῦθεν εἰσέδραμον τὴν τῆς σαρκὸς φύσιν ἡδοναί τε καὶ ἀκαθαρσίαι, ἀνέφυ δὲ καὶ ὁ ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν ἀγριαίνων νόμος· νενόσηκεν οὖν ἡ φύσις τὴν ἁμαρτίαν διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς, τουτέστιν Ἀδάμ· οὕτως ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοὶ, οὐχ' ὡς τῷ Ἀδὰμ συμπαραβεβηκότες, οὐ γὰρ ἦσαν πώποτε, ἀλλ' ὡς τῆς ἐκείνου φύσεως ὄντες τῆς ὑπὸ νόμον πεσούσης τὸν τῆς ἁμαρτίας· ὥσπερ τοίνυν ἠῤῥώστησεν ἡ ἀνθρώπου φύσις ἐν Ἀδὰμ διὰ τῆς παρακοῆς τὴν φθορὰν, εἰσέδυ τε οὕτως αὐτὴν τὰ πάθη, οὕτως ἀπήλλακται πάλιν ἐν Χριστῷ· γέγονε γὰρ ὑπήκοος τῷ θεῷ καὶ πατρὶ, καὶ οὐκ ἐποίησεν ἁμαρτίαν.

Νόμος δὲ παρεισῆλθεν, ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα. Cap. V. 20.

Διαλογεῖταί τις, φησὶ, κατὰ τὸ εἰκὸς ἐκεῖνό που, καὶ λέγει· τύπος ἦν τοῦ μέλλοντος ὁ Ἀδὰμ, καὶ ὥσπερ ἐν ἐκείνῳ κατεστάθημεν ἁμαρτωλοὶ διὰ τὴν παράβασιν, οὕτως ἐν Χριστῷ δεδικαιώμεθα δι' ὑπακοῆς· ἔδει τοίνυν μεσολαβοῦντος, φησὶν, οὐδενὸς τὴν ἐν Χριστῷ δικαίωσιν τοῖς ἐπὶ γῆς ἀναφαίνεσθαι· εἶτα ποία γέγονε τῶν διὰ Μωσέως νόμων ὡς ἐξ ἀνάγκης ἡ χρεία; Πρὸς δὴ τὰ τοιαῦτα πάλιν ὁ θεσπέσιος Παῦλος μονονουχὶ καὶ ἀνίσταται λέγων· νόμος δὲ παρεισῆλθεν, ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα· τὸ δὲ παρεισῆλθεν, ἀντὶ τοῦ παρεισβέβληκε μεταξὺ τῆς τε ἐν Ἀδὰμ κατακρίσεως, καὶ τῆς ἐν Χριστῷ δικαιοσύνης· καὶ τίς ἂν νοοῖτο πάλιν τῆς τοῦ νόμου παρεισδρο- Cod. f. 53. b

μῆς ἡ χρεία, σαφῶς ἀκούσει λέγοντος, ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα· τί φῄς, ὦ Παῦλε; ἆρα καὶ ἁμαρτίας ὁ νόμος ἦν πρόξενος, καὶ πεπλήθυνται δι' αὐτοῦ τὸ παράπτωμα; μὴ γένοιτο· χρὴ τοίνυν κατευρύναι τῆς μυσταγωγίας τὸν τρόπον· ἔφη τοι γὰρ οὖν ὁ Δαβὶδ, ὅτι πάντες ἐξέκλιναν, ἅμα ἠχρειώθησαν, οὐκ ἦν ὁ ποιῶν χρηστότητα, οὐκ ἦν ἕως ἑνός· διεφθάρκασι μὲν γὰρ πάντες οἱ ἐπὶ τῆς γῆς τὴν ὁδὸν αὐτῶν μετὰ τὴν ἐν Ἀδὰμ παράβασιν· ταύτῃ τοι καὶ ἐκολάζοντο, κοινὴν μὲν ἅπαντες ὑπομείναντες δίκην τὸν κατακλυσμόν· ἰδικῶς δὲ καὶ κατὰ καιροὺς καὶ κατὰ χώρας τὲ καὶ πόλεις· εἰ γὰρ καὶ νόμος οὐκ ἦν, ἀλλ' οὖν καὶ ἐξ ἐμφύτων κινημάτων ἐπαιδαγωγεῖτο παρὰ θεοῦ πρὸς εἴδησιν τῶν ἀγαθῶν ἡ ἀνθρώπου φύσις· πεπραχότας δὴ οὖν ἀθλίως τοὺς ἐπὶ γῆς, κατηλέει θεὸς, καὶ τῆς τυραννούσης αὐτοὺς ἁμαρτίας ἀπαλλάττειν ἐν Χριστῷ φιλαγάθως ἐσκέπτετο· ἀλλὰ δεῖν ᾠήθη καὶ μάλα ὀρθῶς πολὺ, νοσοῦντας προαναφαίνεσθαι τοὺς ἐπὶ τῆς γῆς, ἵνα χρειωδεστάτην ἔχουσα τὴν εἰς τὸν κόσμον εἰσβολὴν, ἡ ἐν Χριστῷ δικαίωσις ὁρῷτο λοιπόν· δικαιοῦσθαι γὰρ φαμὲν οὐ τὸν ἤδη δίκαιον, ἀλλ' εἴ τις ἐστὶν ἁμαρτίαις ἔνοχος· πῶς οὖν ἔδει προαναδείκνυσθαι τοὺς ἐπὶ τῆς γῆς τῆς ἐν Χριστῷ χάριτος δεδεημένους; παρεισῆλθε νόμος, ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα· τουτέστιν, ἵνα ἐν τοῖς ὑπὸ νόμον πολὺ φαίνοιτο τὸ παράπτωμα, μηδενὸς δηλονότι δικαιοῦσθαι δυναμένου διὰ τὸ τῆς φύσεως ἀσθενὲς, ὑποπιπτόντων δὲ ὥσπερ ἁπάντων ταῖς ἐκ παραβάσεως αἰτίαις· τέθειται τοίνυν ὁ νόμος ἔλεγχος οἷά τις τῆς ἁπάντων ἀσθενείας, ἵνα φαίνοιτο τὰ ἀνθρώπινα μόνης τῆς διὰ Χριστοῦ θεραπείας δεδεημένα· ταύτῃ τοι φησίν· οὗ δὲ ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία, ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις· ἔδει γὰρ εἶναι τοσαύτην, ὡς ἀμείνω φαίνεσθαι τοῦ κατακρίνοντος νόμου.

Cap. VI. 3. Ἢ ἀγνοεῖτε ὅτι ὅσοι ἐβαπτίσθημεν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν;

Cod. f. 56. b. Βεβαπτίσμεθα μὲν ὁμολογουμένως εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος· εἰ δὲ δὴ λέγοι εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν βεβαπτίσμεθα, οὐκ ἔξω τοῦ εἰκότος ἐρεῖ· μάλιστα μὲν γὰρ ὀνόμασί τε καὶ ὑποστάσεσι καὶ προσώπων διαφοραῖς εἰς ἰδικὴν ἑτερότητα διεστήξει, πῶς πατὴρ πρὸς υἱὸν καὶ πρὸς ἄμφω τὸ πνεῦμα· πατὴρ γάρ ἐστιν ὁ πατὴρ καὶ οὐχ' υἱός· υἱὸς δ' αὖ πάλιν κατὰ φύσιν ὁ ἐξ αὐτοῦ καὶ οὐ πατὴρ, πνεῦμα δὲ ἰδικῶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· ἐπειδὴ δὲ ἐν


Ps. XXIV. 21. Ὅτι ὑπέμεινά σε κύριε.

Cod. M. f. 38. b. Κυρίλλου. Ἀντὶ τοῦ προσεδόκησα, βοηθὸν ἔσεσθαί μοι δηλαδή· δέχεται γὰρ οὕτω τὴν λέξιν ἡ θεία γραφή.

Ps. XXXIV. 13. Ἡ προσευχή μου εἰς κόλπον μου ἀποστραφήσεται.

M. f. 55. Κυρίλλου. Ἀντὶ τοῦ προσευχόμενος ἐδεχόμην παρὰ τοῦ θεοῦ τὰς αἰτήσεις, καὶ τὸν κόλπον μου ἐπλήρουν· τοῦτο σημαντικὸν ἂν εἴη τοῦ ἐναπομεῖναι ἐκείνους τῇ ἁμαρτίᾳ· οὐδὲν γὰρ ὠφελήθησαν φησὶ, τῇ ὑπερβολῇ τῆς ἀνοίας τὴν προσευχὴν ὥσπερ εἰς ἑαυτὸν ἐπανακάμψαι ποιήσαντες.

Ps. LVII. 9. Ὡσεὶ κηρὸς ὁ τακεὶς ἀνταναιρεθήσονται.

M. f. 95. Κυρίλλου. Δίκην δὲ κηροῦ πυρὶ πελάζοντος καὶ τηκομένου, διαλυθήσονται, καὶ τῆς ζωῆς στερηθήσονται· τοῦτο γάρ ἐστι, καὶ οὐκ εἶδον τὸν ἥλιον.

Ps. LXIV. 10. Ὅτι οὕτως ἡ ἑτοιμασία.

M. f. 105. Κυρίλλου. Οὕτως προνοητικώτατα καὶ θεοπρεπῶς· ἐντεῦθεν δηλονότι πρόῤῥησις μελλόντων, καὶ οὐ γεγενημένων διήγησις.

Ps. LXXI. 7. Ἕως οὗ ἀνταναιρεθῇ ἡ σελήνη.

M. f. 120. Κυρίλλου. Ἐπιτήρει ὅπως οὐκ εἶπεν ἀναιρεῖσθαι, ἀλλ' ἀνταναιρεῖσθαι τὴν σελήνην· ὡς γὰρ ἤδη ἀνελὼν τὸν ἄνθρωπον, ἀνταναιρεῖται ὁ διάβολος.

Ps. LXXII. 24. Ἐν τῇ βουλῇ σου ὡδήγησάς με.

M. f. 124. Κυρίλλου. Ἐπειδὴ ὁ τῆς δικαιοσύνης ἐργάτης ἐπὶ τῇ τοῦ θεοῦ χάριτι καυχώμενος ἔλεγεν ἐκράτησας κ. τ. λ. τουτέστι φύλακά με τῶν σῶν κατέστησας θελημάτων, ταύτης ἕνεκα τῆς αἰτίας μέγα καὶ ἐξαίρετον ἀποφαίνων ὁ τῶν ὅλων θεὸς οἱονεὶ πῶς ἀναφωνεῖ καὶ φησί· τί γάρ μοι ὑπάρχει κ. τ. λ.

Ps. LXXIX. 6. Ποτιεῖς ἡμᾶς ἐν δάκρυσιν ἐν μέτρῳ.

M. f. 142. Κυρίλλου. Ὀδυρόμενοι καὶ στένοντες μεταλαγχάνομεν τῆς ἀναγκαίας· τοῦτο δὲ πεποίηκας ἀντιμετρήσας ταῖς ἁμαρτίαις ἡμῶν τὴν τιμωρίαν.

Ps. LXXIX. 15. Ἐπίστρεψον δὴ καὶ ἐπίβλεψον.

M. f. 143. Κυρίλλου. Παῦσον τὴν ἀποστροφήν· ἐπιμελήθητι τῆς κεχερσωμένης, καθεὶς ἐπ' αὐτῇ τὸν νοητὸν ὑετόν· περίβαλε καθάπερ τινὶ φραγμῷ δυνάμεσι λογικαῖς καὶ τῇ σαυτοῦ δυνάμει καὶ χάριτι κατάρτισαι, ἣν ἐφύτευσεν ἡ δεξιά σου· δεξιὰ δὲ τοῦ πατρὸς ὁ υἱός· δι' αὐτοῦ γὰρ ὡς διὰ χειρὸς τὰ πάντα ἐργάζεται· τότε γὰρ ἡ ἐμπεπυρισμένη ἀναβλαστήσει καὶ ἀναβιώσεται καὶ ἀγαθοὺς ἐκδώσει καρπούς· οἱ γὰρ ἐμπυρίσαντες αὐτὴν ἀπολοῦνται· πρόσωπον δὲ θεοῦ

ὁ υἱός· εἰκὼν γάρ ἐστι καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, καὶ ἐν αὐτῷ τεθεάμεθα τὸν πατέρα.

Ps. LXXXVIII. 45. Κατέλυσας ἀπὸ καθαρισμοῦ αὐτόν.

Κυρίλλου. Τὸ κατέλυσας, ἀντὶ τοῦ κατήνεγκας· τὸ γὰρ λυόμενον καταφέρεται· κατήνεγκας τοίνυν ἀπὸ καθαρισμοῦ αὐτοῦ, τουτέστι ἀπὸ τοῦ πιστεύεσθαι ὅτι καθαρός ἐστιν· ὑπενοήθη γὰρ εἶναι πονηρὸς, καὶ ὡς ἁμαρτωλὸς κατεκρίθη. M. f. 159.

v. 50. Ἀρχαῖα ἐλέη *usque ad* ἡ σωτηρία. *Apud Corderium datur id fragmentum Athanasio, sed in codice vatic. Cyrillo.* M. f. 160.

Ps. XCIX. 3. Γνῶτε ὅτι κύριος αὐτός ἐστιν ὁ θεός.

Κυρίλλου. Οὗτός ἐστιν ὁ Χριστὸς, ὁ τῷ ἰδίῳ αἵματι πᾶσαν λυτρωσάμενος τὴν γῆν· αὐτός ἐστιν ὁ καὶ τοῦ ἡμετέρου ποιήματος δημιουργός· οὐ γὰρ αὐτομάτως συνέστημεν, ἀλλὰ τῶν χειρῶν αὐτοῦ ἔργον ἐσμέν· διὸ καὶ λαὸς αὐτοῦ, καὶ πρόβατα αὐτοῦ τυγχάνομεν· εἴη δὲ λαὸς ὁ λογικωτέραν τάξιν ἐπέχων· πρόβατα δὲ οἱ μὴ τοσαύτην ἔχοντες διάκρισιν, μηδὲ πεῖραν τῶν θείων λογίων, κατὰ τὸ, ἐπλανήθην ὡς πρόβατον ἀπολωλός. M. f. 176.

Denique admoneo, longum illud psalmi tertii prohoemium, quod Felckmannus edidit olim inter Athanasii supplementa, in codice A. f. 14–16. dici Ἀθανασίου καὶ Κυρίλλου; *ideoque in explanatione quoque hac cyrilliana pari iure posse, si libuerit, collocari.*

In catena vat. H. f. 409. b. ad Ps. XCII. 1. hoc reperiebam Theophili fragmentum, quod apud Corderium non legitur.

Τοῦ ἁγίου Θεοφίλου. Ὁ κύριος ἐβασίλευσεν, εὐπρέπειαν ἐνεδύσατο· ἐπειδὴ γὰρ ἔλαβεν φθαρτὸν σῶμα, εὐπρέπειαν ἐνεδύσατο, ἀναστήσας αὐτὸ οὐ φθαρτὸν, ἀλλ' ἄφθαρτον· ὁ κύριος ἐβασίλευσεν, εὐπρέπειαν ἐνεδύσατο· ἔλαβε γὰρ ἀναστήσας πάλιν τὸ ἑαυτοῦ σῶμα, κατὰ τὴν οἰκείαν ἐπαγγελίαν· λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν· ὃ ἤγειρε τοίνυν, ἐνεδύσατο σῶμα· ἔλεγε γάρ· οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδην, οὐδὲ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν· ἔτι δὲ καὶ ἡ σάρξ μου κατασκηνώσει ἐπ' ἐλπίδι· ἀναστὰς, ἐν τῷ μνήματι οὐκ ἔμεινεν· ἀλλὰ καὶ μείνας ἐν τῷ μνήματι, οὐκ οἶδεν διαφθοράν· οὐκ ἐκράτησεν αὐτοῦ ἡ διαφθορά· ὁ ἄφθαρτος λόγος τὸ φθαρτὸν ἀνέστησε σῶμα εἰς ἀφθαρσίαν.

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΚΥΡΙΛΛΟΥ.

Ἐκ τοῦ λόγου, οὗ ἡ ἐπιγραφὴ, Ἀπόδειξις διὰ τῶν ἀρχῆθεν γεγενημένων θείων χρησμῶν τοῖς θεσπεσίοις πατριάρχαις περὶ τῆς ἀμείψεως καὶ μεταθέσεως τῶν Ἰουδαίων καὶ τῶν ἐθνῶν.

Ἡ τοῦ Ἀβραὰμ ἀντονομασία κατείληπται σημαίνουσα τὸν τριαδικὸν ἀριθμὸν τῶν θεαρχικῶν ὑποστάσεων· ἐπεὶ γὰρ Ἄβραμ ὠνομάσθη ὁ θεσπέσιος πα-

τριάρχης, Ἀβραὰμ ἀντωνομάσθη θεόθεν, εἰ μέν τις ἕλοιτο διερμηνεῦσαι τουτὶ, τοῦ ὀνόματος τὸ προκαταρκτικὸν στοιχεῖον τὸ α´ ἄγων μετὰ τοῦ συνημμένου καὶ συμπελάζοντος αὐτῷ, τοῦ β´ φημὶ, πάντως εὑρήσει καθ' ὑπερβιβασμὸν τοῦ μετὰ τὸ ρ´ α´, σημαῖνον πατήρ· τὸ γὰρ ἀβὰ, πατὴρ ἑρμηνεύεται δήπουθεν· εἰ δέ γε πάλιν διῃρημένως τὸ δεύτερον τῇ θέσει στοιχεῖον, λέγω δὴ τὸ β´, μετὰ τοῦ συνημμένου καὶ συμπελάζοντος αὐτῷ ρ´ διασαφῆσαι θελήσει, πάλιν εὑρήσει καθ' ὑπερβιβασμὸν ὡσαύτως τοῦ αὐτοῦ α´, σημαῖνον υἱός· τὸ γὰρ βὰρ, υἱὸς ἑρμηνεύεται δήπουθεν· εἰ δὲ τὸ τελικὸν στοιχεῖον, λέγω δὴ τὸ μ´, μετὰ τοῦ συνημμένου καὶ συμπελάζοντος αὐτῷ προσαναγνῶναι καὶ διασαφῆσαι βουληθείη, πάλιν ἀνθυποστρόφως εὑρήσει κατὰ σύλληψιν τοῦ αὐτοῦ ρ´, σημαῖνον ὕψιστος· ἑρμηνεύεται γὰρ δηλονότι τὸ μὰρ, ὕψιστος· ὅπερ τοῦ παναγίου πνεύματος αἰνίττεται τὴν ὑπόστασιν· θεὸν αὐτὸν πεφυκέναι καὶ εἶναι περιφραστικῶς ἡμᾶς διδασκούσης τῆς λέξεως· οὐδὲν γὰρ ἕτερον ὁ ὕψιστος πέφυκεν, ἀλλ' ἢ πάντως κατὰ φύσιν θεός· ταύτης οὖν ὑπὸ θεοῦ τῷ πατριάρχῃ δοθείσης ἀντονομασίας, εὕρηται σαφῶς προγεγραμμένον τὲ καὶ προδεδηλωμένον καὶ τὸ τῆς ἁγίας τριάδος ἀποῤῥητότατον καὶ μυστικώτατον δόγμα, σαφῶς ἐξ ὀνόματος πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα ἐμφαινούσης καὶ σημαινούσης καὶ μυσταγωγούσης τῆς τοῦ Ἀβραὰμ προσηγορίας, κατὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν ἐπὶ τῆς θεολογίας ἀριδηλοτάτην ὀνομασίαν καὶ ἀπαρίθμησιν καὶ παράδοσιν.

Sancti Cyrilli ad acta apostolica in vaticanis codicibus quatuordecim fragmenta inveneram, quae Oecumenii editio non habet, sed ea tamen his annis vulgata cognovi in catena Oxonii edita, uno excepto quod ego sumo ex catena ms. Nicetae, non Serrarum, sed Naupacti episcopi, nempe ad cap. VII. 47.

Σολομὼν δὲ ᾠκοδόμησεν αὐτῷ οἶκον· ἀλλ' οὐχ ὁ ὕψιστος ἐν χειροποιήτοις ναοῖς κατοικεῖ.

Cod. f. 200. Κυρίλλου. Ἀνεδείματο μὲν ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις τὸν διαβόητον ἐκεῖνον νεὼν ὁ σοφώτατος Σολομών· ἐπετάννυτο δὲ λίαν αὐτῷ τῶν Ἰουδαίων ὁ δῆμος, ᾤοντό τε ὅτι κατῴκησεν ἐν αὐτῷ περιειλημμένος ὁ τῶν ὅλων θεός· βραδεῖς γὰρ ἀεί πως εἰς σύνεσιν καὶ τῶν περὶ θεοῦ λόγων ἀνεπιστήμονες· οἵ γε καὶ θεοῦ πόλιν οἰηθέντες τὴν Ἱερουσαλὴμ, ἐν αὐτῇ δὲ καὶ μόνῃ διετείνοντο * κατοικεῖν αὐτὸν, διά τοι τοῦ λέγεσθαι διὰ φωνῆς τοῦ Δαβίδ· δεδοξασμένα ἐλαλήθη περὶ σοῦ, ἡ πόλις τοῦ θεοῦ· σμικρὰ τοιγαροῦν δοξάζοντας ἐλέγχει θεὸς, καὶ φησί· ποῖον οἶκον οἰκοδομήσετέ μοι, θρόνον ἔχοντι τὸν οὐρανὸν, ὑποπόδιον τὴν γῆν;

* cod. διεγίνοντο.



EX THEODORO MOPSUESTIAE EPISCOPO

PSALMI LIV. ARGUMENTUM.

Theodori mopsuesteni prolixum argumentum in psalmum 45, in quo Iudaeorum historia a temporibus captivitatis usque ad Antiochum illustrem et Oniae fugam in Aegyptum summatim attingebatur, extitisse ms. apud anglum Galaeum, narrant Cavaeus atque Fabricius, ubi de scriptis doctissimi Mopsuesteni pro ipsorum instituto agunt. Ecce autem ego quoque id argumentum in vaticana ad psalterium catena nactus sum, in codice inquam B. f. 211-212. Simul tamen comperi, errore typographico scribi apud praedictos auctores 45, pro 54, perversis nempe numeralibus notis: nam re quidem vera hoc argumentum non 45, sed 54. psalmi est; quod ne diutius lateat, typis sine mora imprimere decrevi. Nobile quippe fragmentum est, inter plurima quae auctoris huius vulganda mihi supersunt: nec tam merito historico, utpote in re pervulgata, commendatur, quam quia hinc denuo cognoscimus, quomodo famigeratus ss. bibliorum interpres Theodorus ab historia veteris testamenti, ad res novi foederis, atque ad vaticinia de Christo transire solitus fuerit: quam rem in eius integro etiam ad XII. prophetas minores commentario, quem nos olim edidimus Script. vet. T. VI, observare non semel licuit.

Θεοδώρου. Τῆς αἰχμαλωσίας ἀπαλλαγέντες [οἱ Ἰουδαῖοι] τῆς ἐν Βαβυλῶνι παραδόξως τῇ τοῦ θεοῦ δυνάμει, κατεσκεύασαν μὲν τὸν ναὸν καὶ οἰκείαν πάλιν ᾤκησαν γῆν· ἀπειλήφει δὲ καὶ ἡ πόλις τὸν οἰκεῖον ἅπαντα κόσμον, ἀλλὰ καὶ βαθείας ἀπήλαυον τῆς εἰρήνης· καὶ δὴ τοῦ χρόνου παραβαίνοντος, ἀρχιερεὺς τοῦ ἔθνους γεγένηται Ὀνίας ἀνὴρ δικαιότατος καὶ εὐσεβέστατος· τότε δὲ τοὺς ἀρχιερεῖς καὶ τὴν ἀρχὴν τοῦ ἔθνους ἐμπεπιστεῦσθαι συνέβαινεν· τῇ τοίνυν ἐπιστασίᾳ τοῦ Ὀνίου, μετὰ πάσης ἀκριβείας τῶν νομίμων φυλαττομένων, καὶ τῆς εἰς τὸν θεὸν εὐσεβείας ἄριστα πληρουμένης, Σίμων τις ἐκ τῆς φυλῆς Βενιαμὶν, Σελεύκου τότε βασιλεύοντος τῆς Ἀσίας ἁπάσης, Συρίας τε καὶ Φοινίκης, προστασίαν τινὰ πεπιστευμένος τοῦ ἱεροῦ, διηνέχθη μὲν οὐκ εὐλόγως πρὸς τὸν Ὀνίαν· ἐν δὲ τῇ πρὸς αὐτὸν ἡττηθεὶς διαφορᾷ, κοινοῦται Ἀπολλωνίῳ τῷ στρατηγῷ, φήσας ἀποκεῖσθαι πάμπολλα χρήματα ἐν τῷ ναῷ, ἃ δυνατὸν ληφθέντα χρήσιμα τῷ βασιλεῖ γενέσθαι πρὸς στρατολογίαν· γίνεται δὲ τοῦτο καὶ τῷ βασιλεῖ γνώριμον διὰ τοῦ στρατηγοῦ· καὶ δεξάμενος τὰ παρὰ τοῦ στρατηγοῦ μηνυθέντα, Ἡλιόδωρόν τινα τῶν οἰκείων ἀποστέλλει ληψόμενον τὰ χρήματα· καὶ δὴ παραγεγονὼς ὁ Ἡλιόδωρος, ἔγνω χρημάτων μὲν οὐκ εἶναι τοσοῦτον πλῆθος ἐν τῷ ἱερῷ ὅσον ἡ τοῦ Σίμωνος ἐβούλετο διαβολὴ, εἶναι δὲ ὀλίγα, καὶ ταῦτα παρακαθήκας ἑτέρων, οἳ πρὸς τὴν ἀξιοπιστίαν τοῦ τόπου, καὶ τὴν τοῦ θεοῦ δύναμιν ἀποβλέψαντες, τὰς παρακαθήκας ἀπέθεντο· συνεβούλευεν δὲ ὁ Ὀνίας, μηδὲν ἐπιχειρῆσαι λαβεῖν τῶν ἀποκειμένων· ὕβρις γάρ, φησιν, εἰς τὸ θεῖον τὸ γινόμενον, καὶ λυπήσεις ἐκεῖνο οὗ τὴν παρακαθήκην ἀποσυλήσεις· ἔμελλεν τούτων οὐδὲν τῷ Ἡλιοδώρῳ, μείζονα πάντων κρίναντι τὸ τοῦ βασιλέως εἰς πέρας ἀγαγεῖν πρόσταγμα· εὐχαὶ μὲν οὖν καὶ θρῆνοι κατὰ τὴν πόλιν ἐγίγνοντο ἐπὶ τούτοις ἱκετευόντων τὸν θεὸν μὴ καταλιπεῖν

Machab. II 3. et 4

ἀνεκδίκητον τὴν τόλμαν· εἰσῄει δὲ τῇ ἑτέρᾳ ὡς τὰ χρήματα ληψόμενος· καὶ ὁ θεὸς ταῖς ἱκεσίαις τοῦ πλήθους ἐπινεύσας, καὶ τοῦ ἀρχιερέως τὴν εὐσέβειαν ἀποδεξάμενος, φοβερωτάτῃ τινὶ ἐπιφανείᾳ τοῦ τολμήματος ἀπεσκεύασεν· ὤφθη γὰρ εἰσιέναι μέλλοντι ἵππος διὰ τοῦ ἀέρος φοβερὸς μὲν ὄψιν, φαιδρὸς δὲ τὸ σχῆμα, ἐποχούμενόν τε ἔχων μετὰ χρυσῆς τῆς πανοπλίας, ὃς καὶ μετὰ πολλοῦ τοῦ ῥυζήματος ταῖς ἐμπροσθίαις ὁπλαῖς τὸν Ἡλιόδωρον ἔπληξεν· δύο τε νεανίαι, φοβεροὶ καὶ οὗτοι τὴν θέαν, ἐπίδοξοί τε τὸ σχῆμα, περιστάντες ἐντεῦθεν κἀκεῖθεν ἐμαστίγουν· καὶ οὕτως ἀπὸ τῆς ὀπτασίας καὶ τῶν πληγῶν καταπεσὼν ἤρθη μικροῦ νεκρὸς ὑπάρχων· δεήσεις ὑπὲρ τούτων πρὸς τὸν Ὀνίαν ἐγίγνοντο παρὰ τῶν συνόντων τῷ Ἡλιοδώρῳ, ἱκετεῦσαι τὸν θεὸν, χαρίσασθαι αὐτῷ τοῦ προσδοκωμένου θανάτου τὴν ἀπαλλαγήν· ὃ καὶ ποιήσας ὁ Ὀνίας εὐθὺς, καὶ θυσίας προσαγαγὼν ὑπὲρ αὐτοῦ, ἀπήλλαξε τῆς κατεχούσης νόσου· ἐπιφανέντος τε αὐτῷ τοῦ θεοῦ, καὶ πολλὰς ἔχειν χάριτας τῷ ἀρχιερεῖ παρακελευσαμένου· οὕτω διασωθεὶς καὶ θυσίας τῷ θεῷ προσκομίσας, ἐπανῆλθεν πρὸς τὸν βασιλέα διηγησάμενος τὰ γεγονότα· ἀλλ' οὐκ ἀφίστατο τῆς οἰκείας μοχθηρίας ὁ Σίμων· παρέμενεν δὲ πολλαῖς κατ' αὐτοῦ κεχρημένος διαβολαῖς· καὶ διὰ τοῦτο μέχρις τοῦ βασιλέως Ὀνίας γενόμενος, ἔγνω τὰς κατ' αὐτοῦ πάσας διαβολὰς, ὥστε καὶ τῷ ἔθνει περιποιῆσαι τὴν προσήκουσαν εἰρήνην.

Ἀλλ' ἐν τούτοις ὄντος τοῦ Ὀνίου, τελευτᾷ μὲν ὁ Σέλευκος, παραλαμβάνει δὲ τὴν βασιλείαν ὁ Ἐπιφανὴς Ἀντίοχος, ἐφ' οὗ Ἰάσων τις ἀδελφὸς τοῦ Ὀνίου ἔφησε πολλῶν χρημάτων πρόσοδον τῷ βασιλεῖ προσάξαι, εἰ λάβοιτο τῆς ἀρχιερωσύνης αὐτός· δώσειν δὲ καὶ ἕτερα πλείονα, εἰ καὶ γυμνάσιον κατασκευάσειεν ἐν τῇ πόλει, καὶ τὴν περιτομὴν αὐτῶν λύσειεν, καὶ ὅλως ἐξαλλάξαι τὰ νόμιμα συγχωρηθῇ· ἐπείσθη τούτοις τοῖς ῥήμασι, παραδίδωσί τε αὐτῷ τὴν ἀρχήν· καὶ ὁ μὲν Ὀνίας εὐσεβέστατός τε καὶ δικαιότατος ὢν ἀνὴρ, ἔξω τῆς ἀρχιερωσύνης κατέστη· ὁ δὲ Ἰάσων, τῆς τε ἱερωσύνης καὶ τῆς ἐξουσίας ἐπιλαβόμενος, εὐθὺς ἐπὶ τὸν ἑλληνικὸν χαρακτῆρα μετήγαγεν τοὺς Ἰουδαίους, γυμνάσιόν τε κατεσκεύασεν παρὰ τὸ ἰουδαϊκὸν ἔθος· καὶ τὰ νόμιμα δὲ ἐξαλλάξαι παρασκευάσας, ἅπαντας μὲν ἀνελεῖν τῆς εἰς τὸν θεὸν θεραπείας καὶ τῶν τοῦ νόμου προσταγμάτων ἔπεισεν, προσέχειν δὲ τοῖς ἔθεσιν τοῖς ἑλληνικοῖς, γυμνασίοις, καὶ παλαίστραις, καὶ τοῖς τοιούτοις· ἠμελεῖτο δὲ λοιπὸν καὶ τὰ τῆς περιτομῆς, κατεφρονεῖτο καὶ τῶν σαββάτων ἡ τήρησις, καὶ ὅλως εἰς ἑλληνικὸν σχῆμα τὰ κατὰ τὴν πόλιν μετέπεσεν· ταῦτα ὁρῶν ὁ μακάριος Ὀνίας ἐπὶ πολὺ γινόμενα, ἠθύμει καὶ ἠγανάκτει καὶ ἐστέναζεν· ὡς δὲ καὶ προβαῖνον ἑώρα τὸ κακὸν, καταλιπὼν ἀνεχώρησεν, καὶ εἰς τὴν Αἴγυπτον καλῶν *, θυσιαστήριόν τε ἐπήξατο, καὶ ναὸν κατεσκεύασεν, καὶ τῆς εἰς τὸν θεὸν εὐσεβείας ἐπεμελήσατο, τοῖς ἐκεῖ Ἰουδαίοις τὰ δέοντα περὶ τὴν τοῦ θεοῦ θεραπείαν ὑποτιθέμενος.

Ταῦτα ὁ μακάριος προφητεύει Δαβὶδ ἐν τῷ παρόντι ψαλμῷ· καὶ τὸ τοῦ Ὀνίου πρόσωπον ἀναλαβὼν, ταῦτα ἐφθέγγετο, ὅσα εἰκὸς ἦν λέγειν ἐκεῖνον

* ita cod

ἐπιβουλευόμενον ὑπὸ τῶν οἰκείων ἐκβαλλόμενον τῆς ἱερωσύνης ὑπὸ τῶν Ἀντιόχου· ὁρῶντα τὴν μοχθηρίαν τῶν τότε τὴν πόλιν οἰκούντων, διά τε τὰς ἐν αὐτῇ πλεονεξίας, καὶ τὴν τῶν νομίμων ἐναλλαγὴν, καὶ τὴν ἑκάστοτε γινομένην τῶν κακῶν ἐπίτασιν, ἤδη καὶ περὶ φυγῆς βουλευόμενον· εἴρηκε μὲν τὸν ψαλμὸν ὁ μακάριος Δαβὶδ, ὑπὸ τοῦ Σαοὺλ διωκόμενος, καὶ μετανάστης γενόμενος, ἐν ἐρήμῳ τε διάγειν ἀναγκαζόμενος· προθεσπίζει δὲ κατὰ ταυτὸν καὶ τὰς τῶν Ἰουδαίων κατὰ τοῦ σωτῆρος ἐπιβουλὰς, καὶ ἐν ἑαυτῷ προδιαγράφει τὰ τοῦ δεσπότου παθήματα· αὐτός τε γὰρ ὑπὸ τοῦ εὐεργετηθέντος Σαοὺλ ἐξηλαύνετο, καὶ ὑπό τινων γνωρίμων προδίδοτο, καὶ τὸν δεσπότην προεώρα τοῖς τοῦ πνεύματος ὀφθαλμοῖς ταυτὸ τοῦτο πεισόμενον· διὰ τοῦτο καὶ εἰς τὸ τέλος ἡ ἐπιγραφὴ παραπέμπει τὸν ἐντυχάνοντα, καὶ συνετῶς προσέχειν τοῖς λεγομένοις παρεγγυᾷ, ὡς τῆς προφητικῆς διανοίας κεκαλυμμένης, καὶ μετὰ χρόνου δεχομένης τὸ τέλος· πρὸς δὲ τούτοις καὶ τοῖς ὕμνοις ὁ ψαλμὸς ἐγκατείλεκται, σκιαγραφίαν τινὰ ἔχων τῶν δεσποτικῶν παθημάτων· δίκαιον γὰρ ἀεὶ ὑμνεῖν τὸν ταῦτα παθεῖν ὑπὲρ τῆς τῶν ἀνθρώπων ἀνασχόμενον σωτηρίας· ἀλλὰ μηδεὶς τῇ ταπεινότητι τῶν ῥημάτων προσέχων, ἀνάξια ταῦτα ἡγείσθω τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ· σκοπείτω δὲ ὡς ὁ χολῆς καὶ ὄξους καὶ τῶν τοιούτων ἀνασχόμενος, οὐκ ἂν λόγων ταπεινότητα παρῃτήσατο· κατάλληλα γὰρ εἶναι τὰ ῥήματα προσήκει τοῖς πράγμασιν· αὐτοῦ δέ ἐστιν ἡ φωνὴ τὸ, μάθετε ἀπ' ἐμοῦ ὅτι πρᾷός εἰμι καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ, καὶ εὑρήσετε ἀνάπαυσιν ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν· καὶ πάλιν· ἐντολὴν ἔλαβον, τί εἴπω καὶ τί λαλήσω, καὶ οὐδὲν ἀφ' ἐμαυτοῦ ποιῶ· καὶ, θεέ μου, θεέ μου, ἵνα τί με ἐγκατέλιπες; ταῦτα δὲ καὶ τὰ τοιαῦτα ἀνθρωπίνως ἐφθέγγετο, καὶ τὴν ἀνθρωπείαν φύσιν ὑπεδείκνυ, καὶ οἰκονομῶν * τὴν τῶν Ἰουδαίων ἀσθένειαν· ἐνταῦθα μέν τοι ὁ θεῖος Δαβὶδ καὶ τὴν εἰς αὐτὸν γεγενημένην ἀδικίαν διδάσκει, καὶ τὴν εἰς τὸν δεσπότην ἐσομένην προδιαγράφει τῇ κοινωνίᾳ τῶν παθημάτων, ἐναβρυνόμενος καὶ μονονουχὶ βοῶν μετὰ Παύλου· ἐγὼ τὰ στίγματα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματί μου βαστάζω.

* cod. οἰκοδομῶν.

In praedicto codice B. f. 112. b. hoc etiam extat eiusdem Theodori argumentum ineditum psalmi XXXIV.

Θεοδώρου. Ἐν τούτῳ τῷ ψαλμῷ τὰ κατὰ τὸν Ἱερεμίαν ὁ μακάριος προφητεύει Δαβίδ· τό τε ἐκείνου πρόσωπον λαβὼν ἐν τῇ προφητείᾳ ταῦτα φθέγγεται, ἅπερ εἰκὸς ἦν ἐκεῖνον εἰπεῖν ἐν τῷ πράγματι καθεστῶτα. ταύτῃ μάλιστα κεχρημένος ἐν τοῖς πλείοσιν τῇ συνηθείᾳ· λέγων τε ἅπερ ἐκείνοις εἰπεῖν ἁρμόττει περὶ ὧν πεποίηται τὴν προφητείαν· διαλλάττει δὲ οὐδ' ὁ ψαλμὸς ὧδε, πλὴν τοῦ προσώπου τῶν περὶ τοῦ λαοῦ τοῦ ἐν Βαβυλῶνι· κατὰ γὰρ τὸν αὐτὸν γενομένου καιρὸν τοῦ προφήτου, κἀκεῖνα προσλέγοντος ἐγγύθεν ἐσόμενα ἅπερ καὶ οἱ λοιποὶ πόῤῥωθεν ἔλεγον προφῆται· καὶ διὰ τοῦτο ἅπαντα πάσχοντος ὑπὸ τοῦ λαοῦ ὅσα δὴ καὶ πέπονθεν, τῷ τὰ περὶ ἐκεῖνον εἰπεῖν, σαφῶς ἐστὶν ἐκεῖνα εἰπεῖν πρὸς τὸ δεῖξαι ὅτι καὶ δικαίως ἔπασχον, οὐδὲ τῷ πλησίον τῶν

καιρῶν προφήτῃ πειθόμενοι, ὅτε καὶ ἡ ἔκβασις ἐγγύθεν ἐπιστοῦτο τὴν πρόῤῥησιν τῶν λεγομένων· ποιεῖται δὲ τὴν περὶ τοῦ μακαρίου Ἱερεμίου προφητείαν ὁ μακάριος Δαβὶδ οὐχ ἁπλῶς, ἀλλ' ἐπειδὴ δι' ὅλου ἐν τοῖς πλείοσι τῶν ψαλμῶν τὰ τοῖς λαοῖς συμβησόμενα προσαγορεύει.

DIDYMI FRAGMENTUM.

Didymi alexandrini, qui divi nostri Hieronymi praeceptor fuit, permulta habeo insignia fragmenta, quae suo tempore luce donabo. Interim eruditam eius et adhuc ineditam, speciminis ergo, proferam expositionem in quarti psalmi titulum: εἰς τέλος ἐν ψαλμοῖς ᾠδὴ τῷ Δαβίδ. *Sic ergo in vetere codice vaticano I. f.* 18. *legebam.*

Διδύμου. Ὠδή ἐστιν ἐπινίκιος ἢ χαριστήριος αἶνος μόνῃ φωνῇ προφερόμενος· ψαλμὸς δὲ ὕμνος ὀργάνῳ τῷ καλουμένῳ ψαλτηρίῳ ἢ καὶ κιθάρᾳ κρουόμενος· εἴη δὲ πρὸς ἀναγωγὴν, ᾠδὴ ἡ θεωρία τῆς ἀληθείας μόνῃ νοήσει μεμουσωμένῃ γενομένη. Ψαλμὸς δὲ, πράξεις κατὰ λόγον τὸν ὀρθὸν ἐπιτελούμεναι· ὡς ψάλλειν μὲν, τὸν πρακτικὸν βίον ἔχοντα· ᾄδειν δὲ, τὸν θεωρητικόν· ἐπεὶ τοίνυν ὁ Δαβὶδ θεωρεῖ καθαρᾷ καρδίᾳ τὸν θεὸν καὶ τὴν ἀλήθειαν αὐτοῦ, ᾠδὴν προφέρει, ἣν εἶναι ἐν ψαλμοῖς λέγει, διὰ τὸ πολλὰ πρακτικῶς αὐτῷ κατωρθῶσθαι· αὕτη ἡ ᾠδή. Εἰς τὸ τέλος ἐστὶν ἐκεῖνο, ὃ καλεῖν εἰώθασιν ἔσχατον ὀρεκτὸν, τῷ αὐτοῦ ἕνεκα τὰ ἄλλα πάντα εἶναι αἱρετὰ καὶ ὀρεκτά· αὐτὸ δὲ οὐκ ἄλλου χάριν, ὅπερ ἐστιν ἡ πάντων τελείωσις· περὶ οὗ καὶ ὁ Παῦλος φησίν· εἶτα τὸ τέλος, καθ' ἣν ὅμοιός τις τῷ θεῷ γεγενημένος, ὄψεται αὐτόν. Κατὰ τί δὲ βούλεται καὶ τὸ τῷ Δαβὶδ τὴν ᾠδὴν, ἀλλὰ μὴ τοῦ Δαβὶδ ἀναγεγράφθαι; φασὶν τοίνυν τινὲς, τοῦ Δαβὶδ εἶναι τὸν ψαλμὸν ἢ τὴν ᾠδὴν, ὅτ' ἂν αὐτὸς ᾖ προσενεγκὼν θεοπνευσθείς· τῷ Δαβὶδ δὲ εἶναι τὴν ᾠδὴν ἢ τὸν ψαλμὸν, ὅτ' ἂν πρὸς αὐτὸν τὰ λεγόμενα ἀναφορὰν ἔχῃ· συμπίπτει δὲ πολλάκις καὶ αὐτοῦ καὶ αὐτῷ εἶναι τὸ ἀπαγγελλόμενον, ὅτ' ἂν αὐτοῦ διακονησαμένου τῷ πνεύματι τὰ ὑποβαλλόμενα ὑπ' αὐτοῦ προελεχθῇ· εἶτα δοθέντος τοῦ ψαλμοῦ τινὶ τῶν ᾀδόντων, ἀπηγγέλθη δι' ἐκείνων τῷ Δαβίδ· ὁποτέρως δ' ἔχει ἕκαστον τῶν ἐν ταῖς γραφαῖς κειμένων, μόνου τοῦ κατὰ θεὸν σοφοῦ εἰδέναι.



VOLUMINIS

PARS LATINA.

SANCTI CYRILLI

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

EXPLANATIO

IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

De filio suo, qui factus est ex semine Davidis secundum carnem. CAP. I. 3.

Igitur sicut imagines ad exemplar se habent, ita nos adoptivi filii ad illum qui natura et virtute filius est, verumque eius rei testimonium a patre accepit, per Spiritum sanctificationis, et suam a mortuis resurrectionem. Verumtamen secundum etiam humanitatem filius definitur. Est autem filius Dei (ut diximus) naturaliter quoque ac potentialiter, testante id sanctificante Spiritu, quo is a mortuis resurrexit, id est propria virtute, qua mortis vim superavit (1). *Gr. p. 1.*

Ac sempiterna eius virtus et divinitas. V. 20.

Subintelligitur commune praecedenti membro vocabulum « conspicitur. » Quomodo autem ex creatione cognoscitur sempiterna eius virtus? Quia quum praeditae sint caduca natura res quaevis creatae, et in tempore ad existendum vocatae fuerint, apparet harum conditorem incorruptibilem prorsus fore ac sempiternum. Ergo nullatenus excusari (increduli) poterunt in die iudicii.

Num illorum incredulitas fidem Dei irritam faciet? CAP. III. 3.

Sane ceteris ii praestant, qui a Deo praecogniti fuere, legemque vitae magistram acceperunt, et quibus promissiones de Christo factae sunt atque in rem collatae, et vocati ante alios fuerunt: (aiebat enim Salvator *: « non sum missus nisi ad oves quae perierunt domûs Israhel: ») qui denique salvandorum per fidem primitiae extiterunt. Neque enim, siqui laeva mente a fide desciverunt, idcirco, inquit, a veritate sua Deus excidet. Igitur misit quidem filium suum de caelo pater, sed non omnes ei crediderunt. Num ergo quia nonnulli protervi increduli que fuerunt, propterea Deus verax non erit? Absit. Immo Deus verax esto, omnis autem homo mendax: id est, intelligatur quidem atque dicatur a nobis Deus verax, mendacitatis autem criminatio in omnem hominem conferatur. Est enim prorsus invertibilis atque immutabilis divina natura: secus autem magnopere nutat natura hominis: et quod quidem ad possibilitatem adtinet, omnis homo mendax est. Expugnant enim identidem mentem hominis peccatum atque mendacium, adficitque ipsius naturam hic quoque morbus. Verum enim vero de rerum omnium domino Deo quicquam huiusmodi cogitare vel dicere, nefas est. Itaque hominis quidem naturae seu menti obrepere posse mendacium, vere adfirmare licet. Sic enim beatus quoque David alicubi ait *: « ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax. » Porro et in aliis omnibus pari modo de Deo

* Matth. XV. 24. — *Gr. p. 2.* — * Ps. CXV. 11.

(1) Toto hoc sive in Paulum sive in psalmos commentario nihil saepius vehementiusque adfirmat Cyrillus, quam Iesu Christi veram naturalem paremque Patri divinitatem. Apte id quidem ac necessario, quia eius urbis episcopus erat, in qua Arius teterrimam contra Filii honorem haeresim suscitaverat.

nobisque et ceteris omnibus adfirmandum est: puta, quod adtinet ad iustitiam, haud absurde quis pronunciabit: esto Deus iustus, omnis autem homo iniustus.

Cap. III 5 **Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat.** (1)

Criminationis huiusmodi fuit haec occasio. Post reditum Babylone, filii Israhelis a Cyro iussi templum Dei restaurare, preces peragere, victimasque offerre, socorditer se gerebant, paupertatem causantes, et praeteritae captivitatis aerumnas. Quamobrem congruentibus castigabantur eruditionibus, frugum videlicet sterilitate et imbrium desiderio. Ergo has plagas aegre ferentes, beatos dicebant ethnicos et qui Deum non colebant, ceu laetam vitam agentes, eosque meliore quam se frui sorte dictitabant.

Malach. III 13 Quapropter sic Israhelitas Malachias propheta alloquebatur. * « Graves in me sermones eructastis, inquit Dominus. Vos vero respondistis: quid porro adversus te locuti sumus? Dixistis, ait: stulte agit, qui Deo famulatur. Quid enim nobis profuit, quod eius mandata observavimus, et coram omnipotente Deo supplices incessimus? En beatos a nobis praedicari ethnicos necesse est: qui dum, peccant bonis augentur: dum Deo adversantur, salutem consequuntur. Haec invicem loquebantur qui erant in religione timorati. Et adtendit Dominus, atque audivit. » Haec, inquit (Paulus) causa

Cap. III 8 erat, quamobrem quidam existimarent a Iudaeis dici: mala operemur, ut bona consequamur. Iuste profecto condemnat eos, qui aut verba illa Iudaeis adfingebant, aut dicere audebant: male agamus, ut bene nobis eveniat.

v. 21 **Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est.**

Luc. I 6 Equidem de aliquibus dictum scio *, quod ambo iusti fuerint, incedentes in Dei

Philipp. III 6 mandatis ac iustificationibus Christi (2) sine querela. Beatus etiam Paulus ait *, se quoque secundum legis iustitiam inreprehensibiliter vixisse. Verumtamen qui in huiusmodi morum regula inreprehensibilis fuerit, nondum ita se gessit, ut splendida ce-

Philipp. III 7 lebrique virtute praeditus videatur. Ecce enim beatus denuo Paulus ait *, quicquid in lege esset, detrimentum a se existimari, et instar stercoris iudicari: quaeri autem excellentiam scientiae Christi. Iam vero lex transgressores suos ipsamet damnat. Hinc

II Cor. III 9 alibi ait Paulus *: « si enim damnationis ministerium gloriam habet, multo abundantiore iustitiae ministerium gloria ornatur. » Sed enim quum plurima sint legis praecepta, plane necesse est, accuratum quoque eiusdem observatorem, interdum labi, legisque transgressorem fieri. Quod autem gravis revera lex extiterit, perspicue fassi

Act. XV 10 sunt divi discipuli. Dixerunt enim *: « nunc itaque cur Deum tentatis, ut iugum imponatur cervicibus discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus? » Quum ergo ethnici sub peccato degerent, quippe qui creatorem suum ignorabant; Iudaei autem violatae legis rei essent: necesse fuit, ut quotquot in orbe erant, a Christo iustificarentur. Iustificati autem fuimus haud equidem iustitiae operibus quae nosmet gessimus, sed per eius misericordiae copiam. Ipse enim est, qui olim etiam

Is. XLIII 25 prophetarum ore dixerat *: « ego sum qui deleo peccata tua, quorum diutius non meminero. » Gratia vero iustificans cunctis aeque supervenit, Iudaeis inquam, atque ethnicis, quia cuncti pariter peccaverunt, et infra Dei gloriam sunt. Iam vero gloriam Dei apte intellegere licet, si quis neque peccare noverit, neque ad id natura comparatus sit (3). Porro creatura quaevis infra deitatis excellentiam omnino est. Nam et angeli quidam in culpam inciderunt. Attamen Deo placuit omnia in Christo restaurare, qui

(1) Cyrillus in explanatione sua intellegere videtur *bonitatem Dei provocat*, id est *advocat*.
(2) Revera est in cod. Χριστοῦ, non κυρίου.
(3) Animadverte pulchram Cyrilli explicationem.

gratuito suae gratiae dono iustificat: positus enim est propitiatio per fidem in sanguine ipsius. Quippe is proprium sanguinem pretium constituens vitae omnium, universo orbi salutem contulit, benignumque et misericordem effecit nobis Deum patrem qui in caelis est. *Gr. p. 4*

Ubinam ergo gloriatio? Exclusa est. Cap. III. 27.

Quis enim omnino vel quam ob rem gloriabitur, quandoquidem omnes facti sunt inutiles, et a recta via declinarunt, nemine prorsus bona opera iam exercente? Ergo exclusa est, inquit, gloriatio; nempe expulsa est atque perempta, neque ullus iam apud nos locus ei superest. Quomodo autem exclusa fuit? Nempe remissionem praeteritarum culparum indepti sumus, misericordia et gratia iustificati gratis in Christo.

Ergone legem abrogamus per fidem? v. 31.

Moysi illi eximio dixit olim omnium Deus *: « prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: et impertiar verba mea ori eius, loqueturque ad eos omnia quae praecepero illi. Iam si quis sermonibus haud auscultaverit, quos propheta nomine meo protulerit, ultionem meam experietur. » Quis ergo existimet a nobis legem per fidem non sisti, qui sermonem eius admittimus? Iam vero Emmanuel propter suam humanitatem propheta appellatus est, qui Moysis instar mediator est Dei et hominum. Alioqui lex quidem umbra quaedam erat, nihilo tamen minus veritatis figuram parturiebat. Porro typos haud destruit veritas, sed efficit manifestiores. * Deut. XVIII. 18.

Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, gloriari potest sed non apud Deum. Cap. IV. 2.

Necessarium arbitror, ait quidam, si de progenitore Abrahamo accurate loqui volumus, ita sermonem instruere. Dictum est a quodam e sanctis discipulis *: « mortuam esse sine operibus fidem. » Addit autem: « vin cognoscere, homo vane, fidem sine operibus mortuam esse? » Abraham parens noster nonne ex operibus iustificatus est, filium suum offerens Isaacum super altare? Ergo ne contraria invicem a Deo afflati homines loquuntur? Quid nos, inquam, ad haec dicimus? In senectutem iam provecto, insperato admodum promittebat ipsi filium Deus, aiebatque fore ut siderum innumeram multitudinem stirps eius aemularetur. Ille autem quia religiose aestimabat promissorem suum nihil non posse, idcirco Dei veracitatem testimonio suo confirmans, iustus ab eo iudicatus est, dignumque tam piae mentis praemium retulit, priscorum criminum oblivionem. Sequente tamen tempore iustum hominem Deus exercuit, edito circa Isaacum oraculo: verum in hoc pariter fidelis religiosusque fuit, qui nihil Dei caritati praetulit. Quippe, ut ait Christi discipulus *: « fides operibus cooperabatur, vicissimque opera fidem confirmabant. » Alicubi autem admirabilis Paulus de progenitore Abrahamo dicit *: « fide obtulit Isaacum tentatus, et unigenitum illum exhibuit, quamvis de eo promissiones acceperat. Quippe ipsi dictum fuerat: in Isaaco appellabitur tibi semen: reputabat enim posse Deum e mortuis quoque revocare. » Itaque etsi forte Abraham iustificatus ob id dicatur, quia tentatus obtulit Isaacum, nihilominus ea res fidei firmissimae demonstratio evidens fuit. * Iac. II. 17. *Gr. p. 5.* * Iac. II. 22. * Hebr. XI. 17.

Non solum autem, sed et gloriantes in Deo. Cap. V. 3.

Dominus noster Iesus Christus vere admirandam patris Dei caritatem, quam nobis exhibuit, declarare volens, incarnationis peractum opus, et crucis passionem, argumenti loco protulit, ita dicens *: « adeo mundum dilexit Deus, ut filium suum unigenitum dederit, ut quisquis huic crediderit, haud pereat, sed vitam aeternam consequatur. » Re sane vera suum pro nobis tradidit filium, nosque ideo redempti fuimus, et a morte ac peccato erepti. Non enim aliam ob causam Verbum caro factum * Ioh. III. 16.

est, et habitavit in nobis, nisi ut mortem in carne patiens, de principibus potestatibusque triumpharet, illumque ipsum inefficacem deinceps redderet, qui mortis imperium tenebat, id est Satanam: et abolita corruptione, nostrum simul tyrannum peccatum expelleret: atque ita denique cassam priscam illam maledictionem efficeret, quam humana natura sub initiis generis, ac primigenia veluti in radice, Adami causa, subierat. Etenim Adam violato mandato creatorem laesit, ideoque et maledictus et morti obnoxius evasit. Postea vero perditorum funditus hominum misertus est universalis Dominus: descendit enim caelo filius, qui peccatis pepercit, impium fide iustificavit, hominisque naturam, utpote Deus, ad immortalitatem reformavit, et in pristinum sta-
Gr. p. 6. tum reposuit. Est enim nova in Christo creatura, nam et nova radix plantata est. Ipse autem novus Adam constitutus, non ut ille irae atque aversionis a patria caelesti, occasio iis qui ex se provenerunt; sed conciliator potius, et amicitiae cum Deo donator, per sanctificationem et incorruptibilitatem, atque in fide iustificationem. Haec nobis sapiens Paulus narrat praesente sermone.

Cap. V. 12. **Itaque sicut per unum, inquit, hominem peccatum in mundum introivit, et per peccatum mors, atque ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.**

Introivit enim, ut dixi, ob peccatum mors in primum hominem et in generis nostri primordia; mox vero et universum genus corripuit. Insuper peccati quoque inventor draco, postea quam adversus Adamum improbitate sua praevaluerat, aditum
* Ps. XIII. 3. sibi ad hominis mentem patefecit *: « namque omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. » Ergo a sanctissimi Dei conspectu aversi, propterea quod studiose mens
* Gen. VIII. 21. hominis ab adolescentia sua ad vitium incumbit *, insanam vitam vivebamus: morsque
* Is. V. 14. victrix nos devorabat, ut ait propheta *: « dilatavit infernus animam suam, aperuitque os suum ut non cesset. » Nam quia transgressionem Adami imitati sumus (1), quatenus omnes peccaverunt, parem illi poenam incurrimus. Attamen terrarum orbis auxilio non caruit; deletum enim fuit peccatum, prostratus Satanas, mors denique ipsa vires amisit.

v. 13. **Usque ad legem enim peccatum erat in mundo.**

Lex Moysis, ut dixi, erat infirmitatis peccantium redargutio, non peccati absolutio, immo potius irae provocatio. Transgressores enim necesse erat poenas a lege definitas subire: ubi autem quomodolibet transgressio erat, ibidem prorsus et peccatum. Quod si peccatum mortem infert, sine dubio dicendum est, mortem quoque ex peccato natam simul roborari: contra vero hoc sublato, illam pariter infirmari, et cum parente suo deperire. Erat igitur, inquit, usque ad legem mors in mundo. Quamdiu enim lex manebat, tamdiu transgressionis crimen adversus lapsos vigebat: lege autem sublata, cessavit pariter transgressionis accusatio. Porro culpa cessante, mors quoque ut dixi cessabit.

Cap. V. 14. **Sed regnavit mors ab Adamo usque ad Moysem.**

Gr. p. 7. Atqui, dicet aliquis, si res ita se habet, quomodo mors etiam ante legem dominata in terris est? *(Heic aliqua praetermissa videntur in codice, deinde scribitur* ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ, EIUSDEM, *cum sequentibus.)* Etsi enim nonnulli legis violatae haud rei fuerunt, propterea quod nondum lex fuerat rogata, nihilo tamen minus ipsi quoque in corruptionem inciderunt, in similitudinem transgressoris Adami. Veluti dicat: invadente morte, sicut Adamo contigit, universam eius progeniem, tamquam arbore na-

(1) Haec de actuali potius peccato quam de originali valent. Certe parvuli non imitantur Adamum. Consule adnot. 2. p. 8.

tam, cuius quum radix vitiata fuisset, plane necesse erat germinantes quoque indidem surculos contabescere. Dicit autem futuri typum esse Adamum, id est Christi, quamquam hic iam extitisset, et incarnationis mysterium peregisset. Rogabit ergo fortasse aliquis, quomodo futurum Christum dicat? Proposito enim nobis primo homine, et memorato transgressionis tempore, Christum deinceps, tamquam postea extremumque venturum, Adami nomine indigitavit. Praedestinatus enim fuerat Dei patris voluntate ac providentia ceu servator ac liberator; apparuit tamen propriis temporibus, quibus nempe voluit, utpote Dominus. Sunt autem tempora haec postrema, et tamquam huius saeculi ad occasum vergentis. Secundo igitur ad primi normam proposito, videtur quodammodo percontari audientem, et cum quadam orationis interpunctione ac veluti interrogans, sequentia dicit (1).

Sed non sicut delictum, ita et donum etc. Cap. V. 15.

Nempe dicit: morte damnati fuimus, quia propter Adami culpam universa hominum natura hanc labem cum eo incurrit, qui generis origo fuit. Verumtamen vicissim in Christo ad vitam refloruimus. Typus erat Adam futuri, id est Christi, parem progenitorum malitiae gratiam nobis conferentis. Dicit ergo: an ego veritate excidi? a recto sermonis tramite aberro? nonne sicut delictum, ita et donum? Quid ob unius culpam mors valida fuit, infirma vero erit propter unum vita? Quid? ni potius illud dicetur? si ob unius lapsum multi sunt mortui, potiore iure Dei gratia donumque gratuitum unius hominis Iesu Christi ad multorum utilitatem redundavit. Neque enim creatoris benignitas patietur, ut unius quidem causa mors praevaluerit, vita vero unius pariter causa vires non sumat: immo vero irae vim gratia superabit.

Et non sicut per unum qui peccavit, ita et donum. v. 16. *Gr. p. 8.*

Rei momentum et ratiocinii vim in eo, quod Deum deceat, constituit. Nam si, inquit, damnatio ab uno Adamo, sive ipsius tantum causa propter generis similitudinem ad omnes dimanavit, (nostrae enim stirpis radicem corruptio, ut dixi, corripuerat) quid ni et credibile sit et Deo placitum, ut ob unius iustitiam, multi ex multis criminibus iustificentur? Numquid enim haud magis Deo placet servare, quam perdere? Sicut igitur condemnatus fuit Adam, itemque Moysis maledictio vim obtinuit, ut omnes homines corruptioni addiceret, ita quia secundus Adam Christus iustificatus fuit, eodem omnino tramite ad nos quoque iustificatio permeabit. Porro iustificatum Christum dicimus, non quod antea iniustus fuerit, posteaque in melius proficiens ad iustificationem pervenerit; sed quia primus ipse solusque ex hominibus peccatum in terra non commiserit, neque dolus in ore eius inventus fuerit.

Si enim unius delicto mors regnavit per unum etc. v. 17.

Animadverte rursus, quanto validiorem damnante maledictione definit esse gratiam iustificantem. Neque enim quispiam adfirmabit, ait, aequum esse ut praevaleat in orbe unius causa mors, contra vero vita parem vim non habeat. Nam longe potiore iure qui gratiam Christi habent, et supernae dignationis dono iustitiam sunt consecuti, mortis potentiam a se repellent, et cum vivificante omnia Christo regnabunt.

Igitur sicut unius delicto in omnes homines in condemnationem etc. v. 18.

Supradictis sententiis veluti coronidem imponit divus Paulus, ita inquiens: ergo sicut unius lapsu, et reliqua. Damnati siquidem fuimus, ut antea dixi, in Adamo; et

(1) Subsequentem Pauli versiculum interrogative pronunciandum esse, suadere videtur Cyrillus; sententia tamen vix discrepat a communi. Ceteroqui rem in medio relinquo. Nam in versiculo certe 16. nulla fit interrogatio.

a prima radice manavit in omnem ex ea natum (1) surculum, maledictionis filia mors; postea tamen iustificati fuimus atque in vitam renati, iustificato pro nobis Christo. Contempto enim imposito sibi mandato progenitor, Deum offendit, divinaeque irae effectum expertus est, corruptionis necessitatem incurrens. Tunc peccatum quoque humanam naturam corripuit, atque ita peccatores constituti sunt multi, id est quotquot
Gr. p. 9. in orbe versantur. Sed dicet aliquis: esto quod Adam lapsus sit, et divino neglecto mandato, corruptioni ac morti deputatus fuerit: cur autem inde consequitur ut peccatores propter ipsum constituti sint multi? Quî fieri potest ut eius culpa ad nos pertineat? vel cur omnino, qui nondum nati eramus, cum eo damnationem subivi-
* Deut. XXIV 16 mus? quum Deus contra dixerit *: « non morientur patres pro filiis, neque pro patribus filii; sed anima quae peccaverit, ipsa morietur. » Quamnam igitur faciemus huius dogmatis defensionem? Anima, inquam, quae peccaverit, ipsa morietur. Nos autem peccatores effecti sumus ob Adami inobedientiam hacce ratione. Ille quidem creatus fuerat ad incorruptionem atque vitam, sanctique eius in paradiso deliciarum mores erant, mens eiusdem divinis visionibus semper intenta, incolume corpus et tranquillum, omni turpi voluptate carens; quippe absurdis in eo motibus non tumultuantibus. Postea tamen quam in peccatum decidit, et corruptioni patuit, illico in carnis naturam voluptates impurae irrepserunt, simulque nobis saeva lex membrorum subnata est. Peccati igitur morbum natura contraxit ob unius, id est Adami, inobedientiam: atque ita peccatores constituti sunt multi; non quod cum Adamo simul peccaverint, qui nulli prorsus erant, sed quia eiusdem atque Adamus naturae sunt, quae sub peccati legem cecidit (2). Sicut igitur humana in Adamo natura, ob inobedientiam, corruptionis infirmitatem nacta est, et passiones eam invaserunt, sic eadem postea per Christum liberata est, qui obediens Deo patri fuit, et peccatum non commisit.

Cap. V. 20. **Lex autem subintravit, ut abundaret delictum.**

Fortasse aliquis, verisimili modo ratiocinabitur, ita dicens: typus futuri Adamus erat; atque ut in illo ob transgressionem peccatores effecti sumus, ita in Christo per eius obedientiam iusti evasimus. Oportuit igitur ut, nemine interiecto, Christi iustificatio iis qui erant in mundo illucesceret. Quaenam ergo fuit utilitas mosaicae legis aut necessitas? Ad haec rursus divus Paulus veluti ex adverso consurgens, ait: lex subintravit, ut peccatum abundaret. Subintravit dixit, pro semet interposuit inter Adami damnationem, et iustitiam Christi. Quinam vero fuerit hic interpositae legis usus, ma-
Gr. p. 10. nifeste ipsum dicentem audiemus; nempe ut peccatum abundaret. Quid ais, Paule? Ergone peccati conciliatrix lex est, eiusque causa peccatum multiplicatur? Absit. Opor-
* Ps. XIII. 3. tet igitur doctrinae huius explanare rationem. Dictum est a Davide *: « omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non erat qui bonum ageret, ne unus quidem. » Re sane vera corruperunt cuncti vias suas in mundo post Adami transgressionem: ideoque puniti fuere tum communi diluvii poena, tum privatim etiam per subsecuta

(1) Graecus quidem textus habet γενόμενος. sed malim γενόμενον.

(2) Famosi apud Paulum textûs en Cyrilli quoque nanciscimur expositionem, quam conferre licebit praesertim cum Chrysostomo, Theodoreto ac Theophylacto. Verumtamen cavendum apprime est, ne verus peccati originalis reatus, cum eiusdem poena et effectibus confundatur; ac ne id peccatum imitatione potius, quam propagatione, ad Adami progeniem transfusum credatur. Etenim pulcherrimam hac super re non doctrinam tantummodo sed definitionem habemus in Tridentini sessione quinta. Porro et antiqui patres, sapientia et sanctitate excellentes, consulto id non peccatum simpliciter, sed originis peccatum appellaverunt, ut in Adami posteris naturam ream huius peccati, non voluntatem, quae nondum natorum nulla fuit, coarguerent. Denique hac in re inter Charybdim veluti ac Scyllam, id est vitatis Pelagio ac Baio, navigandum est.

tempora in suis quisque regionibus ac civitatibus. Nam etiamsi lex nondum erat, insitis tamen naturaliter motibus erudiebantur a Deo homines ad recti cognitionem. Sed enim infelicitati addictos in mundo homines miseratus est Deus, consiliumque benignum cepit liberandi illos peccati tyrannide. Verumtamen recte admodum existimavit, oportere ut ii diu ante infirmi in terris viserentur, quò iustificationis per Christum peractae opportunissimus in orbem adventus appareret. Quippe illum iustificari dicimus, non qui iustus est, sed qui peccatis obstrictus. Quonam igitur argumento demonstrandum fuit, eos qui in terris degebant, Christi gratia eguisse? Subintravit lex, ut peccatum abundaret: nempe ut eorum, qui sub lege erant, multiplex lapsus cognosceretur, dum nemo ob infirmitatem naturae iustus fieri posset, dumque omnes fere transgressionis crimine se inretirent. Lex itaque ceu redargutio quaedam posita fuit communis infirmitatis, ut humanum genus unius per Christum medicinae ope indigere appareret. Idcirco ait: ubi abundavit peccatum, illic gratia superabundavit: quae quidem talis tantaque esse debuit, ut vim damnantis legis excederet.

An ignoratis, quod quicumque in Christo Iesu baptizati fuimus etc. Cap. VI. 3.

Baptizati quidem disertis verbis fuimus in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Ceteroqui etiamsi dicat, in Christo Iesu baptizati fuimus (1), nihil incongruum dicit. Praecipue enim nominibus, et subsistentiis, et personarum differentiis, diversitatis proprietas distinguitur, quomodo nempe pater se habeat ad filium, et quomodo ad utrumque spiritus: pater enim pater est, non filius: filius item natura est, qui ex ipso natus, et non pater: spiritus denique proprie est, sanctus spiritus. Quia vero in patre *Gr. p. 11* est filius, et in filio pater, existitque spiritus in utroque propter naturae unitatem, etiamsi unum quisquam nominet, vi tamen theorematica universam trinitatem denotat. Qui ergo Christum nominaverit, neque patris obliviscetur neque spiritus. Quum autem factus homo, mortem pro omnium vita Iesus pertulerit, necessario beatus Paulus ad id devenit, quod propositae doctrinae aptissimum erat: oportebat enim eum nominare, qui passus est. Idcirco ait, quod quicumque baptizati fuimus in Christo Iesu, in mortem eius baptizati fuimus. Etenim facto nobismet antea, tamquam ex recta conscientia, bono in Christum examine (2), fideque credentes quod mortuus sit pro nobis et sepultus ac resuscitatus, peccatorum remissionem impetravimus, per baptismum peccatum extinguentes, ac veluti cum eo, qui pro nobis mortuus est, morientes per terrenorum membrorum mortificationem. Christus enim semel mortuus est peccato; qui autem vivit, Deo vivit. Nos vero parem illi mortem obivimus, ac paene cum ipso sepulti fuimus; quippe dum eius mortificationem propriis in corporibus circumferimus, Christo sumus consepulti. Quid autem inde lucrati simus, ostendit apostolus dicens: ut sicuti surrexit Christus a mortuis per gloriam patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Namque oportet nos, uti sepulti fuimus, sic et resurgere spiritaliter. Iam quia peccato mori, idem valet quod Christo consepeliri, satis constat quod et resurgere nihil aliud merito intelligendum sit, nisi vivere cum iustitia. Porro resurrexisse Christum adfirmat per gloriam patris, non quod propriis careret viribus, est enim ipse virtutum dominus; sed quia quae supra hominis naturam sunt, ea supernae naturae gloriae adscribere mos fuit tum Christi tum eius

(1) Hac de re, nempe de baptismo in nomine Iesu, legatur splendida et magna Photii quaestio XLIII. inter amphilochianas, quam nos edidimus in T. I. Script. vet., cum citatis ibidem in adn. recentioris quoque aevi eiusdem rei tractatoribus.

(2) Animadverte necessariam in adultorum baptismo animi praeparationem.

discipulorum. Itaque et cum dicimus aliquid fieri a Deo patre, nonne participem cuiusvis patrati ab eo operis facimus filium? Nam si omnia sunt facta per filium, quis ambigat quod ipsius quoque sacri corporis resurrectio facta sit per filium? Quare ipse
* Ioh. II 19. filius operatorem semet eius rei demonstrans, aiebat Iudaeis *: « solvite templum hoc, et tribus ego diebus rursus idem aedificabo. » Videsis igitur quomodo ipse suscitatu-
Gr. p. 12. rum se promittit templum suum, etiamsi alibi dictum sit a Deo patre suscitatum: nam quia ipse Dei patris vivifica virtus est, idcirco proprium templum vivificavit.

Cap. VI. 5. **Si enim complantati fuimus similitudini mortis eius etc.**

Oportere divus Paulus ait, consepultos Christo, similem illi resurrectionem expectare. Iamvero vocabulum complantati, videtur denotare conformes ac eiusdem veluti intellectualis speciei. Sed tamen illud animadvertendum est: posuit pro nobis animam suam Emmanuel, mortuusque in carne est; nosque adeo cum illo quodammodo sepulti fuimus, quotquot baptismum recepimus. Num quasi cum ipso carnis mortem experti? Minime id quidem. Age igitur, quomodo complantati fuerimus similitudini mortis eius, explanemus. Mortuus est in carne Christus, ut mundi peccatum solveret: morimur nos haud equidem aliquando carni, sed culpae, sicuti scriptum est; nimirum cum peccati vires intra nos infringimus, terrena membra mortificando, id est fornicationem, immunditiam, libidinem, pravam cupiditatem, et avaritiam. Complantati itaque evadimus, haud tantum Christi secundum carnem morti, verum etiam similitudini mortis eius. Hoc autem intelligendum est de morte Christi pro peccato, non tamen proprio, quod omni veritate abhorret: est enim Deus immaculatus, et omni peccandi facultate alienus: sed pro mundi peccato, ut dixi, mortuus est. Qui enim mortuus est culpae, semel mortuus est. Qui ergo consiti fuimus similitudini mortis eius, consiti pariter erimus atque conformes eiusdem resurrectioni, quippe in Christo vivemus. Profecto reviviscet caro; sed tamen et alia ratione vivemus, nostram animam ipsi dedicantes, transformati ad sanctitatem, et gloriosae vitae genus in sancto Spiritu.

v. 6. **Hoc scientes, quod vetus noster homo etc.**

Quisnam sit vetus noster homo, quodve corpus peccati destructum, et quomodo cum Christo crucifixum, disquirere opus est. Fortasse nonnulli existimabunt, peccati corpus dici terrenam carnem, poenae veluti instar animae copulatam, propterea quod ante corpora haec peccaverit. Nonnullis enim ita sentire ac loqui placet (1). Cum ta-
Gr. p. 13. men haec ethnicorum sententia sit, eam nos ceu veritate alienam abiiciamus. Itaque corpus peccati, veteremque nostrum hominem, corpus terrenum dicit, quod ab Adami vetustate necessitatem corruptionis sortitum est: namque in illo primo damnati fuimus. Insuper infirmitatis instar contraxit voluptatis studium: ita enim naturaliter se habet caro ob congenitos motus. Quomodo ergo cum Christo crucifixus homo est? Factus est homo Unigenitus, terrenaque carne indutus est, ut dixi, quae ad mortem usque tamquam ex Adami vetustate infirmatur, quaeque suapte ob insitos motus ad peccatum acuitur. Sed lex quidem peccati in sancta purissimaque Christi carne quiescebat, nullamque absurdam in ipso humanam passionem commotam esse dicimus, sed eas tantum quae inculpabilem motum habent, famem inquam, sitim, fatigationem, et quaecumque in nobis etiam, lege naturae, extra culpam sunt. Attamen etiamsi

(1) Confer Porphyrii opusculum ad Marcellam apud nos AA. class. T. IV, cum scholiis, quod quidem nominatim, ut ibi diximus p. 360, legebat noster Cyrillus. Item, si placet, legantur Procli partes variae a nobis editae ex codice vaticano AA. class. T. I. et Spicil. rom. T. VIII.

in Christo nullos habuit motus lex peccati, quia humanati Verbi virtute et opera sedabatur; nihilominus, si carnis natura per se ipsa consideretur, ea vel in Christo haud alia quam in nobis comperietur. Crucifixi itaque cum eo fuimus, quo tempore caro eius crucifixa fuit, quae universam quodammodo in se naturam continebat: sicuti etiam in Adamo, quo tempore is maledictionem incurrit, natura universa maledictionis morbum contraxit. Sic enim et consurrexisse nos cum Christo dicimus, et in caelis considere. Etiamsi enim excedit nostram conditionem Deus Emmanuel, attamen quia versatus est apud nos, tamquam ex nobis unus, postea resurrexit et considet cum Deo patre. Igitur simul crucifixus est vetus homo: soluta est enim per resurrectionem priscae illius maledictionis vis, destructumque fuit corpus peccati, non tamen ipsa caro, sed congenita illi perturbationum saevitia, quae semper mentem ad turpia impellit, coenoso veluti limo terrenis voluptatibus irretitam. Quod autem et hoc ipsum in humana natura per Christum correctum fuerit, quis dubitabit? dicente palam Paulo: quod erat in lege impossibile, et carnis causa infirmum, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et ob peccatum, damnavit in carne peccatum. Viden igitur quomodo peccati corpus destructum fuerit? Damnatus est enim in carne *Gr. p. 14.* stimulus peccati: et peccatum quidem primo in Christo mortificatum fuit, mox ab hoc et per hunc in nos gratia pertransiit.

An ignoratis, fratres? Scientibus enim legem loquor. CAP. VII. 1

Prorsus in lubrico versari demonstrat, si quis sub lege manere satagit: hortaturque ut tota potius mente gratiam per fidem exoptemus, id est in Christo iustificationem, quicum esse consepultos eos qui baptizati sunt confirmat; ut peccato mortui, Deo vivant in iustitia. Quare et superius aiebat: non itaque regnet peccatum in corpore vestro mortali, ita ut huius cupiditatibus obsequamini; neque exhibeatis membra vestra, arma iniustitiae peccato: sed exhibete vos Deo tamquam e mortuis revocatos, vestraque membra arma iustitiae Deo. Quippe vestri ulterius non dominabitur peccatum: non enim iam sub lege estis, sed sub gratia. Videsis itaque quomodo ab umbra legis discedere iubet, atque ad Christi potius gratiam transmigrare. Ceterum non ignorabat inspiratus vir, nonnullos prorsus fore dicturos, sive secum reputaturos, quod maiores nostri a recta via vitaque recesserint; nihil enim eos iuvit lex, vanaque fuit hebraicae vitae gloriatio. Etenim si absurdum est optare vitae sub lege agendae conditionem, quum tamen haec fuerit priscorum vivendi ratio, quid ni vere dicetur eos a recto consilio deviasse? Contendit ergo apostolus Christi adsecla, simulatque egregie, idem se dicere velle quod ii qui sub lege degunt; sed ita sermonem versat, ut iudicandum sit, quandoquidem ad fidem tempus invitat, haud iam in antiquis ritibus pertinaciter esse manendum. Idcirco ait: an ignoratis, fratres, scientibus enim legem loquor, quod lex dominatur homini quamdiu vivit? Est enim hic universalis finis cum omnis legis, tum eorum qui sub lege sunt. Nam cunctis qui sub regum sceptro degunt, definiunt leges quid agendum sit, quidve secus: sed leges vita hominis incolumi vigent: nam ut quisque, qui sub lege erat, corporalem vitam deserit, una cum vita legum quoque imperium abiicit. Statim ac enim peccare cessaverit, lex quoque erga ipsum cassa evadet. Vere itaque dictum est, legem tamdiu homini dominari, quamdiu hic in vivis versatur. Ceteroqui quinam sit huius sermonis scopus, edisserere opus est. Duo simul egregia affert. Nos enim, ait, qui Christo in baptismate *Gr. p. 15* consepulti fuimus, et peccato mortui, extra legis potestatem excessimus, in aliam vitam transformati: qui vero ante Christi adventum fuerunt, nondum in ipso spiritalem

mortem perpessi, vivebant adhuc peccato. Viventes igitur sub legis iure erant, prorsus uti mulier in viri potestate est: nam sicuti coniugio devincta mulier, vivente viro legitimo, haud impune cum alio se copulaverit; secus vero, illo extincto, extra legis vindictam fiet, si novum coniugium, legitima etiam forma inire voluerit; pari ego, ait, ratione arbitror, eos qui nondum in Christo peccati mortificationem sunt experti, quique adhuc quodammodo in peccato vivunt, eos inquam merito sub lege versari, quae homini quamdiu vivit dominatur. Verum enimvero qui sub Christi gratia sunt, ob quam peccato sunt mortui, et in carne id est in passionibus carnis mortificati, dummodo mundo iam non vivant, inculpabilem ducunt extra legem vitam. Mortui sunt enim, ut dixi, per Christi corpus: et legi mortui, iustificati per fidem sunt.

Cat. VII. 5. **Quum enim in carne essemus, peccatorum passiones, quae per legem erant, operabantur etc.**

Carnem dicit carnalem affectum, ut et alibi ait: qui vero sunt in carne, Deo placere nequeunt. Quid ni autem hoc verum sit? Ceu nondum carne liberatis (1), proselytis suis haec denunciat. Quid autem significare velit, inquirendum est. Cum, inquit, carnaliter vivebamus, et terrenis regebamur affectibus, tunc operabantur in nobis carnis passiones, ut morti fructificarent. Quid ergo, dicet aliquis? Carnis passiones a lege invectae sunt? Quomodo ergo legem a crimine defendemus? Quid, inquam, ad haec dicimus? Haud equidem a lege concitantur carnis in nobis passiones, potius vero gignuntur ex congenita nobis voluptate, haeque infirmam mentem pessumdant. Quod ipse nobis demonstrat dicens: caro adversus spiritum concupiscit, spiritus vicissim adversus carnem, haec enim invicem adversantur. Nunc hoc omisso, resistere carnem spiritui dicit, nihil interiiciens. Non igitur a lege, sed a naturali indole carnales intra nos commoventur passiones: quodque magis mirari licet, legis ipsius
Gr. p. 16. voluntati repugnant, ut alibi Paulus ait: quod nempe carnis affectus, inimicus Deo sit: non enim Dei legi subiectus est, neque id fieri potest. Quod si carnis affectus legi repugnat, quid ni sit insanum existimare, ab ipsa lege commoveri passiones quae eidem tantopere adversantur? Quid ergo Paulus dicit? Nempe loquitur tamquam mortuis peccato, et per baptismum cum Christo sepultis, et qui iam passionum mortificationem sint adepti; quos deinceps decet extra legis quoque fines prodire, quandoquidem sunt liberati passionibus quae a lege condemnantur. Ergo nobis adhuc perseverantibus in carnis affectu, passiones quas lex nominat ac designat, intra nos operabantur: atque eatenus eramus legi obnoxii, quatenus peccatum in nobis vivebat.

v. 6. **Nunc expediti sumus a lege, ei rei demortui a qua tenebamur.**

Obnoxii quidem legi, inquit, eramus, cui nos peccatum subiecerat. Quod si mortui sumus ei a quo tenebamur, id est peccato, cessabit prorsus cum hoc etiam lex quae idcirco est constituta, ut transgressores coarguat. Non est igitur opus lege iis qui mortui sunt peccato: transivimus enim in ius alterius, cui in novitate spiritus serviendum a nobis est, et non in litterae vetustate.

v. 7. **Quid ergo dicemus? Num ergo lex peccatum?**

Animadverte quam sapienter de lege verba facit. Ait quippe: cum in carne eramus, peccatorum secundum legem passiones in membris nostris operabantur, ut morti fructificarent. Non tamen caret dubitatione hic sermo. Namque ad haec ilico dicet aliquis: ergone arrha et conciliatrix peccati est lex? Nam si re vera propter ipsam ope-

(1) In pag. gr. 15. v. 21. legesis cum codice ὡς οὐκ ἔξω.

rantur in nobis carnis passiones, quid ni intelligere oportet, fontem esse peccati legem? Quid vero sacer doctor? Asper occurrit, et negat parentem esse peccati legem; humanam vero naturam incusat, quae ob suam imbecillitatem, legalibus poenis semet facit obnoxiam. Idcirco ait: quid ergo dicemus? Lex est peccatum? Absit; sed peccatum non novi nisi per legem. Animadverte vigilantem dictionem. Non enim ait, peccatum non habui nisi per legem; sed ait potius, se nonnisi per legem illud nosse. Non est ergo occasio peccati lex, sed demonstratrix potius ipsius, palam id faciens iis *Gr. p.* 17. qui id ignorabant; non ut eo cognito mox et perpetrarent, qui immo vel ante quam agnoscerent, id ipsum commiserant: non enim erat aliquis iustus, ut ait psalmista: sed ut peccato cognito, ad meliora converterentur. Mihi sane videntur prisci homines in ea, quam describam, conditione per Moysis legem fuisse constituti. Sit nempe coram nobis proposita, verbi gratia, lata via ad certum terminum ducens. Proiiciatur in ea multus lapis, vel etiam ibi effodiantur si lubet foveae. Tum sint quidam tenebrosa nocte per eam iter carpentes, qui saepe et multum in obvia offendicula illa incurrant, vel etiam incauti foveis superveniant. Atque his ita se habentibus, facem aliquis statuat in triviis, quae intermedia loca illuminet, haud sane ut ii rursus concidant, sed ut praetervolent potius et vitent calamitatem. Ergone culpabilem se lux exhibuit, quae periculi admonitos fecit? An illud potius adfirmandum, plurimam illis attulisse utilitatem, quos reddidit securiores? Nempe hoc nemini non exploratum existimo. Quia igitur nos peccatores ac in plurimas culpas decidui, per legem peccatum agnovimus, non idcirco legem peccati instar habere aut vocitare licet, id quod omni veritate caret; sed ea peccati, ut dixi, demonstratix est.

Sine lege enim, peccatum mortuum erat. Cap. VII. 8.

Nisi constituta, inquit, fuisset iniquitati coarguendae lex, inefficax malum esset: namque hoc vires quodammodo a lege sumit. Et sane nonnullis debilior fieret voluptatis stimulus, si nemo vetaret: immo vero is propemodum obtunditur, si lata peccandi licentia sit: namque ubi nihil resistit, ibi plerumque studium infringitur. Mortuum igitur peccatum est, lege quid agendum sit *non* (1) discernente. Utique se olim sine lege vixisse ait doctor: dein lege superveniente, revixisse peccatum, sibi autem mori contigisse adserit: namque in his ex persona propria facit sermonem. Atque ego quidem existimo, eum aliquid huiusmodi velle significare: nempe sine dubio is etiam qui ignoranter peccat, reus est; scienti tamen graviorem poenam esse paratam, testatur Servator dicens *: qui sciverit voluntatem domini sui, nec fecerit, multis vapulabit; * Luc. XII. 47. qui autem nesciverit, nec fecerit, paucis punietur. Patet igitur multo levius igno- *Gr. p.* 18. rantem peccare, quam qui legem cognovit. Iam si quis ad legis iugum accesserit, qui ante sine lege deguerat, et nihilominus imperata facere detractaverit, peccati criminationem incurret, poenaeque reus fiet. Tunc is ob ignaviam suam dolens, adversus legis severitatem ferme exclamat dicens: ego sine lege pridem vivebam; superveniente dein praecepto, peccatum vixit, ego perii. Nam si mortuum revera est sine lege peccatum, quid ni credibile est vitam quodammodo a lege accepisse peccatum, quia per illam innotuit, et spirans veluti effectum est? quamquam antea non erat cognitum, etsi in nobis reapse existebat; non enim iusti eramus; sed mortuo veluti peccato, quia non aderat damnans lex, vivebamus nos decorum inscitiae praetextum habentes. Namque ubi non est lex, ibi transgressio nulla, ut ipsemet dicit. Sic interveniente prae-

(1) Deest *non* in graeco textu, quae tamen particula videtur necessaria.

cepto, revixit quodammodo a morte sua peccatum, nec non debita peccantibus ex infirmitate vindicta. Quid inde porro? Res insperata praeterque expectationem nobis accidit: praeceptum quidem vitae causa datum, in mortem vertit. Ac veluti infirmitate oculorum laborantibus solaris radii nocet lux, quamquam per se suavis sit et exoptabilis: neque ipsa tamen prorsus in culpa est, verum ea laesio infirmorum vitio adscribenda est; eodem modo, occasionem peccato datam ait a lege, seque ab illa deceptum, et ad mortem deductum. Alio quoque sensu fortasse aliquis dicet, legis mandatis solere magnopere voluptatis studium adversari; et vitiosos mores, resistente sibi virtute, copiosiore vi grassari, mentemque interdum pervertere atque ad transgressionem impellere, legisque poenis exponere, quamquam reapse lex ipsa belli eius causa fuerit. Isthoc sensu sapiens Paulus deceptum se a praecepto dicit, atque eius causa periisse. Occidit enim propemodum praeceptum, concitans ad certamen insitas nobis voluptates, eo quem hactenus diximus modo.

Cap. VII. 12. Gr. p. 19. **Itaque lex quidem sancta, praeceptum sanctum iustumque et bonum.**

Sancta lex videlicet, quia sanctos, iustos, bonosque exhibet illos, qui eandem ita observare potuerint, ut transgressionum delictis nequaquam rei fierent. Verumtamen hoc propemodum impossibile est. Delicta enim quis intelliget *, uti scriptum est? (* Ps. XVIII. 13.)

v. 13. **Quod ergo bonum est, mihi factum est mors?**

Si sanctum praeceptum est, quomodo quod mihi, inquit, datum erat ad vitam, idem mihi mortis occasio compertum est? Ergone, dic mihi, res bona exitium confert? Absit, ait. Minime enim in his legem incuso, sed peccati accusator adsum, quod tantam humanae naturae vim infert, tantopere mentem nostram occupat, ut lex ipsa nobis ad salutem vitamque data, id est sanctum vere ac bonum praeceptum, mortis occasio fiat iis qui eidem legi subiacent. Cur id? quave ratione? Nam si ultio peccantes semper sequetur, nos vero ad hanc infirmitatem proni sumus, nimirum ad nos semper irretiendum transgressionibus, constat omnino, quod hac ratione lex salutaris et sancta et bona, vinculum fieri videtur peccati, atque ad mortem via his qui peccato succumbunt. Immo paene dicere videtur, peccatum vere effici peccatum a praecepto. Ignorantibus quippe domini voluntatem, poenis se implicare continget; peccarunt enim, etsi ignoranter. Sed tamen superest illis non improbabilis excusatio: excusabunt enim, ut credibile est, apud eos qui sub lege sunt, ignorantiam suam, cuius causa voluntatem dominicam nesciverunt, si forte id eis exprobrabitur. Qui ergo sponte decreverit impie vivere, haud quidem ignorantiae sed vecordiae crimen subibit, et summae a Deo aversionis. Atque hic demum cum hyperbole peccator dicetur. Nam peccator simpliciter is quoque est qui ignorantia labitur, sed tamen neque est neque dicitur peccator cum hyperbole.

v. 14. **Scimus enim legem esse spiritalem.**

Spiritalem dicit legem, quia sui adseclas efficit spiritales. Intelligitur autem spiritalis, qui minime secundum carnem vivit, maxime autem eo respicit ut spiritûs voluntati obsequatur. Namque et beatus David ait: * « lex Domini immaculata, convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis: timor Domini sanctus permanens in saeculum saeculi. » Sicuti ergo dicit immaculatam legem, quia immaculatos facit; fidele testimonium, quia fideles exhibet; et sanctum timorem, utpote qui sanctos reddit; sic etiam hoc loco reputa dici legem spiritalem, utpote quae spiritales ostendit eos qui obsequuntur ipsi. Quamvis enim in umbris lex versatur, habet nihilominus veritatis formam. Quid ergo Paulus? Nempe adfirmat spiri- (* Ps. XVIII. 8. Gr. p. 20.)

talem esse legem, incusat vero hominis naturam quae peccati morbo valde est obnoxia. Sed et comprobare nititur, quia lex sit spiritalis, eam idcirco humanae naturae fieri gravissimam. Quid enim, dic mihi, ait, si lex utique est spiritalis, ego vero carnalis, id est carnis affectibus totus oppressus? Viden, quantam in nobis voluntatum pugnam dicto suo demonstrat? Alia est enim voluntas spiritus, alia intelligitur carnis: hae pugnant videlicet inter se, et in concordiam numquam conspirare queunt. Si ergo carnalis sit homo, lex autem spiritalis, quomodo haec tolerabilis fiet his qui tantopere peccati morbo laborant? Et sapienter quidem id dicitur: nam si carnalis est, intelligitur captivus quodammodo et in servili ordine constitutus.

Quod enim operor, non cognosco. Cap. VII. 15.

Arbitrantur fortasse rudes quidam, velle Paulum ethnicorum fabulam heic stabilire, quam nescio unde producere in medium illi didicerint, decepti simul et decipientes. Fatum enim quoddam atque fortunam ad suum libitum confingentes (1), deinde vanis his simulacris potestatem in actiones nostras adtribuentes, hominem praecipuo suo decore spoliant, id est quominus libere vivat, absolutumque et voluntarium arbitrium habeat gerendarum quas voluerit rerum. Iamvero necessitate suisque doctrinis ac sententiis mentes hominum abducentes, non mediocriter nocent communi vitae. Nam si quis, prout ipsi docent, ad inlicita perpetranda adgrediatur, quum non possit, etiamsi forte velit, fati nutum declinare, nemo sapiens hunc reprehendet, etiamsi peccare cernatur. Nam quod necessario et praeter voluntatem agi debuit, id si quispiam patrasse deprehendatur, omni culpa poenaque carebit: contra vero nemo rationabiliter pium hominem honestumque laudabit. Cur enim magnopere laudandus Gr. p. 21. sit, si talis haud sua voluntate extiterit, sed alieno nutu compulsus, immo etiam insuperabili fortunae necessitate coactus? Absurdissime itaque diceretur, doctrinarum optimarum magistrum, ethnicorum praestigiis fuisse illusum; vel illorum stultitiam sequi, qui divinorum mysteriorum custos est; nempe cum dicit: quod operor non cognosco; non enim quod volo facio, sed quod odi ago. Iam vero si quis mordicus contendat, malitque credere fatum atque fortunam nostrorum actuum potestatem habere, cur non iure Paulum interrogaret dicens: si duris indomitisque rerum gerendarum aut non gerendarum necessitatibus alligamur, nec dominium nostri prorsus tenemus, sed aliis potius praepotentibus cedimus, coactaque sententia utimur; quomodo nobis ipse scripsisti: an ignoratis, fratres, scientibus enim legem loquor, legem homini imperare quamdiu vivit? Dominatur ergo quodammodo viventibus lex, morientibus vero fit cassa, quibus numquam statuta fuit, sed illis tantum qui in corpore vivunt: atque ex his, recte quidem agentes praemio, improbos poena adficit. Praeterea quanam aequitate legis lator eos iudicialiter puniret qui haud sponte crimina sed fortuna cogente committerent? Vel potius cur omnino legem condidisset? Namque iis sane quibus est facultas quicquid libuerit agere, iustam lex vindictam decernit, si cum possent rectis operibus advertere mentem, turpia maluerunt, vetitosque a lege actus cum honestate commutarunt: verum enimvero his quibus iugum necessitatis impositum sit, et qui dominorum arbitrio circumaguntur, inutiliter existimo ius constitui. Denique quid ni vere diceretur, ne ipsum quidem omniscium numen iugum nobis fuisse legis impositurum, quae sibi placita iure meritoque definit, atque ad utile officium dirigit, si fati laqueis inretitos cognovisset? Aut igitur contra-

(1) Fato omnia fieri, Stoicorum praecipue dogma fuit, quos salse ingenioseque irridet refutatque Cicero toto suo, quantum superest, de fato opusculo.

riae sententiae homines dicant, id Deo ignoratum: aut si recte sentire malentes, abhorrent admodum a nefanda hac divinae ignorantiae sententia: simulque legem ab eo revera conditam adfirmant; poenas quoque peccantibus ab eo fuisse decretas manifeste confitebuntur.

Gr. p. 22. Deus utique probe novit, hominem libero cum arbitrio viventem, spontaneis commotionibus actus suos, prout libuerit, posse dirigere, impediente nemine. Hanc ob causam divus quoque Paulus dominari ait homini legem quamdiu vivit. Non ergo hoc dicit, quasi mens hominis alieno nutui supposita foret; sed acute sapienterque loquitur, atque humanae naturae passiones scrutatur, animi infirmitates singillatim evolvit, et cum congenita voluptate corpus describit hominis, qui adhuc suam carnem fovet, personae suae haec admodum bene accommodans. Quamquam enim ipse mundo crucifixus fuerat, et ipsi mundus, prorsusque erat admiratione dignus, attamen sapienter existimavit gratiam propriam non esse respiciendam, sed eorum infirmitatem qui nondum ad ipsius conditionem devenerant, in argumentum sui sermonis assumendam. Itaque cum audis dicentem: quod enim operor non cognosco, cogita aliquos maximos peccatores, qui se existimant praeclarissimam vitam ducere, nihilque esse quod huius mundi delicias et vanitates aequiperare queat. Hi pios mores summo odio prosequuntur, exultantque ac valde pergraecantur in voluptatibus suis. De his alicubi
* Phil. III. 19. Paulum dicere reor *: « qui terrena sapiunt, quorum Deus venter est, et gloria in ignominia ipsorum. » Hi merito dicerent, quasi aliquid egregium perpetrantes iniqui-
* Ioel. I. 5. tatem: quod enim operor non cognosco. Ergo audiant *: expergiscimini, ebrii, ex vino vestro. Sicuti enim bibones et ebrii, vitio suo de recta mente deiecti, quid ebrietatis tempore egerint nesciunt, ita qui carnis deliciis et turpissimis voluptatibus aegrotant, quid agant non animadvertunt. Morbum itaque humani cordis nobis exponit Paulus dicens: quod enim operor, non cognosco. Quod si quis forte conscientiae morsibus paulo tenerius cor suum habuerit, maerensque dum peccat, adhuc tamen peccati delectationibus victus, et invitus propemodum ad peccandum progrediens, congrue diceret: non enim quod volo, id ago, sed quód odi facio. Quam multi et quam saepe
Gr. p. 23. continentiam admirantur, immo et huius vitae genus ingressi, detestandae postea voluptatis stimulis pervincuntur, mente ipsorum ad vitium labente, peccatum committunt, et maerore simul replentur! His potissimum convenit paene praeter voluntatem aegrotantibus, rursus dicere: nunc iam non ego id operor, sed quod habitat in me peccatum.

Cap. VII 16. **Si autem quod nolo id facio, iam legi consentio quod bona sit.**

Considerationis acumen rursus ad corporis naturam flectit, et inhaerentium illi naturalium passionum vim contemplatur. Siquidem et cupiditates ad quamlibet passionem impellentes, et voluptariae vitae peccata, fontem habent carnem. Hoc nobis
* Iac. IV. 1. confirmat Servatoris discipulus *: « unde bella in vobis, et unde pugnae? Nonne hinc? ex voluptatibus nempe vestris, quae militant in membris vestris? »

v. 18. **Nam velle, adiacet mihi; operandi autem rectum, rationem non invenio.**

Velle, inquit, adiacet mihi; rectum autem operari, nequaquam, et reliqua. Ut demonstret, carnis ad gignendum in se peccatum vehementiam, concedit sapienter quod nobis adiaceat rectum, haud tamen illud possimus peragere: mens enim invita ad involuntarium motum compellitur (1). Quod ergo ad propriam sententiam ad-

(1) Haec de necessitate absoluta non esse intelligenda, sciunt theologi. Ipse Cyrillus hac eadem in pagina liberum arbitrium praedicavit.

tinet, extra peccatum foret; sed quia vix vitabilem vim perpetitur, culpa quidem non iam ipsius videtur quam praepotentis alterius. Idcirco ait: si autem quod nolo facio, haud iam ego id operor, sed quod habitat in me peccatum.

Invenio igitur legem, volenti mihi bonum agere, quoniam mihi malum adiacet. Cap. VII. 21.

Specta iterum quam sapienter atque perite legem admittit, non quasi haec peccati stimulum retundere valeat, vel peccatum in nobis mortificare, sed eatenus tantum quatenus menti notitiam recti obiicit. Si enim mihi, inquit, adiacet carni inhaerens peccatum et eam depravans, lex sane opem suppeditat, et consilium veluti dat, non tamen peccato liberat. Iis autem qui peccati infirmitate tenentur, haud satis est cognoscere, quod meliora agere debeant, sed viribus opus est agendi quae recta sunt et quae legi placent (1). Veluti iis qui in proeliis excellere volunt, haud nuda et sola *Gr. p.* 24. sufficit tacticorum praeceptorum scientia; sed tum demum illustres spectabilesque vix evadent, si animi quoque fortitudo iisdem insit. Igitur si officii quidem rectitudinem docet lex, nullo tamen modo tentatione vexatis opem fert, peccati vires debilitando, praeclarus sane magister est, neque tamen cum gratia Christi comparari digne potest, qui et sanam sententiam suppeditare valet, et nos peccato fortiores praestare.

Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. v. 22.

Ut iam dixi, cupit mens in libertatem vindicari, et ab inhonestis recedere. Summis autem honoribus legem ornat, ut optimorum consiliorum magistram. Interim tamen ad absurdas voluptates natura carnis compellitur, proeliante et interius haerente peccati lege. Peccati vero legem dicit, naturales motus, et quaecumque existimatur voluptariae carnis passio: aeque ac mentis legem dicit, voluntatem propensionemque ad bonum.

Idem igitur ego mente quidem Deo servio, carne autem legi peccati. v. 25.

Prolixus iam fit apostoli sermo, nostra singula subtiliter indagantis, variosque violentiae modos quos hominis mens pati solet in suo cum malitia conflictu. Adfirmat autem, mentem quandoque ad bonum torpere ob carnalium passionum tyrannidem, simul autem maestam fieri et fragilitatis suae pudere: et involuntarii quidem peccati onus abiicere prorsus non posse, incumbente sibi vehementer voluptate; ideoque ad resistendum esse debilem, nihil ad hoc iuvante lege. Vere ergo divus Paulus dicit, mente quidem se divinae legi obsequi, carne autem legi peccati. Atque hoc videtur significare cum ait: velle quidem adiacet mihi; operari autem bonum, nequaquam. Olim ergo, ut ait, propositum nobis erat, quantum adtinet ad mentis voluntatem, ut divinae legi obediremus; sed nos impulit ad peccatum caro, suam veluti opponens voluntatem. In damnationem igitur incurrebant, qui dum vellent rectum agere, passionum tyrannide impediebantur. Sed per Christum cessavit damnatio, id *Gr. p.* 25. est carnalium motuum praepotentia.

Lex enim spiritûs vitae in Christo Iesu. Cap. VIII. 2.

Necessarium existimo ob accuratam declarationem sensuum heic contentorum, illud dicere, quod sicuti peccati mortisque legem appellat carnalem affectum, qui nos ad omne vitii genus perducit; ita quoque legem spiritûs vitae dicit voluntatem spiritalem, id est mentis ad recte agendum inclinationem. Sed qui in carnem seminat, corruptionem ex carne metet; qui vero in spiritum seminat, de spiritu metet

(1) En egregiam Cyrilli doctrinam de gratiae interioris necessitate, inferius quoque in his commentariis recursuram. Nec mirum; etenim Photius cod. LIV. nos docet Cyrillum contra Pelagianos quoque seu Caelestianos ad Theodosium aliquid scripsisse.

vitam aeternam. Ergo lex spiritus vitae, id est mentis voluntas quae ad vitam deducit, olim quoque in nobis erat, etenim Dei legi mente obsequebamur. Sed imbecilla pars nostri, ut dixi, ad resistendum laboravit, carnisque cupiditatibus victus homo in damnationem legis incidit. Mox autem morbo depulso, per Christum roboratus est: signati enim fuimus per ipsum Spiritu sancto, et virtute ex alto induti. Atque ita redempti fuimus, nec iam ulterius malo subiugati, in liberam dignitatem, ut dixi, restituti. Ergo lex spiritûs vitae, id est mentis voluntas ad bona opera vitamque tendens, postquam gratiam per Christum adepta est, et antiquam infirmitatem abiecit; tunc, inquam, ea lex spiritûs, peccati malitiam despiciens, seque legi carnis superiorem constituens, liberavit me, ait. Neque tamen ipsa haec lex libertatem omnino largita est, sed eam per Christi merita nobis conciliavit. Sicut igitur eos qui sub lege peccati sunt, necesse omnino est mortis quoque laqueis implicari; ita eos, qui minime sub illa sunt, sed in libertatem per Christum vindicati, oportet vicissim extra ius mortis esse, seque corruptione excelsiores exhibere, et vitam cum sanctitate ducere.

Cap. VIII. 3. **Impossibile enim legis, in quo ob carnem infirma erat.**

Admirandus sacrae doctrinae doctor, et ad contemplandum peracutus, rudem se dicit esse sermone. Ideo nos confidenter dicimus, suprascriptarum dictionum constructioni parum quid deesse, ut plenus sensus exprimatur. Dicendum enim fuit: impossibile enim legis, in quo ob carnem infirma erat, dissolutum est, puta, vel cessavit. Deinde subtexenda erat facti expositio, et dissolutionis modus connectendus, denuo subiungendo: Deus enim mittens filium suum in similitudinem carnis peccati, et pro peccato, destruxit in carne peccatum. Atque alia huiusmodi scopo suo idonea ad periodi compositionem scribi oportuit. Nunc age contemplemur medelae per Christum factae rationem, et quomodo impossibile legis cessaverit, et quodnam intelligendum sit hoc impossibile legis, et cuiusnam legis. Etenim hoc loco subtiliter admodum disserit deiloquus vir. Concedit itaque, uti utiles, tum Dei legem, id est scriptam illam, tum etiam legem spiritûs a quo bonam voluntatem recepimus, etiamsi forte haud nobis adfuerit exequendi ipsam potestas. Ait enim: velle quidem adiacet mihi, bonum autem operari nequaquam; praevalente nempe peccato, legisque carne ad sua pertrahente opera mentem vel invitam (1). Hoc puto sensu credibiliter intelligendum esse quod dicit impossibile legis, tum illius scriptae per Moysem, sicuti nuper dixi, tum etiam alterius nobis congenitae, ad cuius normam gentes quoque, etsi scripta lege carent, naturaliter legem observare cernuntur, sibique ipsis lex fiunt: demonstrant enim opus legis scriptum in cordibus suis, sicuti legimus. Quodnam autem in utraque lege sit impossibile, inquirendum iam est. Scripta quidem lex, magistra erat honestatis, optimorum consiliorum dux, quin tamen quemquam omnino iustificaret. Verum illa nobis congenita, quam etiam legem spiritûs appellat, vergebat quidem ad rectum, sed tamen a lege illa quae ad turpia impellit, valde superabatur (2). Igitur quod erat impossibile, id est infirmum, sive in scripta lege, sive in naturali, cessavit per Christum. Mortificata enim quodammodo carne, ac prope extincta in nobis voluptate, nullo iam pacto lex spiritûs sive mentis infirmabitur.

Gr. p. 26.

Iam quemadmodum in nobis peccatum mortificetur, agesis quantum licet dica-

(1) De variis libertatis humanae gradibus, deque libero arbitrio in re morali semper incolumi, latissime disputant, pro sua quisque secta vel systemate, theologi; praesertim ubi Augustini doctrinam enucleant atque defendunt.

(2) Hanc nonnulli theologi victricem malam appellant delectationem.

mus. Dei Verbum, beneplacito Dei patris, in similitudinem factum est peccati, ut in carne damnaret peccatum. Fecit enim se hominem, atque ad exinanitionem demisit. Profecto quod consimile et eiusdem ac corpora nostra naturae corpus eius fuerit, quisnam ambiget? Nihilominus ceterorum quidem omnium corpora, carnes vocare licet peccati, quia naturaliter aegrotant absurdarum voluptatum scaturigine: sed Christi *Gr. p. 27.* corpus nemo carnem peccati dicet, absit, sed similitudinem potius carnis peccati; nimirum simile quidem nostris corporibus, haud tamen ita comparatum ut carnali immunditia aegrotare posset: sanctum enim iam inde ab utero templum illud fuit. Et quantum quidem ad cogitationes ac ratiocinia naturalia attinet, nemo certe verebitur affirmare, quod quatenus caro erat, proprios congenitosque motus habuerit; quia tamen illud quod omnem creaturam sanctificat Verbum in eo habitavit, damnata fuit peccati potentia, ut in nos quoque eius beneficii vis transiret. Reapse non spiritaliter solum, verum etiam corporaliter, aeque ac ille transformati fuimus. QUANDO ENIM INTRA NOS HABITAT CHRISTUS PER SPIRITUM SANCTUM ET MYSTICAM BENEDICTIONEM (1), tum sane in nobis etiam peccati lex prorsus damnatur. Vere igitur dictum est, impossibile legis, in quo illa ob carnem infirmabatur, cessavisse per Christum qui damnavit destruxitque peccatum in carne, ut legis iustitia in nobis impleretur. Impleta fuit enim legis iustitia, id est decretorum a lege vis, voluntas scilicet ad virtutem contendens, postea quam interna lex nostra nullo iam pacto, ut dixi, infirmatur a congenitarum voluptatum tyrannide. Itaque impleta in nobis est legis iustitia, siquidem iam non secundum carnem ambulamus, sed spiritaliter malumus vivere.

Nam prudentia carnis (2), mors est: prudentia autem spiritûs, vita et pax.

Recte omnino prudentiam carnis donat mortis titulo: spiritus autem prudentiam CAP. VIII. 6. dicit vitam ac pacem. Vere enim carnis amor mortem generat: aeterna contra vita et caelestia bona adquiruntur ab iis qui spiritaliter vivere malunt.

Quod si spiritus eius, qui Iesum a mortuis suscitavit, in vobis habitat. v. 11

Resuscitatus fuit dominus noster Iesus Christus a patre, subeunte in eius carnem vita per Spiritum sanctum, qui est eiusdem (3). Nam quod ipsemet templum proprium vivificaverit, denuntiavit Iudaeis dicens: solvite templum, et in tribus diebus excitabo illud. Quamobrem, etiamsi a patre suscitatus dicitur, nihilominus ipse semet suscitabat per sanctum Spiritum. Cuncta enim divina opera a patre fiunt per filium *Gr. p. 28.* in spiritu. Suscitabit igitur nostra quoque corpora a mortuis Christus.

Siquidem compatimur, ut etiam conglorificemur. v. 17.

Bona sane opera haud absque labore fiunt, sed tamen grandi spe alitur labor. Nihil enim terrestre promittitur, sed aeterna gloria, bonorumque quae intellectum sermonemque superant consecutio. Nam qui terrena despiciunt, digni fiunt supernis praemiis: et qui fortiter patienterque antea laboraverint, incomparabilis excellentiae coronis perfruentur. Minimus certe virtutis videbitur labor, prae tantis mercedibus. Gloriam scilicet sanctorum denotat, quia per saecula fulgebunt iusti tamquam sol, in honore et gloria et immortalitate constituti, cum illorum immutabuntur corpora, sicuti Christus in monte transfiguratus est.

(1) Adnotemus testimonium de corporali Christi intra nos praesentia post sumptam eucharistiam, et de eius salutari effectu.

(2) Σαρκὸς φρόνημα rectissime explicat Cyrillus vocabulo φιλοσαρκία *carnalis affectus*. Ceteris φρόνημα sumitur pro φρόνησις.

(3) En internam Spiritus sancti relationem ad Filium; etenim hèic de externa missione non agitur.

Cap. VIII. 19. **Expectatio enim creaturae, revelationem filiorum Dei expectat.**

Expectatio quidem spes est, et rerum eventûs praestolans observatio. Porro creatura revelationem filiorum Dei expectat, non sane quod ipsa futuri sit praescia; quî enim vel undenam id fieri potest? sed quia per arcanam Dei dispositionem, qui cuncta ad melius dirigit, ad hunc finem perveniet. Translatis enim tamquam in gloriam ex dedecore, et ex corruptela in incorruptionem, Dei filiis, iis nempe qui honestam vitam delegerint, ipsa quoque creatura plane in melius transformabitur. Qua
* II. Ep. III. 13. de re divus nos Petrus * dubitare non sinit dicens, novos caelos, et novam terram, eiusque promissiones a nobis expectari.

v. 20. **Vanitati enim creatura subiecta est.**

Vanitatem hoc loco dicit viventes in vanitate, idest in carnali affectu: de quibus convenientissime etiam diceretur: homo vanitati similis factus est. Item, quod iumentis comparatus sit, et his assimilatus; namque horum vita vere vanitas est. His hominibus creatura subiecta est, quamquam prorsus involuntaria. Cur id, inquam, dicimus? Nempe nihil nostrarum rerum novit creatura visibilis et palpabilis, quia ra-
Gr. p. 29. tiocinio caret. Nam si forte illi contingeret ut parum quid intelligeret, haud pateretur tam turpem servitutem servire, neque his subesse ac famulari vellet, qui nullius bonae frugis vitam agere decrevissent. Verumtamen in spe, inquit, salvandorum per consequentia tempora sanctorum atque electorum, subiecta manet, iugum illi quodammodo imponente Deo, ac veluti reservante ad eam libertatem, quae sub eius sanctis atque amatoribus futura est, ut solis demum eiusdem Dei filiis inserviat, et electorum usibus operam navet. Interim vero maeret, et quodammodo laborat ac dolet: et si quid nostrorum operum cognoscere posset, fortasse etiam ploraret. Nunc Dei nutibus obsequens, expectat quodammodo futuram filiorum Dei, ut dixi, revelationem.

v. 23. **Non solum autem (illa), sed et ipsi primitias spiritus habentes, et ipsi intra nos ingemiscimus.**

Sumit ad dictorum demonstrationem, id quod in nobis fieri solet. Nos ipsi enim, inquit, qui primitias spiritus habemus, gravati ingemiscimus, ceu adoptionem in filios expectantes, a corporibus dissolutionem. Reapse enim corruptibile corpus aggravat animam, mentemque curarum plenam terrenum corpus deorsum vergit. Verum ubi semel nobis spiritus insilit, atque ad virtutis studium convertit, ilico adversatur carnis amor, et inhaerens membris nostris lex, atque ad absurdas voluptates prona, bellum asperum commovet. Idcirco ingemiscimus, corporis nostri liberationem adoptionis instar reputantes. Haud tamen exoptamus corporum depositionem, neque hanc liberationis nomine dignamur; sed spiritale fieri corpus expectamus, quod nempe carnalem omnem terrenumque affectum, peccatique stimulum abiiciat. Huiusmodi nos spiritale corpus dicimus. Iam etsi gratia adoptionis, corporis nostri liberationem efficit, nemo hinc resurrectionem calumniandi ansam arripiat: neque in tantum impietatis deveniat, ut dispergendam fore carnem dicat, et prorsus adnihilandam, postquam in terram de-
Gr. p. 30. ciderit; proque ea resurrecturum quid spiritale, persubtibile, atque aetherium (1). Sic enim isti dictionem « spiritale » intelligunt.

v. 24. **Spe enim salvi facti sumus.**

Credimus corpora quoque nostra corruptionem ac mortem esse superatura. Ceteroqui id nobis in spe repositum est, non veluti praesens, sed ut omnino certissime

1) Hoc dici videtur contra Origenianos.

eventurum; quod sane patienter laborantesque expectamus, ut tam venerabili dono potiamur.

Similiter et spiritus auxiliatur infirmitatibus nostris etc. sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus ineffabilibus. Cap. VIII. 26.

Gemitibus ineffabilibus postulat pro nobis, noster videlicet spiritus. Quandoque enim ingemiscimus, dum supplicationes Deo offerre conamur. Atqui id quoque Spiritu sancto docente discimus, nam et ipse aeque ac filius sapiens est. Quoniam vero ait: quid postulemus, prout oportet, ignoramus; nunc istud nos vestigemus. Quamquam reapse quid postulare nos oporteat, iam docti fuimus a Christo diserte dicente: ita vos orabitis. « Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra » et reliqua. Quandoquidem ergo scimus quanam a nobis ratione orandum sit, quinam est apostolicae litterae sensus, quidve Pauli vox designat? Aio igitur, orare nos, bonae rei postulationem facientes, atque in primis Dei gloriam petentes, tum auxilium ad bene vivendum, vereque honestos mores instituendos. Hanc autem inchoationem spiritus habentes, nos quoque interius ingemiscimus, adoptionem in filios expectantes, corporis scilicet liberationem. Verumtamen ad hoc quod attinet, quid postulemus, prout oportet, ignoramus. Nam si oculus non vidit, et auris non audiit, et in cor hominis non ascendit, quae paravit Deus diligentibus se; quid ad orationem accedentes petemus? vel quomodo agnoscemus aut videbimus, res potissimum mentis intelligentiam excedentes, et quae humanis cordibus sunt imperviae? Certe cuiusmodi corporis liberatio futura sit, quaenam eius immutatio, et quomodo ad incorruptibilitatem gloriamque transformandum sit, *Gr. p. 31.* solus ille novit qui rerum harum artifex fuit. Dixit aliquando nonnullis, orandi imperitis Servatoris discipulus *: « petitis, et non accipitis, quia perverse petitis, ut in * Iac. IV. 3. voluptates vestras insumatis. » Decet igitur hos potissimum homines dicere: quid petamus, vel quid oporteat, nescimus. Ineffabilibus ergo gemitibus in spiritu petimus ea, quae futura quidem esse credimus, cuiusmodi vero sint ignoramus. Natura utique nostra infirma est, et quantum in se est, reviviscendum esse discredit; alioqui grandia et divina promittuntur nobis, quae nemo comprehendere potest, neque in cor hominis umquam ascenderunt. Atque ut fidem tantis rebus adhibeamus, non modicam nobis opem spiritus suppeditat. Sunt enim bona haec omni prece maiora: talia denique, ut ne noverimus quidem prout oporteat ea postulare. Quasi dicat apostolus, quae humanam mentem ac vota superant, ea ineffabiliter nobis conciliat data gratia spiritùs; eiusque inchoatio nobis tribuit, ut omnia confidenter speremus. Sicut enim nuptiales arrhae, quas invicem nubentes donant, rem firmant in posterum, eaeque prolatae, pactum cuius causa datae fuerunt, exequi cogunt; sic etiam, ut reor, inchoatio spiritus, id est particula doni spiritùs, quae est hereditatis nostrae arrha, dandam deinde nobis suo tempore gratiam confirmat. Oportet itaque ob eam consequendam labores minime defugere. Verbum autem ἐντυγχάνειν (*proprie* occurrere) metaphorice dixit, quia et nos solemus in mutuis occursibus manus sustollere (2).

(1) Si ἀλαλήτοις opponitur λαλητοῖς. licebit interpretari *ineloquacibus*, id est *tacitis*. Sic certe prisca translatio apud Sabaterium: *postulat gemitibus, qui eloqui non possunt.*

(2) Ita fortasse intelligendum heic videtur ἀνύεσθαι: vel si mendum subest, corrigendum. Nam rem ego non satis expedio. Attamen notissimum est, manuum elevationem apud veteres, ut monumenta picta fictaque docent, precantem vel etiam salutantem denotare. Itaque heic *occurrere* dicitur pro *orare*.

Cap. VIII. 28. **Scimus autem diligentibus Deum omnia in bonum cooperari, iis nempe qui secundum propositum sunt vocati.**

Sane conferunt omnia ad bonum diligentibus Deum et secundum propositum vocatis. Sed quorumnam est propositum? quidve significant verba, secundum propositum? Nimirum secundum propositum idem est ac secundum voluntatem. Vocantur itaque hi, de quibus sermo est, secundum aliquorum voluntatem; sed num vocantis tantummodo, an illorum etiam qui vocantur? Profecto omnis impulsus, qui ad iustitiam defert, fit a Deo patre (1). Dixit enim aliquando Christus: « nemo potest ad me venire, nisi qui misit me pater, traxerit eum. » Sed tamen hac in re a recta sententia
Gr. p. 32. non aberrabit qui dixerit, nonnullos vocatos fuisse secundum propositum et vocantis et etiam ipsorum.

v. 30. **Quos autem praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et iustificavit; quos vero iustificavit, hos etiam glorificavit.**

Consentaneum est quosdam speciosum incredulitati suae praetextum obtendisse, inscitia sua deceptos, ac dicentes: si, quos Deus praescivit secundum propositum et electionem, hi vocantur; nil mirum, nondum nos credidisse, qui neque vocati fuimus neque praedestinati. Quibus sic occurremus. Qui nuptias fecit filio suo, servos misit ad congregandos invitatos, qui tamen venire abnuerunt. Quibus ii successerunt qui secundum peculiare propositum vocati fuerant. Repletum est igitur nuptiale triclinium discumbentibus. Igitur ne prioribus quidem, si accedere voluissent, ullum impedimentum obiectum fuisse apparet. Nemini autem iniuriam facit praecognitio, neque vicissim quibuslibet prodest. Alioqui demonstrent, se quoque non fuisse praecognitos, qui sua incredulitate Deo vocanti iniurii fuerunt. Sed et vocati revera fuerunt, et accesserunt quidam ad nuptias; neque tamen electi fuerunt, neque iustificati, neque honore adfecti. Cur id, inquam? Quia convenientem nuptiis vestem non induerant. Alioqui et
* Matth. XI. 28. ipsum dominum nostrum Iesum Christum aperte dicentem comperimus *: « venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. » Ecce omnes ad se vocabat; nemoque adeo vocationis gratia caret: dum enim omnes dicit, neminem excludit. Nimirum quos multo ante praevidit, quinam futuri essent, eos praedestinavit ad futurorum bonorum participationem, eosdemque vocavit (2); ut per fidem in ipsum iustificationem consequerentur, neque denuo iam peccarent. Gloria autem, constitutis semel in incorruptione et immortalitate haec omnia contulit. Iam his verbis « scimus diligentibus Deum omnia in bonum cooperari » docere vult apostolus, minime Deum electos suos negligere, dum eos temporalibus exerceri sinit calamitatibus. Qui enim id fieri potest? quandoquidem illos ad tantorum bonorum usum vocavit, nec iam praesenti tempore sed antea longissime, ex quo videlicet sua ineffabili praecognitione ante
Gr. p. 33. ipsorum nativitatem viderat quales ii futuri essent. Etenim quum hos praescivisset tales futuros, convenientem suo erga illos affectui longe ante gratiam praeparavit. Cur eos ergo negligere potuisset, quorum nondum natorum bonum propositum remunerari paraverat, atque ad id eosdem vocaverat? Quamobrem propter fiduciam recipiendorum a Deo bonorum, his qui bene agere instituerunt, omnia, Deo favente, cooperantur. Nam qui naturali filio suo non pepercit, ut periclitantes servaret atque eriperet, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?

(1) Hoc manifeste contra Pelagianos dicitur.
(2) Observent scholastici praedestinationem post praevisa merita a Cyrillo perspicue traditam.

Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea. Cap. IX. 1.

Deus Israhelem ab initio sibi delegit, quin et primogenitum illum appellavit. Verum (Israhelitae) evaserunt superbi, contumeliosi, et quod his peius est, domini sui homicidae. Idcirco perierunt, repudiati enim sunt et abiecti, et a Dei familiaritate prorsus exclusi, et ipsis ethnicis posthabiti sunt, atque a parentum spe exciderunt. Ex quo autem beatus Paulus divinorum evangeliorum factus est minister, et Iesum gentibus praedicare coepit, natos de Israhelis genere a gratia excidisse dicens passim et ubique, eos vero qui tenebris aliquando obruti daemoniis serviebant, nunc esse vocatos secundum propositum et praecognitionem Dei adseverans, ne imperiti aliqui eum quodammodo insultare popularibus suis crederent, et prostratos irridere, necessariam defensionem instituit dicens: veritatem dico in Christo, non mentior, et reliqua. Profecto pro his qui in tantum improbitatis devenerant, ut a Dei caritate excidissent, eiusque rei causa iustas tulissent poenas, aequum est quemlibet dolere; tum etiam mutui amoris ergo lacrimam fundere, non est ratione alienum, immo summam denotat caritatem. Verum enim vero optare pro illis fieri anathema a Christo, id demum omnem amoris mensuram excedit. Neque enim quisquam, mentis suae compos, alienae salutis causa, Dei offensam incurrere velit; et dum vitam suam negligit, aliorum utilitatem procurare.

Cur ergo pro Iudaeorum salute, suam Paulus obiicere dicit? Nimirum hyperbolicus hic sermo est, et perfectissimae caritatis indicium. Optabam enim, inquit, ipse ego anathema esse a Christo pro fratribus meis; tamquam si diceret: si me Christi offensam incurrente, salvatur Israhel, id ego plane velim. Qui etiam iustificatis in fide ait *: non enim me scire quicquam iudicavi, nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum. Qui cunctis palam praedicavit *: quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? nunc is, inquam, tantum vult malum subire, et unus pro omnibus ad exitium currere? Immo vero ita loquitur, ut Iudaeos ad fidem sibi adhibendam pertrahat, et stultorum calumnias avertat. Nonnulli enim e Iudaeis existimabant divum Paulum, insanientem veluti, mosaicis legibus adversari. Hinc credentibus quoque scribebat *: « sive enim mente excedimus, Deo: sive sobrii sumus, vobis. » Igitur velim ego, inquit, et quidem valde alacriter, ut consanguineorum meorum saluti consulam, anathema esse a Christo. Addit autem, idoneam veluti sui propter illos doloris causam ostendens, quamobrem in tantum mentis propositum devenerit, et ne durum aliquid et absurdum videatur, dum ait velle se pro aliorum vita propriam prodigere; addit, inquam: primum quidem, ait, sunt Israhelitae, quorum est adoptio, et gloria, et foedera, et legis latio, et religio, et promissiones: ex ipsis denique et ipse secundum carnem Christus. Certe nisi Moysis lex testis fuisset nostrae cum Deo necessitudinis, vel iis paucis qui non ita pridem verum propria natura Deum agnoverant; nisi Iudaei sanctorum patrum radice pullulassent, eorumque nobilitatis heredes fuissent; nisi ipsi primi Dei colendi rationem sectati fuissent, et promissionum spem recepissent; multo certe minorem de iis gerere liceret sollicitudinem. Nunc quoniam illorum patres, et reliqua res publica, post non inprosperum cursum, inexpectato fine corruerant, atque a spe sua deciderant, quid ni vere dolendus erat qui calamitosis acciderat casus?

Gr. p. 31. — * I. Cor. II. 2. — * Rom. VIII 35. — * II. Cor. V 13.

Fieri autem non potest ut verbum Dei exciderit. v. 6.

Praecise loquitur. Minime enim fallacem esse ait, id est non posse a veritate

Gr p. 35. aberrare Dei sermonem. Promisit diserte Abrahamo ab initio universitatis Deus, patrem eum fore multorum. Rursusque: multiplicans multiplicabo semen tuum, quanta est stellarum in caelo multitudo. Oportebat igitur non Israhelitarum tantummodo demonstrari parentem Abrahamum: etenim unica gens erat, quae ex ipso extitit, innumeri vero per universum orbem populi, qui pariter filii Abrahami reputantur, si modo ad promissionem pertinent, et fidei incircumcisorum vestigiis insistunt, sicuti scriptum est. Ut enim ipse alibi ait beatus Paulus *: non per legem promissio facta est Abrahamo, ut esset mundi heres, sed per fidei iustitiam: nam si qui in lege vivunt, heredes sunt, vana est fides, et promissio excidit. Cum ergo, tamquam in Isaaco, Abrahami reputatur semen, id est secundum promissionem; etenim promissionis verba haec fuerunt *: circa hoc ipsum tempus veniam, et erit Sarrae filius; hinc patet, non carnis filios reputandos fore ubique et omnino in filios Dei, sed hanc potius gloriam consecuturos eos esse, qui ex promissione, id est qui per fidem, futuri sunt.

* Rom. IV. 13.

* Gen. XVIII. 10.

Cap. IX. 10. **Non solum autem, sed et Rebecca ex uno concubitum (1) habens Isaaco patre nostro.**

Sciendum est, heic non esse perfectum sermonis sensum, sed suspensum potius et brevi additamento indigentem, id est aliquid subintelligendum ne claudicare videatur. Ita vero se habet. Antea demonstraverat apostolus, non quia Abrahamo datus fuerit Isaacus vi promissionis, idcirco omnes carnis filios ipsimet in semen reputatum iri, sed eum convenientius patrem habendum fore illorum qui ex fide et promissione filii existerent. Deinde venit ad Rebeccam gestaque eius, aitque: non solum autem: id est haud usque ad Isaaci tantummodo nativitatem sermo meus pertinet, sed et Rebecca ex uno concubitum habens Isaaco patre nostro. Heic vero opus erat addere: reliqua nobis erit, puta, ad demonstrandum confirmandumque, id est fiet nobis exemplar et imago vocationis et gratiae per electionem praecognitionemque datae. Quippe addito huiuscemodi aliquo vocabulo, tunc demum videretur sequens eius sermo plenus decurrere. Sed nescio quomodo illo omisso, ad reliqua statim transiit, quae circa genituram natorum ex Isaaco dicta et acta sunt.

v. 14-24. Gr. p. 36. **Quid ergo dicemus? Num iniquitas est apud Deum? Absit.** *Et reliqua usque ad v. 24.* **Vocavitque nos non ex Iudaeis solum, verum etiam ex ethnicis.**

Quia verisimile erat a calumniosis nonnullis creditum iri, arcanam voluntatum inclinationem sortitos esse Iacobum et Esau (2); et illum quidem peculiari gratia dilectum, hunc autem odio habitum, praevertens necessario apostolus hanc iniuriosam supernis decretis opinionem, nititur suos ipse sermones tueri, ne contradicentes invicem videantur, sic quodammodo insurgens. Si enim, inquit, ante etiam quam quicquam egissent pueri, ante omne operum experimentum, alter amore dignus fuit habitus, alter odio, atque insuper minori iussus servire, fortasse iniustus est Deus. Atqui hoc quid ni insaniter dicetur? Nam si forte non evasisset vir bonus Iacobus, malusque Esau, diceret aliquis haud absurde, falsam fuisse praecognitionem, nec a vera inclinatione firmisque voluntatibus provenisse ea quae de utroque fuerant definita. Nunc quia vecors admodum fuit Esau, cordatus autem Iacobus, Dei sane praecognitio nemini iniuriam fecit, dum etiam ante tempus bono quidem tales mores largita est, quibus Dei dilectionem promereretur, alterum autem damnationem sibi

(1) Graece revera est quartus casus κοίτην, *concubitum*, seu *genituram*, aut *prolem*, tum in biblico contextu, tum etiam in commentario Cyrilli, eaque satis nota lectio est. Ceteroqui non deest alibi varia lectio κοίτου, unde latina *concubitu*.

(2) De Iacobo et Esau confer quae dicit Cyrillus glaphyr. in gen. lib. III.

comparare sivit. Profecto patientia uti, et operum tempus expectare, Deo arduum non erat, ut ex suis uterque operibus distingueretur. Quia tamen necessarium erat, tum gratiae ex electione datae, tum etiam doni ex praecognitione item dati, mysterium in praevio typo repraesentare; idcirco utiliter optimus harum rerum artifex Deus, occasionem quodammodo arripuit, et iam inde a puerorum horum genitura demonstravit, fore ut Isaacus, tamquam si solus ipse ex Abrahamo descenderet, innumerorum populorum pater fieret, qui ex promissione ac veluti in fide vocandi erant. Age vero si illorum, quos secundum suam notitiam eligit, immo et qui misericordia digniores sunt (1), miseretur Deus; dixit enim olim Moysi, miserebor quorum misereor, et propitiabor quibus propitior; quid ni res extra omnem calumniam sit? Age vero praevidens, ut reor, perspicue apostolus, non defuturos fortasse qui existimarent, divino nutu alios quidem bonos esse, alios contumaces, necessario ipse sibi obiicit quae ab illorum inscitia forent, aitque: ergo non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Si enim odio habitus est Esau ante etiam quam quicquam pravum patraret, in honore autem habitus Iacobus ante suam procreationem; itemque Gr. p. 37.
si miseretur Deus, quorum miseretur; cur non illud cogitare aequum sit, nihil prodesse si quis currat aut velit, id est si quis recte agere sibi proponat, cuncta autem nostra ex Dei nutibus dependere? Deinde congerit quae hanc sententiam roborare queunt, aitque: dicit enim scriptura Pharaoni, ego te ad hoc excitavi, ut in te ostendam potentiam meam. Additque his veluti totius propositionis conclusionem, dicens: igitur cuius vult miseretur, quem item vult indurat.

Ergo mihi dices: cur iam irascitur homini Deus? Nam voluntati eius quis umquam restitit? Quae, inquam, superest divinae providentiae defendendae ratio? Obscura sane quaestio, et quae illorum obiectionibus favere videatur. Verumtamen quamquam satis est in hoc defensionis, quod nihil extra ius et rectum apud Deum fit; tribuit enim quod cuique convenit, et miseretur compatiturque his quorum decet oportetque misereri; poenae autem scelestos subiicit, haud statim et e vestigio crimen sequente poena, sed praevia potius longa patientia, ita ut nonnulli interdum existiment res a Deo terrenas non curari; occurrit Paulus, et haec dictitantibus adversatur, verborum suorum vim ad prolatas in exemplum personas, Esau inquam et Pharaonem, dirigens. Sic igitur utrumvis ex his hominibus alloquitur: o homo, tu quis es, qui Deo respondeas? Num dicet fictile fingenti se, cur ita me fecisti? Hoc evidenti scilicet exemplo significat, multo esse periculosissimum divina iudicia redarguere. Certe quisquis uti par est cogitare volet, prorsus permittet scienti omnia Deo singularum rerum iudicium, prout ipsi videbitur; neque ullo modo dubitabit, quin sanctum sit, quicquid ille agendum susceperit, et de singulis pro sua potestate constituerit. Vehementer itaque reprehendit eos qui divinis ordinationibus omnino mentem intendunt, scrutantes utrum hae recte se habeant nec ne. Oportebat enim eos potius imitari quod est in manu figuli opificium, et cum silentio Dei operam sustinere. Neque enim dicet fictile fingenti se, cur me ita fecisti? Atqui heic quoque nonnulli fortasse dicent: si more figuli pro suo arbitrio rei cuiusque rationem Deus disponit, ita ut aliud quidem Gr. p. 38.
efficiat vas ad honorem, aliud ad ignominiam, quid ni hinc prorsus conficitur, ut exi-

(1) Rursus innuitur praedestinatio post praevisa merita. Utique etiam Eusebius caesariensis comment. ad psalm. LVI. ed. p. 258, Pauli sententiam pariter explicans, eandem circa praedestinationem doctrinam manifeste tradit: προγνοὺς μέλλοντας ἀγαπᾶν αὐτοὺς, προώρισεν κ. τ. λ. *quum eos praescivisset, qui amaturi ipsum erant, etiam praedestinavit* etc.

stimemus, eiusmodi omnino fore unumquemque hominem, cuiusmodi divinitus conformatus fuerit? ita ut alius quidem ad honorem genitus fuerit, atque huiuscemodi naturam sortitus; alius vero factus vel suscitatus cum durae indolis qualitate, eo consilio, prout Deus ipse ait, ut divinum nomen in universa terra divulgaretur. Cur ergo peccantes adhuc accusabimus, siquidem ad id conformati fuerunt?

Verumtamen his respondere licet, minime eos adfirmare posse, quod a praedictis sententiis diversa natura horum hominum nobis denotetur: neque enim sacra scriptura ait, quosdam formatos fuisse crudeles aut obduratos, vel vasa honoris et contumeliae, neque his naturam huiusmodi prorsus adtribuit; sed illud potius intelligendum suadet, nonnullos homines fieri solere vasorum fictilium instar, quorum aliis ad honorem, aliis vero ad ad ignominiam utimur. Quod exempli genus prophetarum verba nos docent. Ergo quanam ratione fiant quidam, more fictilium operum, alii ad honorem, alii ad ignominiam, et quas ob causas, id demum cognoscet qui Hieremiae
* Hier. XVIII. 2. sermones consulet. Ibi enim ita scribitur *: « surge, et descende (1) in domum figuli, ibique sermones meos audies. » Descendique in figuli domum, et ecce is opus faciebat in lapidibus, exciditque vasculum, quod faciebat, inter manus eius: isque denuo idemmet vasculum in aliud conformavit, prout ipsi facere libuit. Tunc factus est sermo Domini ad me dicentis: num ego minime potero instar huius figuli vobiscum agere, domus Israhel? En ut figuli limus estis vos in manibus meis. Decretum eloquar de gente aliqua vel regno ut exscindantur: et resipiscet gens illa ab universis malis suis; et paenitebit me malorum, quae illi inferre deliberaveram. Et decretum eloquar de gente illa vel regno, ut aedificentur atque plantentur: hi vero homines improbe coram me agent, nec voci meae obsequentur: et me vicissim beneficiorum quae in eos conferre decreveram, paenitebit. Viden quanam ratione formentur quidam ab honorem, quidam vero ad ignominiam? non quod reapse sic conformatam naturam sortiti sint, sed quia singuli parem operibus suis convenientemque remunerationem referunt. Iamvero si omnium rerum creator hominem punit, qui a rectis operibus deflectit ad
Gr. p. 39. turpia; vicissimque eum praemiis ornat, qui a turpibus ad honesta transmigrat, quid ni vere dicatur, minime quosdam naturaliter esse pravos, vel ita per se conformatos; sed vasa potius ignominiae evadere, quia quum ipsi rectam coram Deo vitam instituere decrevissent, voluntaria posthinc infirmitate ad deteriora declinarunt?

Atqui, dicet aliquis, cor Pharaonis Deus ipse obduravit; immo et illi diserte dixit: ad hoc te suscitavi, ut meam in te potentiam ostendam. Age vero, si Deus quosdam obdurat, atque ipsemet suscitat tamquam irae vasa, quae ad ignominiam fabricata dicuntur, cur iam eos qui sunt huiusmodi Deus reprehendat? Nam voluntati eius quis umquam restitit? Quis autem bonus fiat, qui abs Deo fuerit obduratus? Quid ad haec, inquam, respondere queam? Sane sufficit ad veri cognitionem, si reputemus atque credamus, nullius umquam pravae rei Deum esse auctorem; quaecumque enim ipse fecit (1), praeclara admodum sunt. Si ergo hominem esse Pharaonem negant, utique ostendant eum naturae nostrae nequaquam fuisse participem; nos vero ori nostro silentium imperabimus. Quod si ille potius a nobis non differebat, vel divinum palam incusent oraculum, ceu boni contrariique ignarum; vel si hoc dicere horrent, bona esse fateantur quaecumque ille ad existentiam produxit. Sic enim petulantissimam sententiam abiicient. Iam verba « ad hoc ipsum te suscitavi » Pharaoni dicta, nequaquam

(1) Excidit a textu graeco p. 38. καὶ κατάβηθι.
(2) Repetit sententiam suam partim Cyrillus.

« condidi » significant aut « creavi » sed evocavi potius ad voluntatem resistendi mihi; neque id a nativitate tua, sed eo tempore quo Moyses liberaturus Israhelem missus est. Porro ad quaenam fuerit vocatus Pharao, vel quam ob causam, sapientissimus nos edocebit Paulus: « volens, inquit, Deus iram suam demonstrare » et reliqua (1).

In errore versata est universa terra praeteritis temporibus; et alii quidem creaturam adorabant, alii religionem ad libitum sibi fingebant. Unus Abraham vocatus fuit ad Dei notitiam; atque ita ex eo nata gens est Dei cultui addicta. Sed quia eius quoque posteri in Aegyptum migrarunt, ibique diuturno tempore versati sunt, in errorem incurrerunt, et diis indigetibus cultum exhibuerunt. Sed enim quae promiserat Deus patribus, recordatus est, delectusque fuit ad apostolatum Moyses, ut Israhelem *Gr. p. 10.* servitio eriperet. Verumtamen opus erat et his qui ad Dei cultum vocati fuerant, et simul universis per orbem populis, non solum persuadere quod post longa demum tempora Deus Hebraeorum manifestatus esset, sed etiam miraculis maximis comprobare fidem erga eum et eiusdem gloriam, nempe quod non ut ceteri dii mutus esset et invalidus, sed quod omnia potius gubernaret, et quod demum resistentes iussibus eius ultio invadere soleat. Simul vero oportebat, miracula quae Deus patraturus erat, non sine conveniente ratione fieri. Suscitatus est ergo arcano consilio ad contradicendum Pharao, et contra divinam potentiam obduratus: cuius rei causa non iniuste punitus fuit; quippe impius alioqui erat et idololatra, lutoque et lateribus fabricandis Israhelem adfligebat, et mercedis loco laborem imponebat. Quamobrem irae vas necessario extitit, et perditioni semet addixit; id est in tantum improbitatis devenit, ut deinde fieret vas irae et perditionis. Hoc homine Deus usus est ad suae potentiae demonstrationem, utque suum nomen in universa terra divulgaretur, atque ut ille ea pati videretur quae pati dignus erat: quamobrem ei poena ob priora peccata debebatur, etiamsi forte in posterum non offendisset. Omnis igitur vituperatio et calumniosa nugacitas a Deo removeatur: qui cum vellet iram suam exserere, et potentiam denotare, longa patientia pertulit vasa irae, perditioni destinata, ut misericordiae vasis prodesset, id est iis qui ob fidem misericordiam consecuti sunt. Vocati enim sumus non ex Iudaeis tantummodo verum etiam ex ethnicis.

Moyses enim scribit: iustitiam, quae ex lege est, si fecerit homo etc. CAP. X. 5.

Iustitiam, Moyses scribit, quae ex lege est, si operatus fuerit homo, vivet propter eam. Sed enim nemo erat inculpatus, et qui eam posset observare. Delicta enim quis intelliget? Melior est ergo gratia, quae nos a damnatione legis liberat.

Quae autem ex fide est iustitia, sic dicit etc. v. 6.

(2) Utiliter definit, cuiusmodi esse debeat fides nostra, ut nempe nihil reprehen-

(1) De Isaaco, Esau, Iacobo, et Pharaone utiliter conferentur, quae pari vel uberiore etiam doctrina, pro sua immensa dicendi facultate, disputat Chrysostomus in XIV. homilia ad hanc epistolam. (Idem habet ἐξ ἑνὸς κοίτην (non κοίτου) ἔχουσα, *ex uno conceperat;* uti scribunt etiam Cyrillus, Theodoretus ac Theophylactus.)

(2) Totum hunc Cyrilli tractum suppeditavit nobis S. Nicephorus constantinopolitanus in apologetico maiore pro ss. imaginibus p. 137, quem alio volumine nos edidimus. En autem graeca Cyrilli verba.

Τοῦ ἁγίου Κυρίλλου Ἀλεξανδρείας ἐκ τῆς ἑρμηνείας τῆς πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολῆς, εἰς τὸ ῥητόν· ἡ δὲ ἐκ πίστεως δικαιοσύνη οὕτως λέγει.

Ὁρίζεται χρησίμως καὶ ὅπως ἂν γένοιτο πρὸς ἡμῶν ἡ πίστις. εἰ τὸ ἀμώμητον ἔχοι παρὰ θεῷ, καὶ τό γε δὴ λίαν εὖ πεποιῆσθαι δοκεῖν· τὸ μὲν γὰρ ἐνδοιάζειν ὅλως καὶ καταδονεῖσθαι φιλεῖν εἰς ἀδρανῆ διψυχίαν. ἀπόβλητον παντελῶς· περιττὸν δὲ ἴσως καὶ τῶν ὅτι μάλιστα σφαλερωτάτων τὸ χρῆναι περιεργάζεσθαι τὰ καὶ λόγου πέρα παντός. νοῦ τε ἐστι τοῦ καθ' ἡμᾶς ἐν ἀμείνοσι· πῶς γὰρ ἂν εἶεν ἐμφανῆ τὰ ἀποῤῥήτως παρὰ θεοῦ τεχνουργούμενα; καὶ μὴν καὶ καρδίας ὀφθαλμός; τίς ἂν εἴη τοσοῦτος, ὡς καταθρῆσαι δύνασθαι θεόν; μᾶλλον δέ. τίς ἄρα συνήσει, κἂν εἴ τις ἕλοιτο

*

sibile in Deo esse credat, sed omnia rectissime ab eo fieri. Namque in dubio prorsus versari, imbecillaque animi perplexitate sponte nutare, detestanda res est. Videtur item supervacuum et maxime periculosum si quis existimet oportere scrutari ea quae et ineffabilia sunt, et intellectum nostrum superant. Quomodo enim appareant, quae Deus ineffabili ratione operatus est? Insuper cordis oculus quis tantus sit, ut Deum conspicari queat? Immo vero quis intelligat, si quem forte dicentem narrantemve ea quae modulum nostrum excedunt, audiat? Nam dominus noster Iesus Christus de spiritali regeneratione cum Nicodemo disserens, aiebat *: amen, amen dico vobis, nisi quis denuo (1) natus fuerit, non intrabit in regnum Dei. Tum et quae ibi sequuntur adiecit. Quum vero Nicodemus nihil prorsus intelligeret, tunc demum Christus, humanae mentis hebetudinem longe abesse ab intelligendi subtilitate declarans, ait: si terrena vobis loquenti non creditis; quomodo si dixero vobis caelestia, credetis? Tum perrexit dicere: amen, amen dico vobis, quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum nemo recipit. Sunt ergo inscrutabilia, quae altiora nobis sunt. Nam si vere dicitur, ea ipsa quae in manibus sunt, vix a nobis, uti scriptum est, comprehendi; quid ni necessarium sit opinari, in iis quae ratiocinium nostrum superant, multo utilissimam esse fidem, nullo examine comitante, nulla vana adhibita vestigatione? Namque in his rebus prudentia praecipuum ornamentum est (2).

* Ioh. III 5.

Cap. X. 11.

Omnis qui credit in ipsum, non confundetur.

Ne bonum sibi tantum peculiare Israhel existimet salutem esse per fidem: omnis enim, inquit scriptura, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit, sive iudaeus sit sive ethnicus, sive servus sive liber. Indifferenter salvat universalis Deus; cuncta enim ad eum pertinent. Sic omnia instaurari in Christo dicimus.

Gr. p. 41.

Cap. XI. 1.

Num Deus populum suum repulit? Absit.

Prudenter Paulus Israhelem, quamquam caecitate laborantem, nihilo tamen minus haud sinit gravius obdurari rerum suarum omnimoda desperatione, sed ad mollia verba sollerter transit. Hactenus enim ceu contumacem accusaverat Israhelem: sed tamen spe superna non destituit, neque omnino Dei familiaritate exclusum ad-

λέγειν, καὶ ἀφηγοῖτο τὰ πολὺ λίαν ὑπὲϱ ἡμᾶς; ὁ μὲν γὰϱ κύϱιος ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χϱιστὸς, Νικοδήμῳ ποτὲ τοὺς πεϱὶ τῆς πνευματικῆς ἀναγεννησεως παϱετίθει λόγους, καὶ δὴ καὶ ἔφασκεν· " ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν, οὐ δύναται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ· „ εἶτα τούτοις πϱοσετίθει τὰ ἐφεξῆς· συνιέντος δὲ αὐτοῦ παντελῶς οὐδὲν, τότε δὴ τότε Χϱιστὸς, τῆς τῶν ἐννοιῶν ἰσχνότητος ὡς ἀποτάτω τιθεὶς τῆς ἀνθϱώπου διανοίας τὸ πάχος, " εἰ τὰ ἐπίγεια εἶπον ὑμῖν, φησι, καὶ οὐ πιστεύετε, πῶς ἐὰν εἴπω ὑμῖν τὰ ἐπουϱάνια πιστεύσετε; πϱοσετίθει δὲ τούτοις· ἀμὴν ἀμὴν λεγω ὑμῖν, ὃ οἴδαμεν λαλοῦμεν, καὶ ὃ ἑωϱάκαμεν μαϱτυϱοῦμεν, καὶ τὴν μαϱτυϱίαν ἡμῶν οὐδεὶς λαμβάνει. „ Οὐκοῦν ἀβασάνιστα τὰ ὑπὲϱ ἡμᾶς· εἰ γάϱ ἐστιν ἀληθὲς ὅτι πεϱ τὰ ἐν χεϱσὶν εὑϱίσκομεν μετὰ βίας κατα τὸ γεγϱαμμένον, πῶς οὐκ ἀναγκαῖον ἐννοεῖν, ὡς ἔν γε τοῖς ὑπὲϱ λόγον, χϱησιμωτάτη λίαν ἡ πίστις, οὐκ ἀκολουθούσης ἐϱεύνης, οὐ ζητήσεως εἰναίας ἐπενηνεγμένης: συνέσει γὰϱ τὰ τοιάδε τῶν πϱαγμάτων τιμᾶται λαμπϱῶς.

(1) Cardinalis Sadoletus in suo adhuc inedito opusculo de peccato originali ait: « illud *denuo* in graeco sic scriptum est, ut indicet etiam *ex alto*, quasi a summo dicas: et potest quidem haec dictio, a summo, aeque ut graeca ἄνωθεν, in utrumque sensum accipi, ut *denuo* intelligatur, et *ex alto*; quandoquidem nova ex baptismo generatio, non iam ex mundo nobis, sed ab ipso Deo ducitur. » Iisdem prope verbis loquitur Sadoletus in alio opusculo a nobis edito Spicil. rom. T. II. p. 192, ubi addit: « sed non est, opinor, de verbis contendendum, quum praesertim Christus cum Nicodemo non graece sed hebraice locutus sit. »

(2) Doctrina haec Cyrilli, de christiana fide absque dubitandi iure, immo etiam absque liberi indifferentisque examinis facultate, in iis praesertim quae humanam mentem superant, temporibus sane nostris opportunissima est, quibus ecclesia errorem hominum ratione humana abutentium damnare denuo coacta fuit. Legantur de hoc argumento aliorum quoque sanctorum patrum auctoritates apud Nicephorum loco cit. Nemo ergo dicat vel putet, ecclesiam quicquam novi nuper definivisse, quod non in perpetua praxi doctrinaque saeculorum apud ipsam fuerit.

firmat; cuius rei manifestam dat demonstrationem, se ipsum in exemplum sistens et israhelitam et de Abrahami semine; tum etiam honestissime populum Dei adhuc appellans, additaque sermoni de repudio particula negante « absit. » Haec autem ab eo fiunt contumacibus blandiendo et molliter assentando, ut ipsos ad piam mentem docilemque transferat. Si ergo evidens est, ipsum ad apostolatum fuisse vocatum, et mysteriorum Servatoris sacerdotem factum, atque ad gentes praeconem et apostolum, quamquam esset israhelita, patet a Deo populum suum non esse repudiatum.

An nescitis in Elia quid dicat scriptura? Cap. XI. 2.

Opportunissime, ceu quandam eorum quae Israheli nunc contigerunt imaginem, profert temporum Eliae historiam. Namque ex illorum veterum comparatione gestorum facile cognoscitur, voluntaria pariter insania laborasse Israhelem. Siquidem regnante Samariae Achaabo, idola Israhel absurde colebat, victimaeque et fana ubique erant. Interim siqui Deo adhaerebant, magno in pavore versabantur, et intolerabili premebantur persecutione; ita ut in antris petrarumque cavernis latitarent prophetae, et ipse Elias cum in profundam secessisset eremum, sic cum Deo supplex expostularet *: « altaria tua subfoderunt, prophetas tuas occiderunt, solusque ego relictus sum, cuius item anima exquiritur. » Sed illico responsum audiit: « supersunt mihi septem milia virorum, qui Baali genua non flexerunt. » Atqui ut illo tempore nequaquam Deus ad tam impia scelera impulit Israhelem, sed hic potius sua vesania ita peccavit; sic nunc Deo patre salutem per Christum omnibus exhibente, neminemque repellente, Iudaei sponte ad apostasiam declinaverunt, redemptore contempto. Non ergo repulit Deus populum suum, cui potius, ut dixi, obtulit, si certe is maluisset, salutis quae per Christum datur participationem.

* III. Reg. XIX 14.

Gr. p. 42.

Si ergo gratiâ, haud iam amplius ex operibus etc. v. 6.

Si gratiâ, inquit, haud iam amplius ex operibus; alioqui gratia, iam gratia non esset. Ubi, inquit, putat quispiam se operibus suis quid promereri, ibi prorsus supervacaneum vanumque erit gratiae nomen et valor. Etenim operanti, inquit scriptura, merces tribuitur non ex gratia sed ex debito. Itaque si ex operibus gratia consurgit, iam non est gratia.

Quid igitur? Quod quaerit Israhel, non est consecutus. v. 7.

Dixerat, a Deo populum suum non fuisse repudiatum. Sed quia verisimile erat adversaturos quosdam, atque hoc obiecturos, nempe: quid ni Deus populum suum repudiavit? siquidem Israhel reapse a cultu defecit, etsi non totus neque omnino, sed ex parte tamen: etenim reliquiae aliquot servatae sunt, et hae ipsae secundum electionem. Occurrit autem Paulus prudenter admodum dicens: quid igitur? nempe quid aio ad haec? Quod quaerit Israhel, non est consecutus, sed electio id adepta est: ceteri vero caecati sunt. Quaerebat Israhel iustificationem ex lege: sed quomodo iustificari poterat, quandoquidem lege nemo perficitur? Ergo iustificationem quidem in typo quaerebat Israhel, sed non est consecutus: sed qui singillatim prae ceteris electi fuerunt, propter suam credulitatem eam adsecuti sunt; iustificati nimirum per fidem. Ceteri excaecati sunt, videlicet duri et contumaces.

Et David dicit: fiat mensa eorum in laqueum etc. v. 9.

Fiat, inquit, mensa eorum in laqueum, et reliqua. Maledicta enim iure meritoque evasit mensa illorum, id est inhospitalitas ac saevitia, quam contra Christum in crucem sublatum exprompserunt, cum sitienti acetum felle mixtum propinaverunt.

Cap. XI. 11. **Dico igitur, num sic offenderunt ut caderent? Nequaquam etc.**

Miror tuam benignitatem, o dive Paule, qui divinae dispensationis sermones egregie concinnas: contendis enim non eam ob causam ethnicos fuisse vocatos, ut omni
Gr. p. 43. erga Deum spe exciderent Israhelitae, postquam in Christum ceu lapidem quendam impegerant; sed ut potius aemulantes eos, qui insperato recepti fuerant, dediscerent inhonesta, et meliora sapere vellent quam antea, atque ita redemptorem admitterent. Rem brevi exemplo confirmare placet. Interdum accidit ut parvi impuberesque pueri, congruos aetati suae luctus suscipiant; atque ita a patre vel matre aufugientes, lacrimas oculis haud dissimulanter effundant. Et sane haud parum parentes contristant, prout fert insitus erga liberos amor: verumtamen ut ab acerbitate illa ineptiisque eos callide revocent, puerum alium forte occurrentem ad se pertrahunt, atque huic sua munuscula conferunt, aemulationem sic excitantes, atque ad reditum parentumque amorem revocantes. Ita fere se nunc Deum gessisse, ut ego arbitror, divus Paulus dicit, ne Israhelem, peccatorem licet, desperare permitteret.

v. 12. **Quod si lapsus illorum, divitiae sunt mundi.**

Si enim, inquit, adeptus est mundus Dei gratiam propter Israhelis offensionem; et quia hic bona mente caret, adsumpti sunt ethnici; quaenam iam ipsorum adsumptio erit, nisi ereptio a morte, et ex mortuis ad vitam revocatio?

v. 14. **Siquo modo ad aemulandum provocem carnem meam.**

Carnem propriam denuo appellat Israhelem, sive suum secundum carnem genus. Ac si dicat: inclytum et magni pretii Deoque carissimum apostolatum meum esse aio, et omnibus qui sub sole degunt utilissimum; neque id ob eam causam dico, ut vano honore, incongruaque pompa caput meum videar ornare; sed ut meam secundum carnem gentem salvem. Sic nimirum Israhelitas, stimulo veluti, aemulatione compungens atque incitans ut per Christi gratiam iustificari velint.

v. 25. **Donec plenitudo gentium intraret, atque ita universus Israhel salvus fieret.**

Hoc rursus pervide, et considera. Ait enim fore ut gentium plenitudo ingrediatur, et universus Israhel salvetur. Atqui hoc loco quispiam fortasse dicet: utique multi ethnici in infidelitate sunt mortui; quomodo ergo plenitudo gentium introiit? Sed ne cunctus quidem Israhel salvabitur, si certe verum est, fore ut iniquitatis fi-
Gr. p. 44. * Ioh. V. 43. lium Iudaei recipiant, Christi amore contempto. Hoc enim ipsemet dixit *: ego veni in nomine patris mei, nec me recipitis. Si alius in proprio nomine venerit, ipsum
* II. Thess. II. 10. recipietis. Praeterea sapientissimus Paulus ait *: quia veritatis amorem non admiserunt, ut salvi fierent; ideo immittit in eos Deus operationem erroris, ut mendacio credant. Quid ergo ad haec dicemus? Dicimus, quod offerente Deo liberaliter omnibus fidei gratiam, et neminem prorsus excludente, quid ni ingressa fuerit plenitudo gentium, quantum certe adtinet ad vocantis mentem scopumque? Non enim propterea quod nonnulli sponte exciderunt donumque abiecerunt, idcirco falsam deprehendemus sacrae scripturae adfirmationem: cum enim oblatis semel bonis potiri possent, voluntariam contra fecerunt apostasiam. Ergo quantum adtinet ad vocantis benignitatem caritatemque, et plenitudo gentium introiit, et universus pariter salvatus est Israhel: sed quatenus inconvertibilis mansit, pars certe eius excaecata, inquit, est.

v. 26. **Sicuti scriptum est: veniet ex Sion liberator.**

Quod reiectus quoque Israhel salvandus postea per tempora sit, spem firmat sacro prolato oraculo. Reapse enim tempore suo salvabitur Israhel, postremo loco vocandus post gentium vocationem.

Sicut et vos non credidistis aliquando Deo etc. Cap. XI. 30.

Utrosque in eadem fuisse culpa demonstrat, eademque et una gratia sanatos tum ethnicos tum Israhelem. Vocatus fuit enim per Moysem olim Israhel, et Aegypti calamitate liberatus: sed daemonum ministri, id est ethnici, qui Aegyptiorum nomine intelliguntur, minime adhuc credebant divinae erga Israhelem misericordiae: neque enim fidem adhibebant miraculis per Moysem patratis, neque Iudaeorum Deum volebant agnoscere. Vix tandem dimissus est ad sacrificandum in deserto populus Iudaeorum; ipsi tamen priscum retinebant errorem. Nunc ipsi vicissim consecuti sunt misericordiam, in offensam delapso Israhele, qui misericordiae gentibus datae non credidit; ita tamen ut et ipse per tempora miseratione potiturus sit. Par est igitur amborum culpa, miserantis auxilio aeque indigens. Conclusos autem fuisse omnes dicit in incredulitate a Deo, ut omnium misereretur. Neque tamen divina voluntate factum umquam putemus, ut nonnulli discrederent, atque hinc post lapsum veniam consequerentur: sed in incredulitate potius conclusisse eos intelligendum est, quatenus ipsos incredulitatis reos ostendit, et suis ipsis factis coargutos: adeo ut in tantam postea infelicitatem devenerint, quae miseratione et venia indigeret. *Gr. p. 45.*

Qui manducat, Domino manducat, et gratias Deo agit. Cap. XIV. 6.

Haud de gravissimis rebus heic agitur. Quaeritur enim, utrum propter Deum hic vel ille operetur, utrum ambo gratias agant. Si ergo quod quaeritur, gratiarum actio est; qui carnem edit, non qui iudaizat, is est revera qui gratias agit: qui carnis edendae licentiam sibi sumit, non qui adhuc legi adhaeret.

Scio et confido in domino Iesu etc. v. 14.

Scio et confido, inquit, in domino Iesu, quod nihil commune (1) propter ipsum, et reliqua. Fide dignus testis, qui scire se et confidere adseverat. Addit autem et in Christo Iesu, ut veritatem magis roboret, atque ut fidem ab audientibus sine ulla dubitatione impetret. Meminit autem et dicti olim a Christo: non quod in os ingreditur coinquinat hominem *: et quod omnis esca in ventrem vadit, et in secessum emittitur. Est enim haec eduliorum conditio. Quamobrem quod quidem ad naturam adtinet, nihil profanum est, nihil contaminatum ex his quae nutrimento inserviunt: sanctificantur enim omnia per verbum Dei et orationem. Sed et illud meminimus, quod quum Deus omnia crearet, vidit, inquit scriptura, valde esse bona, benedixitque eis. Quum ergo Deus creatas a se res cum laude adprobaverit, quis dicere ausit, inquinamentum et contaminationem inde provenire, quin simul creatorem accuset? Ergo nihil omnino profanum est in creatis rebus. Quod si quis forte arbitratur aliquid esse profanum, ipse potius in mente sua inquinamento laborat. Cuncta enim munda sunt, sed incredulus inquinatur sua in aliquibus infirma fide, non iis ullatenus rebus quas ipse profanas existimaverit. Nam sicuti mente perfectis unus est Deus, nullusque praeter ipsum alius, neque idolum ullum in mundo esse creditur, sic ab iisdem nullum esse existimatur idolothytum. Nam qui idolum non agnoscit, quomodo idolothytum pensi habebit? Utique iis, qui plures esse putant Deos, idolothytum quoque aliquid esse videtur; at credentibus incontaminata puraque esse omnia, quae a Deo sunt, nihil natura propria profanum prorsus habetur: est autem liberrimus escarum usus: verum iis qui nondum id sibi persuaserunt, nondum munda sunt secundum ipsorum ut rentur rectam opinionem; sed profana habentur, quia mens ipsorum ad veritatem claudicat.

* Matth. XV. 11. 17.

Gr. p. 46.

(1) Id est profanum vel impurum aut pollutum, ex Hebraeorum nimirum sententia.

Cap. XV. 7. **Ideo suscipite alterutrum, sicut et Christus suscepit vos in gloriam Dei.**

Multi unum corpus sumus, et membra alterutrius, sicuti scriptum est, constringente nos in unitatem Christo caritatis vinculis. Ipse est enim qui fecit utraque unum, medium parietem maceriae solvens, legem praeceptorum decretis destruens. Oportet igitur eadem omnes invicem sentire; et si unum membrum aliquid patitur, cuncta compati membra; sin unum membrum glorificatur, cuncta membra gaudere. Ideo suscipite, inquit, alterutrum, sicut et Christus suscepit vos in gloriam Dei. Suscipiemus autem invicem, si eadem sentire voluerimus: ferentes item alter alterius pondera, servantesque unitatem spiritus in vinculo pacis. Sic nos quoque suscepit Deus in Christo. Nam verax est qui dixit *: sic Deum dilexisse mundum ut filium suum pro nobis tradiderit. Datus est enim pro omnium nostrum vita redimiae, et a morte translati fuimus, et ex morte ac peccato redempti. Atque huius dispensationis scopum illustrat dicens, Christum factum esse circumcisionis ministrum pro veritate, et reliqua. Nam quia Iudaeorum parentibus promiserat Deus, benedicturum se futuro ex ipsis semini, et astrorum caelestium instar multiplicaturum, ideo apparuit in carne, factusque homo est, qui Deus Verbumque ipsummet erat, qui universam rem creatam conservat, cunctisque incolumitatem tribuit utpote Deus. Venit autem in hunc mundum cum carne, non tamen ut ei ministraretur, sed ut ipse potius, sicut ait, ministraret, animamque suam pro multis redemptionem traderet. Profecto fatebatur se manifeste venisse, ut promissa Israheli compleret. Aiebat enim: non sum missus nisi ad oves domus Israhelis quae perierant. Quamobrem haud mendaciter Paulus ait, ministrum illum fuisse circumcisionis, ut promissa patribus rata haberet, eiusque rei causa traditum fuisse a Deo patre, atque ut misericordiam ethnici consequerentur, quô et ipsi eum glorificarent tamquam omnium creatorem, et opificem, servatorem, ac redemptorem. Prorsus enim cavendum erat, quandoquidem ob suam multam incredulitatem impie eum laeserat circumcisus populus, nec eiusdem redemptionem admiserat, ne inutilis videretur ineffabilis caritas Dei, dum vix pauci salvarentur credentes Israhelitae. Idcirco dilatata in omnes superna clementia, adsumpti sunt ethnici, et sapientiae in Christo mysterium a suo benignitatis scopo non aberravit: salvatus est enim, loco eorum qui exciderunt, universus mundus, Deo miserante. Quod autem praedictum fuerit hoc mysterium sanctorum voce, qui in spiritu futura praecognoverunt, demonstrat evidenti prolato prophetiarum testimonio (1).

* Ioh. III. 16.

Gr. p. 47.

(1) Extant haec prophetica testimonia in versiculis 9-12, in quae etiam commentatum fuisse, nec non in reliquam partem Epistolae Cyrillum credimus, etsi nihil Cyrilli praeterea in codice est.

SANCTI EIUSDEM CYRILLI

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

EXPLANATIO

IN PRIOREM AD CORINTHIOS EPISTOLAM.

Paulus vocatus apostolus Iesu Christi etc. Cap. I. 1.

Missum se ait divus Paulus a Christo, voluntate Dei patris. Id enim significari existimo verbis « per voluntatem Dei. » Quia enim per filium tum voluntas tum operatio patris conficitur, per eundem item sanctos apostolatui destinatos fuisse dicimus. Gr. p. 48.

Et Sosthenes frater etc.

Quod praedicationis virtus profutura sit non Corinthiis tantummodo, verum etiam cunctis in Christo vocatis ad sanctificationem per fidem, liquido demonstrat dicens: « sanctificatis in Christo, in omni sive ipsorum sive nostro loco. » Lex enim haud in omni loco iubebat id fieri, sed ad sacrum ipsum proficisci Hierosolymorum templum. Metuebat enim, ut credibile est, mentis eorum volubilitatem; ne si forte quovis in loco adorare iussi fuissent, causam suae transitionis ad turpem cultum legem haberent, atque idola adorarent, templa sibi et aras construentes. Quia vero nos ethnici vocati deinde fuimus per fidem in Christum ad Dei familiam, et libertate per sanctum Spiritum potiti sumus, adorare iussi sumus haud Hierosolymis cuncti, sed in omni loco. Atque hoc nimirum prophetae edixerant *: et venerabuntur Dominum singuli de loco suo. » Scribit autem Sostheni simul et ecclesiae Dei, quam ipse sibi Christus comparavit. Quis autem hanc ecclesiam viderat? Cuncti scilicet qui sanctificati erant et vocati per Christum ad iustificationem, quique invocabant nomen eius in omni loco ipsorum et nostro, id est sive in Iudaeorum regione, sive in ethnicorum civitatibus ac provinciis. Deum autem natura propria praedicat Christum (1), et cum ipso ac per ipsum Deo patri gloriam conciliat: Dei enim ecclesiam appellat sanctificatos. Rursus autem Christo illos adscribit dicens: si quis spiritum Christi non habet, hic non est ipsius.

* Soph. II. 11. — Gr. p. 49.

Gratia vobis et pax a Deo patre nostro et domino Iesu Christo. v. 3.

Gratià coronat credentes, quae est a Deo patre et a domino Iesu Christo. Per ipsum enim et in ipso omnia dantur a Deo patre: ipseque una cum genitore suo collator est et communicator supernorum bonorum, cunctorumque caelestium charismatum distributor: ipse pacem cunctis conciliat, gratia sua illuminans principatus et thronos et potestates, atque, ut uno verbo dicam, rationalem quamlibet creaturam.

Estote autem coagmentati eadem mente eademque sententia. v. 10.

Quod Domini nomine gloriari oporteat, necessario sapienterque docuit ipse Deus per unum de sanctis prophetis dicens *: « servis autem meis vocabitur novum nomen, quod in universa terra benedicetur. » Christiani enim nominamur, et nomine

* Is. LXV. 15.

(1) Recole quae adnotavimus p. 3. de studio Cyrilli perpetuo adserendi veram naturalemque Christi Iesu domini nostri deitatem.

novo ditati sumus, quo spoliati merito sunt nonnulli, qui a recta ecclesiae doctrina discesserunt, ac erroneis spiritibus impiorumque pseudo-magistrorum portentis adhaerentes, ab his nomen contraxerunt: nec immerito, non enim Christi sunt, qui blasphemiam adversus eum participaverunt, atque in varias sectas et sententias dispertiti sunt. Atqui Christus suos ad pacem vocavit, quia unus ipse est, et indivisus. Unum igitur sumus omnes in Christo, atque ob id eadem mente eademque sententia coagmentati, constringente nos, ut simus spiritali copula unanimes, illo qui dicit Deo

* Ioh. XVII. 21. patri *: « volo, ut sicut ego et tu unum sumus, ita et ipsi nobiscum unum sint. »

Cap. I. 13. **Num divisus est Christus? Num Paulus pro vobis crucifixus fuit?**

Si quis alius pro nobis crucem pertulit, utique et ipsius dicamur. Item si forte cum alterius invocatione baptizati fuimus, ille nos possideat, eundemque servatorem ac redemptorem appellemus. Sin vero Christus pro peccatis nostris mortuus est, et nos ei

Gr. p. 50. uni consepulti fuimus per baptismum in mortem, possideat, inquit, emptas a se animas ipse. Salvati enim per ipsum et ab ipso sumus, qui pro nobis animam suam posuit.

v. 17. **Non enim me misit ad baptizandum Christus, sed ad evangelizandum.**

Missus fuit ex professo Paulus ad Iesum gentibus praedicandum. Nihilo tamen minus ad apostoli officium pertinere dicimus quicquid tempori et usui congruum fuerit conficere; et quidem etiam siquos baptizare voluerit. Ceterum ne videretur tempus praedicando aptum aliis curis impendere, recte sinens ut alii per regiones dispersi, cunctique nominatim episcopi, hoc per otium facerent, ipse ad evangelii potius praedicationem incumbebat: quippe cui verbi ministerium potissime creditum fuerat, et Christi mysterium vel maxime erat exploratum. Sed siculi divus Stephanus, etsi mensarum ministrum agebat, non alienum a se putabat initiandi officium; sic etiam divus Paulus, quamquam evangelizando Christi mysterio destinatus, attamen pro oblata occasione, baptizandi quoque ministerium implebat, habens videlicet utriusque rei potestatem, nulloque eum prohibente, si quando hoc etiam agendum sibi putaret.

v. 20. **Ubi sapiens? ubi litterator? ubi conquisitor huius saeculi?**

Tumidis quidem mundana sapientia hominibus, et fidem, Christi videlicet, non recipientibus, stultitia videtur evangelium. Nobis vero longe alia sententia est: profitemur enim illud esse Dei virtutem viamque salutarem quae ad sanctificationem ducit, atque ad veritatis notitiam sapienter erudit copiosis praedicationibus. Existimo autem sapientes ab eo nunc vocari rhetores, qui suae eloquentiae vi credibilia argumenta mendacio connectentes, speciem huic veritatis conficere studebant. Litteratores vero intelligo ludimagistros sive grammaticos, qui poëtarum libros scrutari solent ac pueris interpretari. Conquisitores denique dicit eos qui verbis cavillari solent, et res subtiliter examinare, quique mentis suae adinventionibus, prout unicuique in singulis propositis res probabilius se habere videtur, veritatem quaerere simulant (1). Sed nullatenus recte agunt, immo prorsus incuriose: ignorant enim omnium Deum, qui hanc

Gr. p. 51. mundi universitatem arcana vi sine ullo labore fabricavit, et ea quae nulla erant (2), ad existentiam unico nutu produxit. Fatua est igitur vere mundi sapientia.

v. 21. **Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvare credentes.**

Dei sapientiae nomine humanam quoque intelligentiam denotat et eloquentiam, sive ipsum verborum ornatum; ut doceat mentis auctorem esse Deum, et prudentiae

(1) Videtur heic designari secta vetus hominum rationalitatem fallacem malitiosamque profitentium.
(2) En mundum a Deo ex nihilo creatum, quicquid ethnici falsive philosophi contra dixerint.

atque elocutionis datorem, etiamsi aliqui non ut par erat his usi sunt. Praedicationis vero stultitiam dicit verborum simplicitatem: rudi enim sermone fuerunt divi discipuli, sed sententia divite.

Quoniam et Iudaei signum petunt, et ethnici sapientiam quaerunt. Cap. I. 22.

Utrumque vere dicit Paulus. Etenim olim Christo de sacris septis eiicienti ovium boumque, turturum et columbarum venditores, edicentique, nolite facere domum patris mei, domum negotiationis, adversati sunt Iudaei aientes: quodnam signum nobis ostendis, quamobrem id facis? vel quis tibi hanc potestatem adtribuit? Accesserunt autem et litteratores aliquot, post tot edita a Christo miracula, maligne dicentes: magister, volumus a te signum videre. Prorsus igitur parvipendentes sanctorum voces, ex quibus ab eis cognosci par erat, ipsum esse Christum, divina portenta petebant. Unde Christus missis abs Iohanne ait: euntes renunciate Iohanni quae auditis atque videtis: caeci vident, claudi ambulant, et reliqua. Ethnici vero elocutionis verborumque splendorem quaerentes, stultitiam existimant incarnationis rationem, aiuntque: cur omnino opus erat, eum qui natura Deus erat, et ex Deo natum Verbum, qui sola voluntate nutuque quicquid ei libuerit, potest efficere, fieri hominem, mortemque perferre? Quî vero, inquiunt, virgo pariat? quomodo resurget, qui morte fuerit corruptus? Atqui nil mirum est haec ab illis dici: namque animalis homo non percipit quae sunt spiritus: est enim illis stultitia, quae nobis est Dei virtus et sapientia. Salvavit enim mundum Deus pater per ipsum (filium), tamquam per insitam sibi naturaliter virtutem, ineffabilem videlicet suam sapientiam. Nam sapientia virtusque Dei patris est filius, per quam virtutem cuncta originem sortita sunt, et creata conservantur. Quod si quis, inquit, hominum viribus comparare Dei vim voluerit, plane pervidebit, illa etiam Dei opera quae infirmiora fortasse videntur, neque totam agentis vim exhauserunt, superiora esse qualibet humana vi. Atque eadem hac ratione de sapientia quoque iudicabis: nempe quod stultum in divinis videtur, sapientius humanis comperiri. Veluti si cum magnitudine ac pulchritudine caelestium elementorum, solis et aliorum siderum, ignis, aquae, aliorumque huiusmodi, conferre quis velit parvas ac minimas creaturas, tenuis sine dubio deprehendetur harum virtus et sapientia, eàque multo inferiores quilibet iudicabit. neque aliquis apud nos tantae virtutis artifex umquam erit. Revera igitur quod infirmum est Dei, fortius est viribus humanis; et quod in Deo stultum, sapientius est hominibus. Ergo divina dispensatio in summa sapientia versatur. Universi enim orbis regnum prudenter obtinuit et cum sapientia Christus. *Gr. p. 52.*

Annuncians vobis Dei testimonium. Cap. II. 1.

Dei testimonium dicit Christum: de quo Deus pater testificatus est dicens: hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

Et ego in infirmitate ac timore etc. v. 3.

Ego tamen adeo humili sermonum genere usus, verebar magnopere ne forte hi sublimiores sensu nostro comperti, nihil prodessent vel potius officerent. Nam menti tenerae mollis facilisque cognitu sermo accommodatus est; maturiorum autem est solida nutritio, qui sensum exercitatum habent ad boni malique discretionem. Fuit itaque, ait, tamquam cum multa infirmitate, et non cunctis exsertis viribus, initiantis apostoli ad vos sermo: neque sane cum persuasione humanae sapientiae, sed cum ostensione spiritus ac virtutis, ne fides vestra in hominum sapientia niteretur, sed in Dei virtute. Etenim praedicationi addebant apostoli divinorum quoque prodigiorum

evidentem ostensionem, hunc rei cardinem ponentes, nempe opus esse credere (1),
Gr. p. 53. Deum in his et a Spiritu et a rebus quoque gestis testimonium accipere (2): ita ut arcana quadam ineffabilique virtute et vi utentes, prodigia quoque facile efficerent. Porro ethnicorum fabulae egebant utique eloquentiae patrocinio, quod ipsorum deformitatem quodammodo tegeret: secus autem divinae praedicationi simplex planusque et Dei testimonio fretus sermo sufficit.

Cap. II. 8. **Si enim cognovissent, numquam dominum gloriae crucifixissent.**

Conveniens admodum sermo. Etenim Christus cruce sua de perversis adversariisque potentiis triumphavit: chirographum contra nos scriptum ligno suffigens, Satanae tyrannidem a nobis depulit, mundi peccatum extinxit; relaxansque subterraneis spiritibus inferni portas, mortis destruxit potentiam. Quid ni ergo invisa sit impuris daemonibus crucis passio? Certe non crucifixissent, si eum accurate novissent redemptorem et gloriae dominum. Nam quod diabolica saevitia in causa fuerit, ut a Iudaeorum vecordia Christus crucifigeretur, declaravit perspicue divus Iohannes de Iuda dicens: post bucellam, inquit, introivit in eum Satanas, qui Iesum Deum esse non noverat. Nam si novisset et sibi persuasisset, quomodo ipsum in deserto tentasset dicens: si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant? Sine dubio autem ipsi quoque Servatori cordi erat, ut principes saeculi huius lateret, ut ignotus pateretur, ut proprio sanguine mundum sibi patrique suo adquireret.

v. 10. **Et profunda Dei.**

Profunda Dei sunt, sacrarum litterarum arcana ac recondita notio, quam sciens Spiritus revelat sanctorum animabus, divinam quodammodo ipsorum mentem efficiens.

v. 14. **Animalis autem homo.**

Animalis est, qui secundum carnem vivit, et cuius nondum mens a spiritu est illustrata, sed solam habet insitam humanam intelligentiam, quam in omnes animas creator immittit.

v. 15. **Spiritalis autem omnia diiudicat.**
Gr. p. 54.

Spiritalis quidem omnia diiudicat, ac suo veluti acumine singillatim discernit, ipse vero a nemine diiudicatur. Quod vero hi, qui spiritales dicuntur, prorsus indigeant, profectus sui causa et eruditionis, spiritalibus magistris, manifestum in sequentibus facit dicens: quis enim novit sensum Domini qui instruat eum? Quod idem valet ac si diceret: spiritalem hominem nemo instruet, nisi sensum Christi habuerit. Instruere autem dicit, pro intelligere faciet. Quinam vero sensum Domini habeant, mox ipse denotat dicens: nos autem sensum Christi habemus, id est loquentem in sanctis Spiritum, ipsisque mysteria revelantem, ac divinam quodammodo ipsorum mentem efficientem.

Cap. III. 10. **Ut sapiens architectus fundamentum posui.**

Quia domum Dei credentes appellaverat, fundamentum convenienter dicit Christum. Gloriatur autem Paulus, primum se inter ceteros fuisse, ac veluti inchoationem evangelizantium ipsis Christi mysterium, qui est immobile fundamentum, portans impositos sibi, templaque efficiens et consentientes invicem per fidem, perque Spiritus sancti gratiam copulantis eos in concordia. De fundamento hoc aiebat Deus pater per

(1) En fidei necessitatem! en christianae religionis fundamentum ab ipsis apostolis, evangelicae praedicationis initio, iactum! Id ii considerent, qui humanae infirmaeque rationalitati plus aequo indulgent.

(2) Vel: *per Spiritum et res quoque gestas testimonium dare;* utroque enim sensu adhibetur μαρτυρέομαι.

prophetam *: ecce ego iacio in Sionis fundamenta lapidem pretiosum, angularem, dignum qui loco fundamenti sit; et quisquis confisus ei fuerit, non confundetur. Posuisse se igitur Paulus rectissime dicit fundamentum; et alios quidem superaedificare atque adlaborare posse, non tamen aliud praeter iam positum fundamentum iacere: neque enim aliud est sub caelo datum hominibus, in quo nos oporteat salvari. Unus est enim Deus et pater, ex quo omnia et nos in ipso. Et unus dominus Iesus Christus, per quem omnia et nos per ipsum, idemque corporis ecclesiae caput est. Si quis ergo fundamentum negat, et petram respuit, non in ipsa sed in harena aedificat: quo fiet ut facile admodum subvertatur. Nam quod Christus non sustinet, id sine dubio pessum dabitur, quia firmam basim non habet. * Is. XXVIII 16.

Et cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem. Cap. IV. 19. *Gr. p. 55.*

Quaenam utilitas est splendidae elocutionis sed nihil frugi habentis, qualis ethnicorum est? At inspiratae scripturae elocutio simplex quidem est et vulgaris, sed affluenter prodest, facemque splendidam praefert ad notitiam veram divinae naturae adsequendam: reddit praeterea ad omne opus bonum idoneos, qui sui studiosi sunt: quo facto, consequetur quispiam donorum quoque Spiritus desiderabilem gratiam. Non enim in verbis vertitur regnum caelorum, sed in virtute. Porro illud « in virtute, » si de sanctis apostolis dicitur, intelliges tamquam in fortitudine et vi quam suppeditat Spiritus, cuius ope miracula quoque edebant. Sin de nobis ipsis pronunciatur, tamquam in virtute vitae sanctae puraeque, dictum putabis.

Quid vultis? cum virga veniam ad vos, an potius cum caritate? v. 21.

Vultis, inquit, ceu virga quadam instructus, sapientem correptionem peccantibus vobis inferam? an potius cum lenitatis spiritu et caritate veniens, tacitus transeam? Atqui utilior futura erat ipsis correptio, quae tum scelus tum socordiam, et huiusmodi criminis voluntatem amputaret, de quo etiam inspirata scriptura Israhelitis per Amosum (1) aiebat *: « filius simul paterque eius ad unam ancillam ingrediebantur, ut nomen Dei ipsorum dehonestarent. » Huiusmodi, inquit, fornicationem ne inter gentes quidem iam audiri. Namque Theseum fortasse audiverat iure offensum proprio filio, eique esse imprecatum, immo et necem intulisse, noverca accusante: nec non et alios ob huiusmodi crimina dicacitate poëtarum traductos (2). * Am. II. 7.

Iudicari apud iniquos, et non apud sanctos? Cap. VI. 1.

Sanctos appellat sanctificatos in spiritu, iniquos autem nondum credentes, utpote qui ad quamlibet facillime proruunt improbitatem. Nihil enim est tam absurdum, quod qui ignorant verum naturaque propria Deum, committere nequeant (3).

An ignoratis quod angelos iudicabimus, nedum saecularia? v. 3.

Quod si (4) nonnulli contendant dici (vocabulo angelos) ab eo sacerdotes; quales demum dicemus eos sacerdotes, qui mundialiter prorsus viverent? Cur ergo ait, angelos iudicabimus, nedum saecularia? Nempe ob distinguenda saecularia, ponit *Gr. p. 56.*

(1) In graeco Cyrilli textu (cod. f. 249. v. 17.) perspicue est *Iohel*, non *Amos*, quod quomodo obrepserit nescio, nisi forte ipsum Cyrillum humanitus memoria fefellit. Par certe error citantis Paulum pro Petro legitur apud eundem Cyrillum de ador. in spir. et ver. ed. paris. T. I. p. 330. D, qua super re plura verba facit Aubertus in adnot., mendum id scribae potius quam Cyrilli existimans.

(2) Nostri quoque tragici in huiusmodi argumento non semel versati sunt, quos nominatim appellare non vacat. Quis v. gr. Italorum ignorat catastrophen Hugonis et Parisinae sub Nicolao estensi Ferrariae principe?

(3) Dictum Cyrilli sapiens temporum omnium experientia comprobavit.

(4) Constat hinc, nonnisi particulam superesse prolixioris, quam hoc loco Cyrillus fecerat, expositionis.

convenienter angelos, qui a rerum saecularium usu prorsus sunt alieni ob naturae suae excelsitatem.

Cap. VI. 4 **Saecularia igitur iudicia si habueritis.**

Profecto parvum quid, nulliusque fere pensi existimant vere pii homines, de saecularibus rebus in ecclesia iudicare. Namque id etiam a Domino edocti sumus. Accesserat enim ad eum quidam dicens *: magister, dic fratri meo ut hereditatem mecum partiatur. Ille vero, o homo, inquit, quis me iudicem aut divisorem constituit vobis? Sane magis decet prudentiores in ecclesia ut de spiritalibus iudicent, utque perite examinent fidei doctrinam. Et quidem hoc officium inter ea numeratur, quae superne dantur a Spiritu, dona. Datur enim aliis sermo sapientiae, aliis spirituum discretio.

* Luc. XII. 13.

v. 15. **Nescitis, quoniam corpora vestra Christi sunt membra?**

Quomodo membra nostra, Christi sunt? Equidem habemus illum in nobismet ipsis sensibiliter et intellectualiter. Nam et in cordibus nostris habitat per Spiritum, ET SANCTAM QUOQUE EIUS CARNEM PARTICIPAMUS (1), et sic dupliciter sanctificamur: habitatquein nobis et vivens simul et vivificans, ut obrepentem membris nostris mortem per se ipse destruat. Igitur si ipse est ecclesiae corporis caput, nos vicissim membra eius singillatim sumus. Si ergo aliquando in absurdas voluptates decidemus, tunc heu contra eum peccabimus, cuius membra sumus. Meretricibus enim rem ei dicatam largiemur.

v. 15. **Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis?**

Corporis nostri membra, si ob suam puritatem, Christi membra permanserint, vitam illius et gloriam prorsus participabunt: transformabit enim corpus humilitatis nostrae, ut fiat conforme corpori gloriae suae. Sin vero meretricis membra evaserint, qui fieri poterit ut transformationem, et spiritalem conformationis cum illo splendorem consequantur?

v. 19. **Nescitis, quoniam corpus vestrum, templum est sancti qui in vobis est Spiritûs?**

Delegit enim sibi incolatum in nobis adoptionis spiritus, id est sanctus, in quo clamamus abba pater. Redempti item pretio fuimus, ponente pro nobis animam suam omnium nostrum servatore Christo. Sumus itaque templa Dei viventis; nempe quia in nobis habitat per sanctum Spiritum Christus, habens secum in propria natura illum quoque, ex quo substantialiter emanavit, patrem Deum. Ait enim ipse *: « si quis me amat, sermonem meum servabit, et pater meus illum diliget, et ad eum veniemus, mansionemque apud ipsum faciemus. » Absit igitur a nostris mentibus, tamquam a Dei templo, maleolens voluptas; potius vero adsit, thymiamatum instar, bonus continentiae odor: atque exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem rationalem nostrum cultum. Empti enim fuimus haud corruptibilibus argento vel auro, sed pretioso sanguine, uti scriptum est *. Ergo emptori nostro serviamus, eidem nos obtemperantes sistamus, simulque membra nostra, instrumenta iustitiae Deo. Scriptum est enim *: « corpus non fornicationi sed Domino, et Dominus corpori. » Cum ergo corporis membra servaverimus carnalis affectus inquinamento immunia, tunc vicissim Dominus corpori erit. Habitat enim in sanctis sanctus natura sua Deus.

Gr. p. 57. — * Ioh. XIV. 23. — * I. Petr. I. 18. — * I Cor. VI. 13.

Cap. VII. 8. **Dico autem innuptis et viduis: bonum est ipsis, si permaneant sicut et ego.**

Prompti admodum et proclives ad quamlibet ferebantur voluptatem Israhelitae: ideoque omnis consilii dandi potestas erepta illis a lege fuerat. Ipsis enim illa ait *:

* Deut. XII. 32.

(1) Animadvertamus Cyrilli hoc alterum de sanctissima eucharistia testimonium.

non licet addere constitutis quicquam aut detrahere. Verumtamen evangelicorum mandatorum interpretes, qui confirmatam in honestate mentem habebant, atque in se Christum loquentem gerebant, ausi merito sunt non sine auctoritate magna, interpretationis magisterium exercere, etiamsi forte aliquid ex his quae agenda sunt in sacris litteris deerat. Talis divus quoque Paulus cum esset, dico, inquit, innuptis et viduis, bonum esse si permaneant sicut et ego, et reliqua. Heic quidem nequaquam nobis divina lex vocabulum « dico » intimat: nam quam legem Christus ipse edicit, eam Paulus vocabulo « praecipio » denotat, addens ilico « non ego, sed Dominus. » Num ergo necessarium aliquid legislator Christus omisit? Num melius aliquid initiantes magistri adinvenerunt? Verum quid ni insipienter stolideque arbitraremur haud sufficere quae Christus constituit? Quid ergo dicemus? Nuptias non vetuit divina evangelica praedicatio, quia Deus, ut reor ad humanae naturae modulum praecepta sua *Gr. p. 58* accommodabat. Ait enim Pharisaeis tentantibus Dominus, cum sciscitarentur utrum liceret dimittere uxorem propriam, excepta fornicatione; ait, inquam, Dominus *, quod * Matth. XIX. 3. qui dimiserit uxorem suam extra causam fornicationis, facit eam moechari. Quumque ad haec discipuli eius dicerent: si causa viri cum femina talis est, non expedit nubere; respondit illis: « sunt eunuchi qui ex utero matris suae ita nati sunt; sunt item eunuchi, qui ab hominibus sunt evirati; denique sunt eunuchi qui se ipsos propter regnum Dei castraverunt. Qui potest capere, capiat. » Proposuit enim volentibus recte facere, non tamen legi subiugavit, quia non omnes dominari posse carnis motibus sciebat.

Atque huius moris adumbratio quaedam in lege quoque observatur. Illa enim praecipiebat, ut ritus sacrificiorum ad Dei gloriam fierent, et alia ex his ob peccatorum et ignorantiae expiationem, alia ob purgationem sordiumque depositionem, nec non sabbati sacrificia, et neomeniarum, et feriarum. Attamen, praeter haec, sinebat ut aliqui voluntaria adderent, id est Deo comportarent. Voluntaria autem haec praeter legem erant, ceu bonae Deique amantis voluntatis fructus. Interim vero nullum lege praeceptum sacrificium negligere fas erat: tantum laudabiles illos Deus censebat, qui praedictis aliquid sponte ac suamet sententia adderent. Id ipsum nunc prudenti consilio factum dicimus. Non vetuit Christus, si quis legitimum connubium inire appetiverit: sed tamen maius aliquid agere, nihil nos prohibet, si ad excellentiae quoddam fastigium conniti avemus. Optime igitur Paulus ait, innuptis viduisque bonum esse, si permaneant sicut et ego: sed enim coniugio obligatis praecipio non ego sed Dominus, et reliqua. Adducit autem in exemplum singularis curisque carentis vitae se ipsum, caelibatumque coniugali vitae prorsus anteponit (1). Quamobrem si quis etiam nuptialis legis iugo liberatus est, perstet inquit in continentia; sic enim regnum Dei hereditabit. Rem confirmabit etiam praemiorum ille distributor dicens *: « haec ait * Is. LVI. 4. eunuchis Dominus: quicumque sabbata mea custodient, et meae voluntati obsequentur, ac foedus meum retinebunt, dabo illis in domo septisque meis locum celebrem, *Gr. p. 59.* id quod melius ipsis erit quam si filios filiasve genuissent: nomen inquam sempiternum dabo illis, quod numquam deficiet. »

Continentiam igitur digna merces manet. Ceteroqui connubio devinctis haud concedit a ducta semel uxore discedere, ne orbem perturbationibus impleat salutaris doctrina: neque divortium commendare voluit communis servator Christus, etiamsi

(1) En pulchram luculentamque a Cyrillo caelibatus et continentiae laudem.

respectu quodam antiquioribus facere id lex permisit, ob ipsorum, ut ipse Servator ait, cordis duritiam. Quod autem firmiores magisque strenui sint Christiani quam prisci illi, hinc quoque cognoscere volentibus pronum est, quod lex Israhelitis vetabat, quominus alienigenis sociarentur nuptiisque copularentur; nobis vero Paulus dicit: si quis frater uxorem non credentem habet, et cetera. Illis quidem mens erat flaccida et vacillans, nobis autem secus. Uncti enim fuimus in adoptionem Spiritu sancto, atque in nobis Christus habitaculum suum constituit. Sic ergo in omni genere virtutum obfirmati, minime formidamus cuiusvis non credentis coniugium (1): confidimusque fore ut illos potius ad religionis sagenam compellamus, quam ut nos insitae illis inscitiae praeda simus; decusque potius nondum credentibus conciliamus, quam ab illis inquinamur. Sanctificatus est enim, inquit, vir incredulus per uxorem, atque ita filii quoque vestri sancti evadunt, superante credentium sanctitate nondum credentium sorditiem. Quod si infidelis discedit, discedat inquit; in his frater vel soror non obligatur. Discedat, si ita placet, a sanctificante maculosus, sententiae suae fructum referens in huiusmodi re detrimentum. Caret autem omni culpa, qui divina mandata sequitur, siquidem obedientia eius a communi nostro servatore Christo commendabitur.

Cap. VII. 21. **Servus vocatus es? non sit tibi curae.**

Verisimile est nonnullos de circumcisione conversos secum ita locutos: quomodo acceptabiles erimus, et christianam vitam sectabimur, qui adhuc circumcisionem tenemus? Fortasse praeputium attrahere oportebit, id est ad illud redire, carnalique naturae vim inferre. Qui ex ethnico errore veniebant, quum audissent fortasse ab iis, Gr. p. 60. qui adhuc legem reverebantur, rem honorabilem esse circumcisionem, atque ab omnibus sanctis observatam, quamquam fidem nonnulli ex his susceperant, nihilominus carnis ritu perficiebantur, ceu Galatae certe factitarunt, quos divus Paulus castigat dicens: « qui spiritu incepistis, nunc carne perficimini? » Oportuit igitur manifesta evidentique praedicatione veritatis viam illis pandere; et nihil iam esse circumcisionem, ceteris Dei praeceptis seiunctam; nihil item esse praeputium, evangelica vita non comitante, docere. Decet igitur vocatum, in sua vocatione manere, quicumque eius corporalis habitus fuerit. Mox transit ad aliam quasi criminationem a divina praedicatione avertendam. Servitutis spiritus inerat degentibus sub lege. Quid autem doctrina evangelica? Adoptionis spiritum volentibus credere inseri adfirmat, quo haud iam deinceps ad servitutem sed ad liberam dignitatem vocantur. Ergo nonnulli per fidem
* Gal. V. 13. vocati ad spiritalem libertatem, a carnis servitute expedire semet satagebant *: quibus alio loco scribens ait, cavendum esse ne haec libertas, carnis abusui occasio sit. Porro et hoc ipso consolatur eos dicens: servus vocatus es? ne sit tibi curae: sed etiamsi liber fieri posses, magis utere: id est, etiamsi servitutis carnalis iugum impositum gerens, vocatus es in liberi filii adoptionem, etiamsi divinae naturae factus es particeps, ne animo angaris; neque enim labor servilis tuus mercede carebit: futurum enim sine dubio est, ut qui praepotentia aliqua servitutem passi sunt, incommodo suo leventur, cum Dominus futuro in saeculo ad primigeniam conditionem eos revocabit. Nam liberam creator fecit naturam, eaque ut dixi venturo in saeculo talis futura est; eritque populus ut sacerdos, et famulus ut dominus, et ancilla ut hera, secundum Isaiae va-
* Is. XXIV. 2. ticinium *. Itaque etiamsi queas, inquit, liber fieri, magis utere. Est enim, ut dixi, non infructuosum iugum his qui bona voluntate sunt, recteque sub illo vivunt. Cete-

(1) Notabilis Cyrilli observatio de veterum christianorum innocuo cum infidelibus coniugio.

roquin, ait, impossibile est, nos homines natos servitutis nomen vitare: omnis enim creatura serva est: quare et servus fit libertus in Christo, et servus est omnino ille etiam qui ad libertatem vocatus est, ut in psalmo dicitur *: « quoniam omnia serviunt tibi. » * Ps. CXVIII. 91.

Ostendit autem sacer magister, ob aliam quoque rationem debitores esse Christo, Gr. p. 61. v. 23. qui per eum servati sunt. Ideo dicit: pretio empti estis, nolite fieri servi hominum. Empti enim reapse pretio fuimus, fundente pro nobis sanguine suo, communi nostro servatore Christo: erepti diaboli tyrannide et daemonum saevitia, in libertatem per Christum vocati fuimus. Itaque ut empti, vestroque emptori vitam debentes, ne servi, inquit, hominum fiatis. Neque eum suadere dicimus, ut ab humana servitute profugiant, sed docere potius, et sane rectissime, ne obsequantur iis qui credentes nituntur transferre ad legis observantiam (1), priscaeque fraudis venenum simpliciorum animabus afflare, et dierum mensiumque superstitionem insinuare, et arbitratu suo quem appellant cultum; atque haec ceteris quoque factitanda suadere. Quandoquidem ergo, inquit, pretio empti fuistis, et non corruptibilibus argento aut auro redempti, sed pretioso potius sanguine ceu innocentis immaculatique agni Christi, eius magis legibus subiiciamur.

Nam etsi sunt qui vocantur dii. Cap. VIII. 5. Gr. p. 82.

Ait angelos deorum nomine appellari secundum gratiam. Sicut enim iidem dicuntur principatus, potestates, dominationes, throni, ita et dii.

Patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt. Cap. X. 1.

Has dicimus praevias esse imagines recte deinde factorum. Namque et nos ante quam in Christum crederemus, daemonum tyrannidi subiugati, intellectuali servivimus Pharaoni, id est malorum parenti Satanae: laborabamus ad nutum eius in cassum, veluti in luto et lateribus, in carnis operibus versantes. Sed liberavit nos mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, nosque adeo transmisit veluti per huius vitae quoddam mare ac procellam, et sancto baptismate consummavit. Ipse enim est superna intellectualis nebula, quae viventis aquae diligentibus se copiam ministrat: aqua autem vivens, Spiritus est. Quam ob rem aiebat Christus *: « qui credit in me, ut scriptura dicit, flumina de ventre * Ioh. VII. 38 eius fluent viventis aquae. » Quod effatum elucidans divus evangelista, dictis ilico adiecit: « hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in ipsum. » Manducavimus et nos panem vere vivificum, bibimus calicem spiritalem, sicut utique et Gr. p. 62. illi ex petra; petra autem erat Christus, qui nobis ipsis ex suo latere aquae mixtum proprium eructavit sanguinem, cum eum Pilati milites lancea perfoderunt. Porro dicitur petra, quia invulnerabilis fuit ut Deus, quamvis mortis incursum sponte pertulit. Quid autem post id prodigium priscis illis contigit? Impegerunt quodammodo, irreligiose semet gesserunt in Satti, adorarunt idola, initiati sunt Beelphegor. Nam postquam cum idololatris sociati sunt et convivati, et idolicam mensam gustarunt, in apostasiam incurrerunt, et cum feminis choreas duxerunt, et concio populi meretrici copulata est, ut propheta loquitur; id enim significant verba * « et surrexerunt ludere. » * Exod. XXXII. 6. Periculosum itaque est cum improbis et incredulis conversari. Unde et Salomon quodam loco ait *: « qui ambulat cum sapientibus, erit sapiens: qui vero cum * Prov. XIII. 20. insipientibus ambulat, cognoscetur (2). »

(1) In graeco textu lege παρατήρησιν, pro ἐπιτήρησιν.

(2) Quippe graece est γνωσθήσεται, ut etiam Cyrillus legebat. At vulgatus lat. *similis efficietur*. Consulantur autem variae lectiones apud Nobilium, Sabaterium, ac Montfauconium in hexaplis.

Cap. XI. 3. **Omnis viri caput Christus est; caput autem mulieris, vir; caput denique Christi, Deus.**

Caput hoc loco dicit primigeniam pulchritudinem, cuius imaginem reputare merito licet unumquemque ex nominatis, qui substantialem veluti nobilitatis, sive aliter congenitae naturae, sortitus fuerit rationem. Creatus est primus homo, id est Adam, ad imaginem et similitudinem Dei. Sic enim dicit alicubi omnium creator *: « ad imaginem Dei hominem feci. » Igitur viri caput Christus, archetypon quidem ut Deus; naturae vero nostrae lege, uniformis quoque homo comparuit, quamquam esset Deus Verbum, atque a patre ineffabilem sortitus nativitatem. Facta est ad imaginem et similitudinem hominis, id est Adami, etiam mulier, non ei extranea sed eiusdem potius naturae atque conformis: idque aperte confessus est progenitor Adam dicens *: « hoc est os ex ossibus meis, et caro de carne mea, et reliqua. » Quod si Verbum ex Deo patre natum, aiunt (1) esse factum, et cum creaturis numerandum, quandoquidem est omnis viri caput, cur non eadem ratione pater quoque credatur creatus et factus, siquidem est filii caput, habentis consubstantialem nobis sive creaturis figuram? Ut enim ipsi aiunt, caput certe sine ulla exceptione in eadem cum reliquo corpore subsistentia necessario constringitur. Sequitur ergo, ut tamquam per filium, ad Deum quoque patrem hominis cognatio pertingat. Nos vero stultas horum aberrationes numquam sectabimur: increatum autem credimus, utpote ex increato patre, natum ex ipso Verbum: caputque eum dicimus omnis viri, utpote archetypon, ut iam diximus, et quia novissimis saeculi temporibus homo comparuit, et ex eodem hominum genere, secundum humanam naturam caput ecclesiae, quae corpus eius est. Ipse enim in omnibus, secundum Pauli dictum, tenet primatum.

Gen. IX. 6. — * Gen. II. 23. — Gr. p. 63.

v. 4. **Omnis homo orans aut prophetans velato capite, deturpat (2) caput suum.**

Viden, ut rei quae cuique convenit, fideiussorem ac definitorem ius naturale facit? Viris quidem libera facies convenientissima est, mulierem autem velari decet. Ergo faciet non sine causa archetypo iniuriam, imaginis turpitudo. Nam si vir imago Dei et gloria est, sic enim teste scriptura est conformatus, servet coram Deo convenientem fiduciam, nudum gerens caput: non enim eum natura increpitans coget, ut veletur. Nam libertate pollet divinitas, nullique obnoxia est vituperationi, sed propriâ gloriâ dives atque admirabilis. Et quia mulier similitudo viri est, et imaginis imago, et gloriae gloria, praecipit insuper ei natura comam nutrire. Atqui cur primum secundo invidet gratiam? Utique et ipsa mulier imaginem similitudinemque Dei prae se fert, sed tamen tamquam per virum; ita ut secundum quamdam rationem parum quid differat natura mulieris. Non criminabor eam quae ob pudorem se, prout animanti licet, tegit suaque se coma coronat: nam liberam faciem prae se ferre, mulieribus non est impune: ideo veletur, inquit, propter angelos: sine dubio autem intelligit angelos cuique ecclesiae constitutos a Deo (3), qui aegre ferunt magnopere, si decori lex a quopiam violetur: quippe qui probe sciunt creatoris hanc circa nos voluntatem. Alio item pulchro divus Paulus utitur artificio: dixit enim ad imaginem et similitudinem Dei factum virum; a tergo autem quodammodo honoris eius et gloriae feminam esse reiectam, manifeste adfirmat in sequentibus dicens: mulier enim, inquit, gloria viri est. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier pro-

(1) Ariani scilicet, contra quos omni oblata occasione invehitur Cyrillus.
(2) In graeco textu lege καταισχύνει.
(3) Animadverte angelos singulis ecclesiis a Deo datos custodes.

pter virum. Deinde supprimens apte admodum quicquid feminam videbatur contristaturum, addit dicens: verumtamen neque mulier sine viro, neque sine muliere vir. Extitit enim sine dubio ex viro mulier, et hoc verum est. Porro ad viri originem nihil non confert: natura enim ambos in unum conferens, ad usum mutuum prudenter direxit, amore connectens. Quod vero Deus omnium sit creator, confirmat dicens: omnia ex Deo: cuncta enim creata per Christum fuere. Gr. p. 64.

Nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Iesu etc. Cap. XII. 3.

Dominus noster Iesus Christus promiserat discedens missurum se nobis Paraclitum, adieceratque: ille me glorificabit. Nos vero rectissime intelligimus, eatenus Christum a Spiritu eius glorificari, quatenus sapientes reddit eos quibus adest, et Christum facit operà suà in sanctis habitare; est enim reapse in nobis Christus per Spiritum. Sed et alio modo glorificat, nam gloriam eius operatur per sanctorum manus. Iam si filium glorificat Spiritus eius, quomodo in eum perverse aliquid dicet quisquis in Spiritu loquitur? Dices enim potius dominum esse Iesum. Ergo qui creatis rebus connumerant illum (1), per quem omnia creata sunt, carent prorsus Spiritu sancto. Qui autem pie fatentur Deum esse et dominum, ex hoc ipso testimonium referent, quod divinae scientiae notitiam a Spiritu edocti fuerint. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Porro Spiritus arcanorum Dei conscius, ea sanctorum communicat animabus, sinceramque iis et indubiam scientiam ingerit. Rei testis divus Paulus qui addit: divisiones quidem gratiarum sunt, idem tamen Spiritus: et divisiones ministeriorum, sed idem dominus: et divisiones operationum sunt, sed idem Deus operans omnia in omnibus. Sicut enim qui in mundo publicis rebus potiuntur, et regni thronos occupant, honoribus variis meliores quosque de stipatoribus suis ornant, ita sancta et consubstantialis Trinitas, his qui sano corde perfectaque mente eam diligunt, largitur uberem supernorum bonorum copiam, per unum Gr. p. 65. Spiritum, ceu per Christum, patre donorum auctore. Cuncta enim a patre per filium in Spiritu.

Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae etc. v. 7.

Novit enim novit, inquam, tempora singulis rebus quae a se fiunt idonea; in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi, sicuti scriptum est *. Quaenam * Coloss. II. 3. vero sint gratiae, et quae distributiones, quae demum virtutum operationes, enucleat dicens: alii enim per Spiritum datur sermo sapientiae. Porro sapientiae sermo, ille mihi videtur, qui pertinet ad oris facundiam facilem et copiosam. Alii autem sermo scientiae: sunt enim inter nos nonnulli, qui dicendi facundia carent, neque expedite orandi fiduciam habent, et nihilominus profunda scientia pollent, et in sacris litteris versantur intelligentissime. Atque ita se habet etiam sequens sermo: secundum eundem Spiritum iis qui accipere digni sunt, datur a patre per filium, qui distribuere scit ministeria. Alios enim sanctorum apostolorum praedicare iussit posteris Israhelis fidei verbum, aliis ethnicorum adsignavit regiones: idque effecit per sanctum Spiritum. Et quidem in actibus apostolorum scriptum reperiemus, quod ministrantibus ipsis Domino et ieiunantibus, dixit Spiritus sanctus *: « segregate mihi Barnabam et * Act. XIII. 2. Saulum, ad opus ad quod vocavi eos. » Addictus fuit autem divus Paulus ethnico-

(1) Priscus auctor Luculentius apud nos Script. vet. T. IX. p. 214. *Ariani dicunt Patrem maiorem, Filium minorem, Spiritum vero sanctum perminorem.* Rursus id ibi dicitur p. 224. Et quidem novum etiam latinitati accedit vocabulum *perminor*, quod nos in glossarium nostrum Spicil. T. IX. iam retulimus.

* Rom. XI. 13. rum apostolatui, atque hoc sortitus est ministerium, prout ipse testatur scribens *: « quamdiu ego gentium sum apostolus, ministerium meum glorifico. » Ergo distribuit quidem filius ministeria, rem vero ipsam operatur potestate sua Spiritus sanctus; Spiritus enim filii est. Quin adeo virtutum quoque operationes, id est edita per sanctos miracula, idem nobis conficit Deus. Cuncta enim, ut dixi, a patre per filium
Gr. p. 66. in Spiritu: et in omnibus recte factis sanctificatur, et consubstantialis Trinitas glorificatur. Animadverte enim, quomodo incipit quidem a Spiritu, ut in nobis versante, et divinorum donorum faciente distributionem: mox provehens sermonem ad filium, qui est revera naturà filius, sic deinde ascendit ad patrem, cui per Spiritum rerum operationem mediante filio adtribuit (1).

Cap. XII. 9. **Alteri autem fides in eodem Spiritu.**

Fides hoc loco, ut ego arbitror, est in quovis recte facto, prout Deus voluerit, constantia. Sic enim extitisse fidelem dicimus in universa domo eius hierophantem Moysen. Neque enim fides ea tantum intelligitur et nominatur, nempe qua credere oportet unum esse vere et naturaliter omnium Deum, verum etiam quae animam in recta semita continet, promptamque reddit ad ambulandum cum Deo, secundum prophetae dictum. Certe divi discipuli aliquando accesserunt ad Christum,
* Luc. XVII. 5. aperte dicentes *: adauge nobis fidem. Datae sunt insuper ipsis gratiae sanitatum in eodem Spiritu. Et mecum rursus acute considera. Dum enim dicitur Spiritus gratias sanitatum distribuere, Christus dator earum est: namque ipse apostolis sanctis potestatem impuros spiritus expellendi dedit, aitque: infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemonia eiicite, gratis accepistis, gratis date; verumtamen in uno Spiritu. Sicuti proiecit Moyses virgam humi, factaque est serpens, mutavit in sanguinem fluvios, aquam de lapide elicuit. Plurima vero, quae nec satis enumerare nec mirari possumus, beati prophetae peregerunt. Has nos dicimus virtutum operationes in uno Spiritu. Sed et alius quispiam prophetat, non tamen absque Spiritu. Habet alius spirituum quoque discretiones, sed et hic in uno Spiritu: quorumnam vero sint discretiones spirituum, dictum est antea. Adfirmat etiam datam aliis esse variarum peritiam linguarum, nec non interpretationis. Et hanc certe gratiam concessam aliquibus dicimus opportuno tempore et usu, secundum prudentem dispensationem. Et hi quidem ignotis sibi antea linguis loquebantur, et intelligebant interpretantes, quamquam nullum eorum vocabulorum usum haberent. Ceterum divus Paulus homi-
Gr. p. 67. nibus illius temporis facultatem linguarum attribuit, non doni loco, sed miraculi fide-
* I. Cor. XIV. 21. libus exhibendi causa. Et quidem etiam propheticum recitat oraculum ita se habens *: « peregrinis linguis alienisque labiis hunc populum alloquar, et ne sic quidem credent. » Facit autem varie in singulis Spiritus donorum distributionem: ut, sicut ait, crassum hoc terrenumque corpus ex particulis constat, sic etiam Christus, sive eius corpus, id est ecclesia, ex tanta sanctorum multitudine, intellectualem unitatem per-
* Ps. XLIV. 10. fectissimamque compaginem habeat. Ideo etiam divus David * circumdatam ipsam dicit vestimento aurato et vario: sic, ut arbitror, gratiarum varietatem et pretium denotans.

v. 12. **Sicut enim (2) corpus unum est, et membra habet multa etc.**

Coniuncti enim invicem sumus, et cum Christo corporati, qui simul nos congregavit (3), ac quodammodo colligavit per unum in omnibus Spiritum, quem etiam

(1) Recole p. 19. adn. 3.
(2) Supple in textu gr. γὰρ, quod typis excidit.
(3) Codex quidem graecus habet συνεγείραντος, sed corrigendum puto συναγείραντος.

vivificantis calicis instar potavimus. Quamobrem aiebat Christus, quum apud Iacobi puteum cum muliercula loquebatur *: « qui ex hac aqua bibit, sitiet iterum: qui autem ex ea quam ego dabo aqua biberit, fiet ei fons aquae salientis in vitam aeternam. » Alibi vero Iudaeis dixit *: « qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae viventis. Hoc autem aiebat, inquit scriptura, de spiritu quem accepturi erant credentes in ipsum. » Si enim ipse est Dei fluvius, secundum psalmistae dictum *, aquis plenus, et torrens deliciarum, quo potare dicitur amatores suos Deus pater, quid ni Spiritus eius, calix intelligatur et aqua vivificans? Itaque ad unitatem a Spiritu vocati, et cum Christo concorporati, caritatis vinculum servemus indissolutum.

* Ioh. IV. 13.
* Ioh. VII. 38.
* Ps. LXIV. 10.

Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur sed Deo. Cap. XIV. 2.

Dehortatur illos quominus credant, linguarum usum maius quid esse et illustrius, quam prophetarum interpretationem. Postquam enim nobis proposuerimus fidem, spem, nec non caritatem erga Deum et fratres, quod universae legis complementum est, tum demum cetera quoque adiungantur. Tunc enim, tunc utique, *Gr. p. 68.* opportuno admodum tempore, ipsis quoque Dei charismatibus cumulabimur, ac donis, quae per Spiritum dantur, ditabimur, nempe prophetandi facultate, id est prophetas interpretandi. Namque Unigenito semel incarnato, passo ac resuscitato, et universa inter nos dispensatione consummata, quaenam iam supererat prophetiae occasio, vel quarumnam rerum praedictio? Ergo prophetatio nihil heic aliud erit, nisi prophetiarum enucleandarum facultas (1); quas auditoribus explanantes, et deinde sermonem nostrum secundum rei veritatem ex ipsis confirmantes, recti veracesque erimus optimarum rerum interpretes. Qui ergo, inquit, lingua loquitur, non tam homines quam Deum alloquitur. Quomodo id, inquam? Nemo enim, inquit, audit. Nam si alicui discipulorum tribuatur fortasse copia loquendi lingua Medorum, alii autem Elamitarum; mox hi, qui loquendo sunt deputati, Iudaeos alloquantur aut Graecorum turbas, quis eos audiret? aut quae sermonis esset utilitas? nemo enim, praeter solum Deum quem nihil latet, quicquam intelliget: nam Spiritui, inquit, mysteria loquitur. Observa autem, quod Deo loquens, Spiritui loquitur; ergo Spiritus Deus est (2). Qui igitur lingua loquitur, Deo potius, inquit, quam hominibus loquitur. Qui autem prophetat, inter homines loquitur cum aedificatione, adhortatione, et solamine. Exploratum igitur habens, quod prophetare significat hoc loco prophetas interpretari, a quibus adhortationis sermo firmatur, et initiatorum mens ad veritatem Christi perducitur, aliunde quoque demonstrat, praestantiorem esse sine dubio prophetarum interpretationem, quam linguae loquelam. Nam se ipsum aedificat, qui lingua loquitur: quippe ipse intelligit, alius vero prorsus nemo. Qui autem prophetarum vocibus et vaticiniis loco testimonii utitur, ecclesiam aedificat. Maior ergo est et excelsiore gradu locata, ac splendidiore spe freta, prophetandi scientia: siquidem melius sine dubio est ecclesiam aedificare, quam sibi soli lingua loqui (3).

Volo quidem omnes vos loqui linguis, magis tamen prophetari etc. v. 5.

Quia insperatum prorsusque divinum munus erat, alienis posse linguis hebraeos homines loqui, ne quis existimaret apostolum inconsulte definire vanum quid esse, *Gr. p. 69.* quod alioqui Spiritus operatione donatum erat, rem admittens ait: volo quidem om-

(1) Pulchra admodum interpretatio!

(2) Animadverte Cyrilli argumentum et testimonium de Spiritus sancti divinitate.

(3) Laus scientiae exegeticae, et professionis concionatoriae.

nes linguis loqui. Sed tamen moderatur statim, ut patet, rei huius studium, atque ad meliora transgreditur, ilico subiiciens: magis tamen prophetare. Quibus verbis prophetantem potiorem esse linguis loquente, manifestissime dicit (1). Quamquam ne hunc quidem plane inutilem audientibus esse ostendit dicens: nisi forte interpretetur, id est nisi quemquam assiduum secum habeat, qui initiatis interpretetur.

Cap. XIV. 10. **Et nihil horum sine voce est.**

Voce carens dicit omnino nihil esse in rebus rationabilibus, id est hominibus. Sed tamen si quis forte linguae singulorum vim non noverit, neque vicissim alii linguam eius intelligant, invicem erunt barbari, quamquam recte unusquisque lingua propria loquatur. Necesse est igitur, ut qui alios docere volunt, consuetum audientibus effundere possint sermonem.

v. 12. **Quoniam aemulatores estis spirituum.**

Spiritum hoc loco, datam per Spiritum dicit gratiam, id est loquendi variis linguis facultatem. Si ergo, inquit, preces in ecclesia Spiritu obtulero, id est lingua utens a Spiritu communicata, sterili mente ero: oportet enim in precibus animo adtendere, et quae saluti conferunt a Deo postulare, non autem lingua semet iactare, atque in loquendi gloria acquiescere: alioqui mens inanis erit, nullam ex hac sedulitate utilitatem percipiens.

v. 15. **Orabo spiritu, orabo et mente.**

Oportet, inquit, si huius forte rei studio tenear, et lingua per Spiritum data uti velim, dare operam quominus infructuosa mente sim, immo potius meam veluti mecum mentem colligere, ita ut si lingua psallam, nihilo tamen minus mente psallam, id est accurate intelligam psalmodiae vim, neque prophetiae verba absque scrutatione esse sinam. Melius est igitur prophetare, id est interpretari divinas in ecclesia litteras, quam linguarum simpliciter usu delectari.

v. 16. *Gr. p. 70.* **Ceterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotae, quomodo dicet amen?**

Cum tu, inquit, lingua loqueris, ille qui laicali conditione est, si tuam linguam non noverit, quomodo respondebit amen in suis gratiarum actionibus sive precibus? nempe ut quod sacerdotum liturgicae preci videtur deesse, laicorum cantilena impleatur (2), atque ita tenues cum magnis tamquam in Spiritus unitate Deus excipiat.

Cap. XV. 1. **Notum autem vobis facio, fratres, evangelium quod praedicavi vobis.**

Opportune admodum ac sapienter evangelium appellat, de mortuorum resurrectione praedicationem, nec non de ipso Christo: est enim hic reapse boni ominis nuncius iis qui fidem receperunt. In eodem autem ipsos vult praedicato dogmate perstare et salvari: stare enim, firmitatem spei significat, et quod in praeclara sententia credentes versentur: salvari autem, denotat ut sint peccati victores, atque ut extra mortis laqueos incedant.

v. 3. **Tradidi enim vobis in primis, quod et accepi.**

Tradidisse ait illis, non quicquid fortuito et inexplorate in mentem venerit, sed quod acceperat evangelium, notitiam sibi tradente ipso qui pro nobis incarnatus est.
* Gal. I. 12. Dicit enim idem alibi de evangelio *: « neque enim ego illud ab homine accepi vel

(1) Quotidiano etiam usu experimur, utiliores esse qui scripturas sacras iuxta patrum veterum piorumque hominum sententiam interpretantur, quam qui variis tantum linguis instructi, ut heterodoxi multi iam solent, commentarios scribunt doctos quidem, sed prope grammaticales, neglectis mysticis sensibus vel propheticis et saepe etiam moralibus; ita ut nihil ineptius ad aedificationem animae hac exegesi sit.

(2) En chori christiani consuetudinem, de qua Augustinus confess. lib. IX. 7.

edoctus sum, sed per Iesu Christi revelationem. » Si ergo a Deo edoctus fuit is qui tradidit, quid ni verax sit praedicata res, nempe quod Christus pro peccatis nostris sit mortuus, ut aiunt scripturae vetus scilicet atque nova? Plurimi enim mortis ac resurrectionis Christi testes extiterunt. Porro et extra aleam dubitationis est, mortuum esse pro nobis in carne Christum Iesum, ut mundi peccatum auferret: itemque resurrexisse morte devicta, ut nos quoque eadem re potiremur. Necessario autem hoc loco, non mortuum tantummodo, sed etiam sepultum fuisse dicit (1). Namque ut se vere mortuum demonstraret Emmanuel, poni voluit in sepulcro: sed resurrexit, ut nuper dixi; carnis quidem morte comprobans se factum fuisse carnem, etsi Deus erat et Verbum: relata vero de morte victoria, quod Deus natura sua esset, demonstrans. *Gr. p.* 71. Verumtamen non alienum cuiusvis hominis templum vivificat Dei patris Verbum, sed suum potius corpus, in quo propter nos mortuus Christus dicitur, ut etiam resurrectionis bonum propter nos reapse evenisse cognosceretur. Nam generalis hominum natura cum illo mortem calcavit: quippe sic cum eo consepulti et suscitati dicimur, et in caelis quoque consessuri. Itaque resurrexisse Christum dicit, uti scriptum erat, et sanctis apostolis apparuisse, tum singillatim delectis aliquot, tum etiam universo coetui. « Visus quoque mihi est, tamquam abortivo inter apostolos: » quibus verbis v. 8. valde se humilem facit, adfirmatque etiam ecclesiam esse persecutum: mox tamen Christi misericordiam adeptum, atque ad apostolicum munus vocatum: aitque se magnum resurrectionis mysterium manifestasse, quamquam veteribus sanctis minime ignotum (fuerat enim praedictum), neque delectis ad apostolatum, qui spectatores ministrique verbi fuere.

Si autem Christus praedicatur, quod a mortuis resurrexerit, quomodo apud vos nonnulli negant mortuorum fore resurrectionem? Cap. XV. 12.

Increpat nonnullos, qui nescio quomodo sacris divinisque litteris volebant contradicere, diversamque ab his sententiam sequi audebant. Si enim mortuus est Christus, non ut extinctus maneret, sed ut morti corruptionique inventus superior, via quaedam et porta fieret hominis naturae, ut corruptionem vincere posset, atque ad vitam regredi; cur suscitato iam eo, qui pro nobis inter mortuos fuerat, ut nos quoque cum ipso ad vitam rediremus, soluti mortis vinculis adhuc nos ligantibus ob quos mortuus suscitatusque dicitur, ille qui natura sua Deus est Emmanuel, cur inquam spoliare nituntur humanum genus bonis resurrectione manantibus, et incarnationis scopo calumniam faciunt (2)? Si enim fuit Christus primitiae dormientium et primogenitus mortuorum, sequetur prorsus primitias suas quod hominibus deest, et comitabuntur hi iure meritoque ei qui dicitur primogenitus. Rem confirmabit divus Paulus dicens: « nam si complantati fuimus similitudini morti eius, resurgendo quoque similes erimus. Quamobrem ii qui adsentiuntur Christum resurrexisse, resurre- *Gr. p.* 72. ctionis tamen nostrae a mortuis mysterium non admittunt, ignorant usquequaque incarnationis Unigeniti scopum. Verbum enim homo factum est non propter se ipsum, sed proposito sibi gaudio crucem pertulit, ignominia contempta. Quam vero ob causam, docebit his verbis sapientissimus idem Paulus *: « quia pueri communicaverunt * Hebr. II. 14.

(1) Valde arbitramur, locum Cyrilli a nobis ex opere Severi antiocheni recitatum in Spicilegio rom. T. X. p. 200, sumptum esse ex hac explanationis parte, quamquam ibi aliquantulum variat, aut fortasse a Severo interpolatur.

(2) Macte hac tota, quae sequitur, prolixa et valida resurrectionis corporum apologia! Profecto quicquid novae auctoritatis magno huic dogmati confirmando accedit, quis non plurimi faciat?

sanguini et carni, ipse pariter eorumdem factus est particeps, ut per mortem suam destrueret illum qui mortis potestatem habebat » id est diabolum, illosque liberaret qui metu mortis in universa vita sua servitutem serviebant. Ergo nisi mors abolita esset, vanum fuisset rei consilium, inutile quoque nobis ipsis incarnationis eius mysterium, et a vitae spe excidissemus. Vocati autem fuimus ad adoptionem, Deique filii
* I Ep. III. 1. nominamur, ut ait sapiens Iohannes *. Quod si vere, adoptionis instar, redemptionem corporis nostri recipimus, quaenam haec tandem redemptio, nisi nos Christus victores mortis effecit? Aut quomodo immutabit corpus humilitatis nostrae, facietque simile corpori gloriae suae? Quandonam hoc accidet, nisi mors destructa fuerit? Aut quae erit mutatio illis, qui eadem conditione, immo etiam peiore, futuri sint?

Videsis autem quomodo ingeniose necessariam exprimit confessionem, quod dicere oporteat, cuncta esse resurrectura temporibus praedestinatis terrena corpora. Nam si, inquit, per universam a Deo inspiratam scripturam Christum resurrexisse a mortuis praedicatur, quomodo nonnulli apud vos aiunt, futuram non esse mortuorum resurrectionem? Mortuus est enim, ut nuper diximus, non sui causa sed nostra; ut quoniam ipse vita est, utpote natura sua Deus, carnis suae morte interimeret mortem, secutura mox exemplum eius hominis natura. Revixit enim, factusque est veluti inchoatio humanitatis transmigrantis ad vitam, atque ad immortalitatem morte devicta instauratae. Nova enim creatura, quicquid in Christo est. Iamvero quum res haec fieri coeperit, quomodo in terris manebimus? Aut quomodo nonnulli vestrum audent dicere, non esse resurrecturos mortuos? Verisimile est heic intelligi Saddu-
* Act. XXIII. 8. caeos *: etenim hi dicebant haud fore resurrectionem, neque esse angelum, neque spi-
* I. Tim. I. 20. II. 2. 17. ritum. Calumniabantur autem resurrectionis mysterium * Hymenaeus quoque et Ale-
Gr. p. 73. xander, dicentes resurrectionem iam evenisse. Verumtamen hi in fide naufragium passi sunt, unaque alii qui exoletis ipsorum nugis adhaeserunt.

Cap. XV. 14. **Quod si Christus non resurrexit, inanis utique est etiam praedicatio nostra (1).**

Primi consequens est secundum: cum secundo autem destruitur primum: quo facto, id est a nobis credito, vana erit sanctorum apostolorum praedicatio: vana etiam fides: ita enim se habet doctrina fidei, quae per sanctos homines erudiit in universo orbe initiatos. Cur ergo diutius credemus, si ut aliqui volunt non revixit Christus? Etenim falsi testes deprehendemur adversus Deum, quasi Christum suscitaverit, quem reapse non suscitavit, si certe mortui non resurgunt. Tum vero tanta sanctorum multitudo, quomodo falsitatis crimen vitabit? Certe nullo modo hi sancti forent, qui calumniae in Deum crimen incurrissent. Sed enim haec aliter se habent; sine mendacio enim doctores nostri Christum surrexisse dixerunt.

v. 17. **Quod si Christus non resurrexit, vana est vestra fides.**

Verissime recteque admodum ceteris id quoque addit. Etenim iustificat quidem fides; ita tamen, si quis huius ope vesaniam illam expurget quod Christus non resurrexerit. Quid porro interest? Nempe antiquis criminibus adhuc tenemur, pecca-
* Ps. LXXXIV. 2. tum non eluimus. Frustra etiam divus melodus ait *: « complacuisti, Domine, terrae
* Ps. XXXI. 1. tuae, remisisti iniquitates populo tuo, operuisti omnia peccata eorum. » Et rursus *: « beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum peccata obtecta sunt (2). Beatus vir cui non imputaverit Dominus peccata. » Et quidem hanc beatitudinem ad Iudaeos et ethnicos dilatatam ait beatus Paulus in epistola ad Romanos: « iustificati enim su-

(1) Adde in graeco textu ἡμῶν.
(2) Confer Eulogii fragmentum retro apud nos gr. p. 104. n. 2.

mus in Christo, qui traditus est propter delicta nostra, et iustificationis nostrae causa resurrexit *. » * Rom. IV. 25.

Ergo et qui dormierunt in Christo, perierunt. Cap. XV. 18.

Decepti fuisse videntur, et absque praemio animam suam profuderunt, si forte Christus non resurrexit. Si spes iustorum immortalitate non abundat, si cum ipse regnare non expectant, fortasse periisse videntur. Apage pessimam hanc inscitiam; resurgent enim mortui, et suscitabuntur qui in monumentis iacent, secundum prophetae dictum *. * Is. XXVI. 19.

· Nunc autem surrexit Christus a mortuis, primitiae dormientium factus est. v. 20. Gr. p. 74.

Admittit deinde uti indubium, credere oportere Christum revixisse, factum esse dormientium inchoationem, primumque mortem in orbe calcasse: sicuti etiam progenitor Adam primus in ipsam incidit, factusque est lapsorum inchoatio ad corruptionem. Quod autem Servatoris nostri resurrectionem illa mortuorum subsecutura sit, addit dicens: « sicut enim per hominem mors, per hominem quoque erit resurrectio mortuorum. » Videsis autem quomodo rursus incarnationis mysterium divina plenum prudentia demonstrat. Oportebat, inquit, prorsus oportebat, ab homine pro nobis mortem vinci. Hanc ob causam Deus Verbum de Deo natum, nusquam angelos, ut ait idem Paulus *, sed Abrahami semen apprehendit, ut per omnia fratribus similaretur. Oportebat enim, ut iam dixi, sanare aegrum, relevare lapsum. Oportebat mortem expugnari per obedientiam atque iustitiam, ab eo qui sub illius potestatem ceciderat ob transgressionem atque peccatum. Idcirco unigenitum Dei Verbum peccatum nesciens factum est homo; ut quemadmodum in Adamo omnes damnati fuimus, redacta sub mortis ditionem humana natura, ita et iustificati in Christo, exuamus una cum peccato generatam ab hoc mortem. Cuius rei testis ipse erit his verbis divus Paulus *: « sicut per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi. » Itaque sicut in Adamo omnes moriuntur, damnata, ut dixi, in ipso propter transgressionem natura; sic in Christo vivificabuntur, benedicta denuo in eo natura, eadem ratione per iustificationem. Ergo priora posterioribus solvuntur: traditus est enim ob peccata nostra, resurrexit ob efficiendam nostram iustificationem. Suscitato itaque comites facti sumus nos quoque resurrectionis eius: est enim naturaliter vita Verbum de Deo natum. Neque vero propriae tantum carni bonum naturae suae impertitus est Christus, vitam inquam, sed idem ad universam hominis naturam bonum extendit. Surrexit enim sine dubio ceu inchoatio Christus, ut in cunctis primatum obtineat, prout scriptum est: consequetur autem tempore suo ceterorum quoque resurrectio; verumtamen uti par est, non confuse, sed decore atque distincte, et tamquam ex mandato. Etenim post inchoationem, id est Christum, illos qui ad eum pertinent, resurrecturos dicit: illos videlicet qui tempore adventus eius extiterunt, id est post incarnationem, et qui in fide veluti dormierunt. Sine dubio nonnulli fuerunt sancti homines per tempora in Israhele, cum vita secundum legem acta adhuc laudabatur, et in more erat; sed tamen meliores Christiani sunt, quia per fidem iustificantur, divinaeque naturae facti sunt participes, et adoptionis spiritum consecuti: vocati insuper per gratiam ad fraternitatem eius qui naturaliter vereque filius est. Et sub lege quidem degentibus spiritus inerat servitutis; nos autem clamamus abba pater. Ergo meliores, ut dixi antiquioribus christiani sunt: quare et hos primos resurrecturos dicit, utpote qui omnium principis vestigia sequuntur, cui prae ceteris propinquiores sunt, ideoque et prae ceteris honorati. Innuit vero quiddam huiusmodi etiam

* Hebr. II. 16.

* Rom. V. 19.

Gr. p. 75.

ipse dominus noster Iesus Christus in evangelicis parabolis. Ait enim, eum qui operarios ad vineam conduxerat, nempe herum, vespere facto imperasse procuratori suo sic: « voca operarios, et da illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos. »

Cap. XV. 35. **Sed dicet aliquis: quomodo resurgunt mortui? qualive corpore veniunt? etc.**

Isaias propheta post resurrectionis a mortuis mysterium, quod fiet suo tempore Deo iubente, et ineffabili virtute ad vitam eos qui morte tenebantur revocante, va-
* Is. XXVI. 19. ticinatus est olim clamans *: « resurgent mortui, et suscitabuntur qui in monumentis iacent, et recreabuntur qui in terra sunt: nam ros tuus medebitur illis. » Rorem, translate dicit, ut arbitror, vivificam operationem Dei, qua subsistentiam non existentibus largitur. Namque omnia in ipso consistunt, sicut etiam ab ipso ad nativitatem producta fuerunt. Canit alicubi etiam divus David de his, qui in terra vivunt, ad
* Ps. CIII. 28. omnium servatorem Deum *: « aperiente te manum, omnia implebuntur bonitate: avertente autem te faciem, turbabuntur: auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur. Emittes spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis fa-
Gr. p. 76. ciem terrae. » Passa quippe est humana natura divini vultus aversionem in Adamo, propter transgressionem: ideoque paene pessumdata est ac perturbata et in suum pulverem reversa, atque ad mortem et corruptionem depressa. Postquam vero venit ad nos unigenitum Dei Verbum, et sancti Spiritus participes fuimus, reformati sumus in antiquam conditionem, et quodammodo rursus creati: vocati enim fuimus in vitae no-
* Rom. VIII. 11. vitatem, mortis dominio expediti. Id ita testabitur sapientissimus Paulus *: « quod si spiritus eius qui Iesum suscitavit habitat in vobis, is qui Christum Iesum revocavit a mortuis, corpora quoque vestra mortalia vivificabit per inhabitantem eius in vobis Spiritum. » Quandoquidem igitur revixit Christus, mortis conculcata potentia, factusque est inchoatio dormientium, qui deinde vestigiis eius prorsus insistent, quid ni perquam stolidum sit, vel parumper adhuc dubitare de resurrectionis mysterio?

Sed fortasse dices: utique recte loqueris, iamque desinam quaerere quomodo mortui resurgant. Illud tamen necessario cognoscendum est, quali corpore venturi sint: num videlicet terrenum hoc et corruptioni obnoxium corpus reviviscet, an aliud quoddam, ex hac tamen substantia existens? Ego vero confestim aio, rectum fidei magisterium docere, fore nos in hac eademmet carne resurrecturos: sic enim revixit Christus primogenitus e mortuis, inchoatio dormientium. Sed quia nonnullis haud magnopere id dogma placet; agesis, recitata prius quae ipsis recta videtur doctrina, veriora deinde subiungemus. (Heic vero Cyrillus insertis fabulosis illorum narrationibus, qui animas praeexistere corporibus dicunt (1), ita pergit dicere.) Deinde quomodo glo-
* Iob. gr. XXXVIII 14. riatur Deus de hominis creatione? Ait enim alicubi beato Iobo *: « num tu, capto terrae limo, animal finxisti, idque loquax super terram constituisti? » Nam supra omne miraculum ut puto est, rationale animal ex terra efformare. Quomodo facto repente homini et ex terra compacto benedixit creator, crescite dicens et multiplicamini et replete terram? (Tum aliis multis contra praedictos adversarios prolatis, addit:) optimo utitur exemplo divus Paulus, cadere quidem in terra corpus dicens, veluti gra-

(1) Amisimus culpa Nicetae eclogarii curiosam ethnicorum seu certe origenistarum disputationem. Sed enim quod adtinet ad opiniones erroresque Origenis circa corporum resurrectionem, legi possunt fragmenta librorum eius de hoc argumento, et libri contra Celsum, nec non eius expositio in psalmum primum. Item Epiphanius haeres. LXIV, ne plures testes in medium adducam. Sane a Cyrillo Origenem civem suum prae oculis potissime obversatum hoc loco arbitror; namque illum et patruus eius decessorque Theophilus tribus paschalibus litteris, quae sunt apud interpretem Hieronymum, insectatus est. In secunda quidem paschali error etiam nominatim origenianus narratur de animabus ante corpora existentibus.

num, haud tamen ita nudum consurrecturum, cuiusmodi satum fuit, sed vestitum Gr. p. 77.
atque exornatum, ut eius natura fert, calamo ac foliis. Dat enim, ait, Deus unicuique semini proprium corpus. Quia vero haud omnes dormientes revicturos cum gloria dicit, etsi omnes futuri sunt incorruptibiles; neque enim impios et malorum operum artifices divino splendore coronari decet; idcirco commode diversorum meminit seminum, quibus etiam attribuit Deus, quemadmodum ipse voluerit, ut hac vel alia specie differant.

Sed alia quidem caelestium gloria, alia autem terrestrium. Cap. XV. 40.

Sciendum est quod duobus nuper in medium allatis exemplis, seminis inquam, et alterius quo caelestium corporum differentia gloriae significatur, refert mox ad prioris exempli naturam, resurrectionis a mortuis similitudinem, et sequentia ait.

Seminatur in corruptione, resurgit in incorruptione. v. 42.

Quemadmodum enim frumenti granum in glebam proiectum nudum atque demortuum, mox vestito corpore et cum pulchritudinis additamento ortum admiramur, eodem modo humanum quoque corpus corruptibile infirmum atque ignobile seritur, sed revivescet tamen honore immortalitate ac viribus circumvestitum. Est autem operae pretium divini oratoris vigilantiam observare. Firmam enim habens fidem, seque omnino ac sine dubio resurrecturum confidens, sationi comparat fragilem corporis conditionem, artificiose omnino ac sapientissime hoc exemplo, rei huiusmodi naturam exprimens. Ergo aeque ac granum, haud nudum, inquit, reviviscet corpus, sed egregie circumvestitum immortalitate ac gloria, praetereaque validum, et spiritali sensu praeditum, superna scilicet gratia, et incomparabili creatoris omnium virtute, omnia in eodem invertente. Inest enim caduco corpori, et tamquam humi sato, corruptio, infirmitas, et inhonestus animalis affectus, quem nos carnali et terreno aequivocum dicimus. Quamquam quum initio creatum fuit, haud talem naturam habuit; sed in hominem transiere passiones post transgressionem, poenam mortis iam Gr. p. 78.
tum natura nobis pronunciante. Ceteroqui nonnisi Dei virtute et operatione subingressorum malorum fit depositio; succedit autem priorum, quae erant ab initio, bonorum participatio. Renovamur enim in Christo, ut aiunt scripturae; siquidem sanctus propheta ait *: Macte animo Sion, neque remissis manibus esto; dominus Deus in * Soph. III. 16.
te, qui te salvare potest, et caritate sua te instaurabit. » Cum enim nos amat Deus pater, tunc enimvero in Christo etiam renovat: etenim vere dicitur, omnia in ipso novam esse creaturam; et antiqua quidem praeteriisse, nova supervenisse. Quaenam autem vetera? nempe praetergressa. Quaenam nova? nempe subinducta. Vetus quidem est corruptio, et infirmitas, insuperque ignominia, et animalis affectûs culpa: nova autem sunt in Christo gloria, incorruptio, virtus, et spiritalis affectus: erit enim corpus nostrum spiritale. Dico autem spiritale, non quasi umbratile, aut quasi incorporeum spiritum; sed illud potius quod carnali omni terrenoque affectu sit liberum.

Seminatur corpus animale, resurgit corpus spiritale. v. 44.

Siculi enim si quis vellet terrenum corpus nostrum appellare animale, haud recte illi accommodaret animae ideam, sed respiceret potius ad animalem idest carnalem eius affectum; sicuti sapientiam quoque animalem illam intelligimus, quae terrena est, et inter homines vulgaris; ita etiamsi quis dicat corpus animale, quin tamen ei ideam animae adsociet, merito erroris coargui non potest; quia secundum quamdam rationem viventes adhuc, atque in his versantes corporibus, nonnulli dicuntur animales vel spiritales. Scriptum est enim *, quod « animalis homo non percipit ea quae sunt * I. Cor. II. 14.

spiritus Dei, quia stultitia illi videntur; spiritalis autem omnia indicat, et ipse a nemine indicatur. » Et quia consentaneum erat huiusmodi sermonem, rebus quoque comprobare, pergit dicere: factus est primus homo Adamus in animam viventem; postremus autem Adamus in spiritum vivificantem. Animalem itaque dicere Adamum puto,
Gr. p. 79. quatenus vivens ei anima adtributa est, non ita tamen ut omni carnali concupiscentia careret. Nam cupiditates, quae ad carnis spectant atque feruntur passiones, etiamsi forte a lege licentiam habeant, sunt nihilominus reapse carnalis infirmitatis coargutiones, si quis rerum naturam considerat. Uno utar exemplo. Honorabiles sunt nuptiae, et copula immaculata: etenim inserta fuit corporis naturae ab omnium creatore motus appetentiae, quo animal ad gignendi voluntatem impellitur. Dictum est enim homini: crescite et multiplicamini et replete terram. Et creator, ait scriptura, ab initio masculum et feminam fecit eos. Est ergo inculpabilis quae ad liberorum procreationem tantum tendit appetentia; nihilominus, quatenus ad rei quae fit naturam spectat, carnalis ea passio est, sive animalis. Res ita se habet in aliis quoque carentibus culpa passionibus. Ergo anima vivens factus est primus Adamus; secundus autem de caelo, id est Christus, non tam anima quam spiritus vivificans factus est. Hominem enim sibimet uniens, Deus Verbum, ex Deo naturaliter ortum, non humanam uti nos, sed divinam quamdam et Deo convenientem et inculpabilem prorsus vitam vixit. Non enim fecit peccatum, qui absurdis imperviam voluptatibus mentem habebat, appetitui etiam vescendi superiorem. Etsi enim eum constat cibum potumque gustasse, ut homo aeque ac nos crederetur, libere tamen id agebat: nam per dispensationem in carne erat pro nobis, simulque carni superior: erat enim, utpote Deus, vivificans spiritus. Contra autem progenitor Adamus haud inculpatum prorsus habuit vescendi appetitum: cum esset enim anima vivens, et edendi voluptati obnoxia, de ligno vitae manducavit, quamquam divina lege id agere vetabatur. Quod autem animalis homo, nequaquam nobis naturae differentiam denotet, sed vitae potius morumque qualitatem, ob quam alter quidem terreno carnalique affectu capitur, alter spiritus libertate cluet, demonstratur evidenter per primum secundumque Adamum: ambo enim in terrenis corporibus erant; sed affectûs ut ita dicam qualitas, necnon diversae vitae electio, alterum quidem animalem esse demonstravit, alterum vero incomparabiliter meliorem id est spiritalem.

Cap. XV. 46. Gr. p. 80. **Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale; deinde quod spiritale.**

Adnotat quodammodo tempora quibus ambo vixerunt, aitque: sed non prius fuit spiritale, sed animale, deinde vero spiritale: quibus verbis perspicue ostendit, non esse impossibile hominis naturae, ut ab animali affectu ad spiritalem transeat; et animale antiquius esse spiritali. Quaenam vero harum rerum demonstratio erit?

v. 47. **Primus homo de terra, terrenus etc.**

Primus, inquit, homo id est Adamus, anima vivens effectus est, id est terrenus atque carnalis: secundus autem de caelo. Etsi enim Dei Verbum factum est caro, ut aiunt scripturae, attamen erat de caelo proveniens (1), et rebus cunctis superius, ut ait
* Ioh. III. 31. Iohannes *. Itaque ambo quidem erant, ut dixi, in terrenis corporibus, non tamen pares mente aut vitae more: prior enim in carnali affectu versabatur; posterior, spiritus vivificans erat, et de caelo proveniens. Iam vero sicuti terreni imaginem gessimus, id est Adami similitudinem, passionibus et peccatorum infirmitati obnoxii, et

(1) In codice graeco cum brevi lacuna sic: ἀλλ' ἢ . . . καὶ ὁ ἐξ οὐρανοῦ.

corruptionis iugo subiecti, sic caelestis quoque, id est Christi, gestemus imaginem, carnali voluptati peccandique voluntati facti superiores, ipsam deinceps vincentes mortem quae olim terribilis erat et vix superabilis, crudelique nos tyrannide premens.

Quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt. Cap. XV. 50.

His quoque verbis resurrectionis mysterium adstruit. Quamdiu enim humanum corpus caro est et sanguis, id est mortale et corruptibile, Dei regnum id est immortalitatem consequi nequit. Prorsus ergo necesse est corruptionem absorberi, et quicquid est caducum tolli; idemque in incorruptibilitatem verti, et divina quadam atque ineffabili gloria illustrari. Tunc demum regnum Dei possidebit.

Ecce mysterium vobis dico: omnes quidem non dormiemus (1), sed omnes immutabimur. v. 51

Magnum et caeleste revera mysterium, eique sine dubio revelatum aliquando ab ipso in eo loquente Christo, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi. Ipse enim etiam speratorum distributor est bonorum: ipse creaturam trans- *Gr. p.* 81. formabit, et omnia innovabit, atque a servitute in libertatem gloriae filiorum Dei vindicabit. Quae cum ita sint, nonne oportuit omnino cum reliqua creatura innovari illum etiam, cuius in gratiam condita est creatura, id est hominem? Oportuit ipsum quoque novum apparere, non priori corruptioni subditum, non carnalibus voluptatibus ad peccata violenter adactum, sed resuscitatum potius ad immortalitatem perfectamque valetudinem atque honorem, et divina quadam gloria circumdatum. Ait enim alicubi etiam divus Isaias *: « et procedet ante te iustitia tua, et gloria Dei or- * Is. LVIII. 8. nabit te. » Immo et ipse dominus noster Iesus Christus manifeste adfirmavit, fore ut in huius saeculi consummatione reviviscant mortui *: et intelligentes quidem splende- * Matth. XIII. 43. bunt, veluti est firmamenti splendor; verumtamen haud omnibus indifferenter huiusce honoris et gloriae gratia continget; sed illis potius singillatim, qui prae aliis electi fuerunt, qui etiam conformes fuerint imagini filii eius. Certe quidem reviviscent omnium corpora immortalitatis beneficio praedita (2), non tamen omnes immutabuntur; sed mali quidem in ignominiae specie permanebunt, catenus tantum ut puniantur, soli vero iusti immutabuntur ad incorruptibilitatis felicitatem, divinae gloriae habitu perornati. Ipse itaque propria virtute ac vi Deo digna immutabit corpus humilitatis nostrae, ita ut fiat conforme corpori gloriae eius. Quodnam vero est humilitatis nostrae corpus? terrenum hoc videlicet, et morti deditum propter illam veterem maledictionem, quam Christus dissolvit, factus pro nobis maledictio. Fiet autem immutatio, non in aliam nos naturam transferendo (3), erimus enim qui sumus, nempe

(1) De hac celebri lectione, quae in codicibus librisque graecis sane non est infrequens, et in nostro etiam scribitur nicetianae catenae codice, nec non in illo πάνυ vetustissimo vaticano, legantur ea quae plurima congesserunt Millius atque Scholzius in varietatibus graecis, et Sabaterius in latinis, et collatio fiat cum I. Thessal. IV. 15. Instar omnium sit Hieronymus ep. 119. ad Min. et Alex. *Omnes quidem dormiemus, non autem omnes immutabimur. An iuxta quaedam exemplaria: non omnes dormiemus, omnes autem immutabimur: utrumque enim in graecis codicibus invenitur.* Addit ibi Hieronymus Theodori heracleotae et Apollinarii opiniones, qui vel de Enocho et Elia heic cogitandum iudicant, vel etiam de aliis sanctis, qui ingruente universali iudicio, in corporibus reperiendi sint, et cum aliis qui resurrexerint, rapiendi in nubibus obviam Christo.

(2) Hoc quoque contra Origenem, de quo apud Hieronymum epist. 96, vel potius apud Theophilum epist. pasch. I. haec dicuntur: *inter cetera* (Origenes) *etiam resurrectionem a mortuis ita corrumpit et violat, ut audeat dicere, corpora nostra suscitatum quidem iri, sed sic ut corruptelae rursus ac morti subiaceant.*

(3) In contrario errore versatum Origenem apparet ex eius Opp. T. I. p. 268. in adn.

homines, sed meliores incomparabiliter; incorruptibiles enim et numquam perituri, et praeterea glorificati. Quid autem significet novissima tuba quae mortuos suscitat, nos idem docebit divus Paulus dicens *, Dominum ipsum cum celeusmate ac voce archangeli et tuba Dei descensurum caelo, et mortuos incorruptibiles resurrecturos. Ergo tubae comparat archangeli vocem, ac divinum illum horrendissimumque clamorem. Licet autem clamet archangelus et resurrectionis signum edat iacentibus in pulvere, reapse tamen Christi vox est: nam ipse virtute propria mortuos suscitat, minime vero archangeli vox: dominicis enim iussibus creatura quaelibet rationalis subiecta est. Quaenam itaque vera resurrectio erit, nisi dicamus id fore resurrecturum quod morte tenebatur? Aut quo iure, propemodum corruptioni insultantes dicemus, absorpta est mors in victoriam, et reliqua?

* I. Thess. IV. 15.

Gr. p. 82.

Cap XV. 55. **Ubi, o mors, stimulus tuus? Ubi tua, o inferne, victoria (1)?**

Sciendum est, praedictum articulum recitatum esse a beato Paulo ex hebraica editione: nam illa quidem septuaginta interpretum non ita se habet: scriptum est enim in prophetis *: ubi contentio (2) tua, o mors? ubi stimulus tuus, o inferne? Verum apostolus stimulum mortis dicit peccatum; vis autem peccati, est lex. Vulnerat enim veluti scorpius, is qui mortis potestatem habet Satanas; neque aliter vulnerat, quam per peccatum. Sed contulit nobis Servator serpentes et scorpios calcandi facultatem, et quaslibet inimici vires. Evanuit enim mortis stimulus, sublato peccato, quod a lege iam vires non accipit: quippe quia peccantium damnatio a lege fit. Quare
v. 56. subdit divus Paulus, vim tribuere peccato legem. Verum ea res quoque per Christum antiquata est: etenim peccatum deinceps nobis non dominabitur, quia non sub lege degimus sed sub gratia: porro lege sublata, perit peccatum. Quis itaque horum omnium bonorum nobis sit ministrator, iustitiae auctor, libertatis dator, omnis beneficii
v. 57. fons et causa, cognoscemus dicente beato Paulo: Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per dominum nostrum Iesum Christum.

* Os. XIII. 14.

(1) Conspirant cum hac lectione, quam Cyrillus Hebraeorum esse dicit, Chrysostomus, Theodoretus, ac Theophylactus, quos inspexi. At Theodorus mopsuestenus a me editus Script. vet. T. VI. p. 48. prorsus retinet alteram lectionem, quae a Cyrillo dicitur septuagintaviralis. Neutram volo in partem disputare, quod nimis longum foret, praesertim cum hebraicus etiam Oseae textus aliquantum nunc certe differat.

(2) Graecum δίκη a me *contentio* latine dicitur cum Tertulliano, Cypriano, Hilario, Augustino, Fulgentio, et aliis apud Sabaterium.



SANCTI EIUSDEM CYRILLI

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

EXPLANATIO

IN POSTERIOREM AD CORINTHIOS EPISTOLAM.

Paulus apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus frater. Cap. I. 1. *Gr. p.* 83.

Sapientissimus Paulus apostolus electus ad Christi ministerium, voluntate Dei promotum se dicit, pseudo-prophetarum et pseudo-apostolorum gloriam uti impiam respuens, loquens autem in spiritu, ipsumque habens propria in anima insertum Iesum: ita ut modo dicat: videor autem et ego spiritum Dei habere; modo vero *: si experimentum quaeritis loquentis in me Christi. Servum se dicit illius, etsi alioqui omnium rerum habet potestatem Deus, solusque dominatur. Dictum est enim ei *: omnia serviunt tibi. Quid ni igitur diserte naturalem ipsi vereque Deo dignissimam dominationis gloriam adtribuat? Facit autem propemodum coadiutorem et socium in his quae scribit probatissimum Timotheum, nempe ut validius persuadeat; dicente nimirum lege: in ore duorum testium et trium stabit omne verbum.

* II. Cor. XIII.
* Ps. CXVIII 91.

Ecclesiae Dei, quae est Corinthi. v. 1.

Scribunt ecclesiae Dei, quae erat Corinthi; quamquam ecclesia dici solet Christi: ipse enim eam sibi comparavit virginem castam. Ceteroqui si ecclesia Dei est, Christus autem eam sibi comparavit, Deus utique propriâ naturâ is est qui ex sancta deipara Maria prodiit (1).

Gratia vobis et pax a Deo patre nostro, et domino Iesu Christo. v. 2.

Si divinam in filio naturam non agnovisset, cur dicturus non fuisset: gratia vobis et pax a solo Deo patre? Nunc autem cum adsociet, simulque datorem ponat Christum donorum quae divina tribuit natura, satis hinc apparet ab eo Christum non ignorari propriâ esse naturâ Deum. Necessario igitur adsociabimus Deo patri filium, veluti unum cum illo et consubstantiale Verbum, ut unus quoque Deus dator credatur spiritalium bonorum. Christi vero Iesu nomine, Verbum Dei in carne ostensum significat. Quod si hic dator illorum munerum est, quae et ipse pater tribuit, quid ni naturaliter Deus, ob dispensatoriam cum sua carne unionem, intelligatur Christus? Sic etiam sapientissimus Paulus de Israhelitis quodam loco ait *: quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.

Gr. p. 84.
* Rom. IX. 5.

Fidelis autem Deus, quod noster ad vos sermo non fuit est et non. v. 18.

Nemo dicit, dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto *: Spiritus autem veritas est, uti scriptum est. Plenam itaque veritate, sive Spiritu sancto, quum mentem gesserint evangelicae doctrinae praecones, mendaces nequeunt existimari in his quae de Christo dicunt. Porro haec rectissime firmissimeque se habent, Christo ipso testante *:

* I. Cor. XII. 3.
* Matth. X. 20.

(1) Denuo heic et passim admirari licet Cyrilli studium asseverandi Christi divinitatem.

non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri in vobis loquitur. Fidelis itaque Deus est, nempe omnis mendacii expers et verax. Necessario autem eius quoque naturalis filius, quem vobis praedicavimus ego et Silvanus atque Timotheus, non fuit est et non. Omnis enim de illo sermo, ab inspiratorum praeconum voce verax sonuit. Et quotquot Dei sunt, inquit, promissiones, in illo « est » inveniuntur. Videlicet munificentiam promissionemque omnem in ipso a Deo patre habuimus: idque in vocabulo « est » scilicet in veritate: etenim haec ad exitum per Christum venerunt. Absorpta est enim mors in victoriam, et corruptionis eversa potentia est. Cessabit simul timiditas et ignominia, ut aiebat in priore epistola sapientissimus Paulus. Porro et sanctorum regni facti sumus heredes atque participes. Dicturus est enim ipse nobis pro tribunali, in quo erit « est: » venite benedicti a patre meo, possidete paratum vobis regnum iam inde a mundi constitutione. Sola itaque Dei quaelibet promissio per Christum habet « est. » Prorsus autem non recipit « non, » id est negationem; Gr. p. 85. quia Christus veritas ipsa est. Insuper hoc singulariter demonstrat, eum suapte natura esse Deum. Si enim promissiones non frustratur, sed eas potius sanctis in rem confert, quamquam Deus pater bonorum dator est, quid ni erit naturalis verusque filius, et de Deo Deus, in quo omne datum bonum, et omnis donatio perfecta est sine mendacio?

* II. Cor. I. 20. Quod autem careat mendacio Verbum, comprobat Paulus dicens *: itaque per ipsum Deo amen, ad gloriam per nos. Quia enim ipse est mediator, per quem solum ad patrem accessus est, et in quo omne spiritale donum est; per ipsum quoque omnium omnino precum exitum consequemur. Id enim significat amen. Quam ad rem * Ioh. XVI. 23. nos ipsemet filius informavit, sanctis dicens apostolis *: et illa die me non rogabitis quicquam: amen amen dico vobis, si quid poposceritis patrem, dabit vobis in nomine meo. Nondum quicquam in nomine meo petistis: petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Per ipsum itaque Deo patri amen, ad gloriam per nos. Mos enim nobis est quamlibet precem claudendi in nomine Christi (1). Quod vero ipsi non immerito ac sine controversia laus publica debeatur, cognoscimus beato vatici- * Gen. XLIX. 8. nante Iacobo *: Iuda, te laudabunt fratres tui: ortus est enim ex Iudae tribu secun- * Is. VI. 1. dum carnem Christus. Profecto etiam Isaias propheta ait *: vidi Dominum sabaoth sedentem in throno excelso et elevato, circumstantes vero seraphim sanctum ipsum adclamantes, et Dominum sabaoth appellantes, plenumque dicentes caelum ac terram * Ioh. XII. 41. gloria eius. Porro quod reapse viderit filium, demonstrabit sapiens Iohannes *: haec * gr. ὅτι. autem dixit Isaias, quia * gloriam eius vidit, et de ipso locutus est. Quamobrem, etiamsi pater per ipsum glorificatur, et ipse per fidem positus est propitiator, immo et sanctorum factus est propter humanitatem minister, utpote qui spiritalis instar sacrificii singulorum sanctorum offert preces; per ipsum enim dicimus amen; nihilominus haud extraneus credendus est sibi debitae adorationi, et gloriae una cum genitore obtinendae et a nobis ipsis et ab universa sanctorum spirituum multitudine. Ait * Hebr. I. 6. Gr. p. 86. enim alibi divus Paulus *: et cum denuo introduxerit * primogenitum, ait: et adorent * gr. εἰσαγάγῃ. eum omnes angeli eius. Cui vero incompertum est, eum esse unigenitum, quatenus intelligitur Deus? Unus enim ex uno generatus est patre. Postquam autem se ad nostra demittens, in multis extitit fratribus, tunc ipse primarius est factus; et praeter quam quod unigenitus est uti Deus, primogenitus quoque ob suam humanitatem evasit.

1) Cyrilli dicto adstipulantur liturgiae antiquissimae, ad nos usque delapsae, in quibus preces reapse concludi solent verbis *per dominum nostrum Iesum Christum* etc.

Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo etc. Cap. I. 21.

Confirmat nos Deus pater in Christo, rectam et immobilem stabiliens fidem in omnium animabus, ut credamus naturaliter vereque Deum, etiamsi in specie nostra conspicitur, secundum carnem ex muliere natum, qui supra omnem creaturam est. Nam et ipse dominus noster Iesus Christus Petro fidem suam profitenti, aperteque dicenti *, tu es Christus filius Dei vivi, respondit dicens: beatus es tu Simon fili Ionae, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in caelis est. Nam quia maximum hoc est mysterium, merito egebat superno magisterio patris. Confirmat ergo nos ipse in Christo, qui nos quoque signavit et unxit Deus, et Spiritûs arrham dedit. Hinc etiam fit nobis exploratum, filium non esse « est » et « non; » sed verum potius Deum; et praeter cetera cuncta bona, in ipso contineri « est. » Nam cum Deus signasse nos et unxisse dicatur, et Spiritûs arrham dedisse, Christus vicissim haec in nobis exsequitur, non serviliter neque alieno nos ungens signansque spiritu, sed suo proprio simulque patris. Est enim in utroque sanctus Spiritus, propter substantiae unitatem indivisus, et a patre per filium deveniens ad res creatas (1). Insufflavit enim in sanctos apostolos Christus, aitque: accipite Spiritum sanctum. Et nos per ipsum atque in ipso ad imaginem ceu sigillo formamur divinam et intellectualem. Dixit enim idem divus apostolus ad Galatas scribens *: filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus. Quod si Christo conformati, divinam consequimur similitudinem, ipse utique imago Dei patris est, et perfecta similitudo; neque ut nos, qui ob sanctitatis tantum participationem ad eam similitudinem vocamur, sed naturaliter potius ac substantialiter. Nam qui Deus naturaliter est, ab eo qui naturaliter vereque Deus est atque ex ipsius substantia genitus, nihil profecto differet. Sed tamen ipsum quoque signatum a Deo patre fuisse, ait Iohannes sapientissimus *: nam qui testimonium eius accepit, signavit quod Deus verax sit. Signatus tamen haud ea qua nos ratione fuit; sed totum in filii natura quodammodo se descripsit pater, et substantialiter impressit. Hinc Iesus aiebat *: qui vidit me, vidit patrem.

* Matth. XVI. 17. — * Gal. IV. 19. — Gr. p. 87. — * Ioh. III. 33. — * Ioh. XIV. 9.

Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo, et odorem notitiae suae manifestat per nos in omni loco. Cap. II. 14.

Sicuti enim pro nobis ductus fuit quodammodo in triumphum Christus, quo tempore super ligno necem pertulit, et cruciatibus fuit consummatus, sic et ipsi triumphari se aiunt Christi causa, dum ubique innotescunt, et tentationibus inclarescunt, mundumque vincunt, quia omnia perpeti parati sunt, et quidem libentissime, pro Christi nomine. Sunt enim, sunt utique, passionum eius participes, et revelandae in

(1) Legatur, si lubet, Hier. Donati, senatoris veneti doctissimi, tractatus de Spiritus sancti processione (apud nos Script. vet. T. VII.) qui lib. IV. capp. 8. 9. 10. ingeniosissime Spiritus sancti processionem etiam a filio demonstrat ex eiusdem missione per filium ad creaturas. Idem fere brevius dixerat S. Hilarius de Trin. VIII. 20, ut certe refertur eius textus in primo vetere opusculo de Sp. S. a nobis edito tom. cit. p. 248. *Spiritus sanctus accipit a filio, qui et ab eo mittitur, et a patre procedit. Et interrogo utrum id ipsum sit a filio accipere, quod sit a patre procedere? Certe id ipsum atque unum esse existimabitur a filio accipere, quod sit procedere a patre.* Perspicue etiam magnus Augustinus in illa celebri sua auctoritate tract. XCIX. in Ioh. *Spiritus sanctus non solum de patre procedit in filium, et de filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul de utroque procedit: quamvis hoc filio pater dederit, ut quemadmodum de se, ita quoque de illo procedat.* Ita se optime habet locus in secundo vetere opusculo a nobis item edito tom. cit. p. 255. At in maurina Augustini editione perperam deest dictio *solum;* ibi enim legitur: *Spiritus sanctus non de patre procedit in filium.* Haec paulo uberius ad Cyrilli locum libenter adnotavi, quia exploratum est, Cyrillum principem fere inter veteres graecos dogma hoc de processione ab utroque theologice exposuisse, ut diligenter, prolatis eius verbis, narratur in damascenica prima Lequinii dissertatione.

posterum gloriae socii. A Deo autem se triumphari aiunt, non quod ipsos cruciatibus obiiciat, aut calamitatibus obruat, sed quia ipsi secundum illius placitum per universum orbem Iesum praedicantes, huius causa in tentationes incidunt. Quinam vero sit odor notitiae Dei et patris, qui per sanctos apostolos mundo manifestatur omnique
* II. Cor. IV. 5. ut ipsi aiunt loco, docet alibi idem divinus Paulus dicens *: non enim nosmet ipsos praedicamus, sed Christum Iesum dominum, nosmet vero servos vestros per Iesum
* I. Cor. II 2. Christum. Et rursus *: non enim iudicavi me scire quicquam in vobis, nisi Christum Iesum, et hunc crucifixum. Deinde quomodo natus de muliere, crucem passus, morti traditus, etsi postea revixit, odor notitiae erit Dei patris, si forte, ceu nonnulli existimant, simplex uti nos, et a Deo adflatus homo intelligitur Christus, non autem revera naturaliter Deus, quamvis humanitatem credatur per dispensationem adsumpsisse Dei Verbum? Neque enim, si conditionis nostrae fines haud excedit, bonum Dei patris naturae addet odorem; neque odor fiet nescientis mortem, is qui mortem pertulerit. Quonam igitur pacto odor erit notitiae patris Christus, nisi quatenus om-
Gr. p. 88. nino intelligitur et est Deus, etiamsi in carne propter nos apparuit? Secus enim quomodo praedicatores annunciavissent eum mundo tamquam naturaliter vereque Deum? Aut quomodo Iesum cognovissent? Quomodo demum Deus pater mundum sibi in Christo reconciliare diceretur a sanctis doctoribus, nisi humanitatem ad adunationem cum Verbo ex Deo nato adsumpsisset, sapiente incarnationis opera id deposcente? Praedicant enim divini discipuli, verba suppeditante Spiritu, non tamquam in homine habitans Dei Verbum, sed uti carnem factum, id est unitum carni anima rationali praeditae. Sic nim is erit gloriae dominus, qui fuit crucifixus. Itaque sive cum carne consideretur, sive etiam secus, seorsum autem ceu et sic inter nos versatum Dei Verbum, odor est notitiae Dei et patris, utpote quod propria in natura bonum eius, a quo prodiit, odorem nobis affundit. Quod si haec ita se habent, quomodo factum esse dicetur, et cum iis quae antea non existentia, sortita sunt originem, connumerabitur? Haud esset certe odor non creati et existentis non per facturam. Neque enim in infecto factum, neque in facto infectum videbimus. Atqui filius in se ipso patrem ostendit; ergo Deus naturaliter est, propter substantiae unitatem. Audiat igitur a no-
* Cant. I. 2. bis filius: unguentum effusum nomen tuum *. Novimus enim per ipsum et in ipso illum, a quo genitus est, patrem Deum.

Cap. II. 15. **Quia Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt.**

Bonum veluti odorem exhibent Deo patri dominum nostrum Iesum Christum, primo quidem quia habent eum Spiritus operâ in se habitantem et insertum. Deinde quia ubique praedicant et circumferunt de eo sermonem, tamquam valde odorum thymiama, suum erga Deum studium depromentes. Tertio denique, quia ei facti conformes paribus consumpti fuere cruciatibus. Bonum sane se esse odorem aiunt tum in iis qui salvi fiunt, tum in iis etiam qui pereunt. Quibusnam vero odor sint de morte in mortem, quibusnam contra odor de vita in vitam, superest cognoscendum. Ergo probabiliter a nobis intelligentur tum salvati tum pereuntes, si spiritalem sensum contemplemur, credentes, nec non fidem renuentes, quique verum naturalem-
Gr. p. 89. que Deum nondum agnoscentes, malunt adorare creaturas prae creatore. Hi divinae praedicationis verba non recipientes, immo potius irridentes, stultitiamque putantes esse Christi mysterium, recipiunt odorem notitiae patris sic ut transeant de morte in mortem. Etenim quum in morte iam versarentur, propter haerentem inscitiam et caecitatem, tantum non videntur in alteram quoque mortem incurrere; si quidem legis

magisterio olim ad Dei notitiam admoti, vitam quodammodo erant adepti, ita tamen si crederent reciperentque odorem notitiae patris de vita in vitam. Ait enim quodam loco Christus ad caelestem patrem Deum *: haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum. Quis autem huic rei sit idoneus? Recte, id dicitur: reapse enim haud facile invenitur, cui facultas insit recte, et absque errore, Christi mysterium explanandi, cuiusmodi extiterunt divi discipuli, cum aliter sentientium contumaciam corrigebant, quorum est praecipuum ac summum studium verbi Dei veluti adulteratio, et mendacio ac fraude fidei magisterium semper inficere. Secus vero divi doctores, qui in Spiritu loquuntur, sincere ac veluti in conspectu Dei omnia faciunt et dicunt.

* Ioh. XVII. 3.

Non in tabulis lapideis, sed in carneis cordis tabulis. Cap. III. 3.

Prophetico quoque testimonio confirmat dictum suum « non in tabulis lapideis, sed in carneis cordis tabulis. » Ait enim, inquit, alicubi Deus per prophetae vocem *: « ecce dies veniunt, ait Dominus, et statuam cum domo Israhelis domoque Iudae novum foedus, haud par foederi quod cum patribus ipsorum pepigi qua die ego manum eorum adprehendi ut educerem de regione Aegypti: qui tamen in foedere meo non perstiterunt, ideoque eos neglexi, dicit Dominus. Tradam ergo leges meas menti eorum, et in cordibus ipsorum scribam. Huiusmodi enim foedus erit, quod cum Israhelis domo statuam post dies illos, dicit Dominus. » Olim quidem divus Moyses legem accepit vitae quasi puerilis magistram in lapideis tabulis, ut ait scriptura. Qua quidem re significatam nos dicimus iudaicorum cordium duritiam. Aegre scilicet receptam fuisse eorum in mentibus legem apparet, et tamquam in lapidibus brevi tempore et vix mansuram, prorsus tamen instabilem et facillime abiiciendam. Quamobrem ait Dominus *: « populus hic ore quidem mihi propinquat, labiisque suis me honorat, cor autem eorum longe est a me: frustra me colunt, tradentes doctrinae loco mandata hominum. » Dominus autem noster Iesus Christus in carneis id est sensibilibus cordis tabulis, sacras nobis divinasque leges inseruit. Unde etiam Ezechielis prophetae voce aiebat *: « et extraham lapideum cor eorum de carne eorumdem, daboque eis cor carneum, ut in praeceptis meis ambulent. » Si quis itaque mosaicis non innititur umbris, neque atramento scriptam gerit legem tamquam lapideis in tabulis (1), sed in mente potius a Spiritu impressam, hic veluti quaedam Christi epistola a cunctis hominibus agnoscitur.

* Hier. XXXI. 31.
Gr. p. 90.
* Is. XXIX. 13.
* Ezech. XI. 19.

Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum etc. v. 4.

Omnia dignis bona sunt in Christo: desursum enim est atque a patre luminum omne donum perfectum. Per Christum itaque atque in ipso omnia sunt, qui incarnatione sua inter nos Deumque mediator est; ita tamen ut omnia operetur ex Deo et patre, cum sit ipsa sapientia et virtus illius. Quaenam vero sit fiducia per Christum ad Deum, audi Paulum in sequentibus: non quod sufficientes simus aliquid cogitare ex nobis; omnis enim sapientia a Deo est, ut ait scriptura; sed sufficientia nostra ex Deo, qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti, non littera sed spiritu: littera enim occidit, spiritus autem vivificat. Quid autem est littera? nempe legalis typus, id est res ratione umbratili adhuc peractae. Spiritus vero est christianae religionis virtus, quae spiritales reddit accedentes ad se per fidem. Quanto autem veritati inferior est typus, tanto sequiores indico ministros legis, iis qui veritatis cultu

(1) Reapse antiquissimos habemus adhuc aegyptios etruscosve lapides, in quibus non excusae sunt litterae, sed atramento tantum vel coloribus delineatae.

funguntur. Aspergit enim nos suo sanguine Christus; neque carnis tantummodo puritatem efficit, ut in lege fiebat, sed magis conscientiam nostram purgat mortuis operibus, et a peccato revocat: largitur insuper vitae spem. Vere enim dictum fuit *: qui credit in filium, habet vitam aeternam. Promissa est enim corporum quoque ipsorum resurrectio, atque ad incorruptibilitatem aeviternamque vitam reditus.

* Ioh. III. 36. Gr. p. 91.

Cap. III. 18. **In eandem imaginem transformamur a gloria in gloriam tamquam a Domini Spiritu.**

Transfertur quodammodo credentium mens ex legalibus rudimentis ad evangelicam scholam, et transformatur ut ita dicam in spiritalem speciem, umbrae iam ac typorum impatiens, sed e legali gloria ad aliam in Christo gloriam per Spiritum demigrare gestit. Ergo in eandem imaginem transformamur: convertentes enim typos in veritatem, et ex legis umbra mysterium Christi nostrarum mentium subtili ratiocinio efformantes, tamquam in specie eandem gloriam comperiemus. Si enim gloria data fuit legis ministris, maior profecto, et priorem incomparabiliter superans, sanctorum sacerdotum est, qui a Deo facti sunt idonei ministri novi foederis, haud littera sed spiritu. Exploratum autem est neminique obscurum, qui a legali disciplina ad evangelicam perfectionem transeunt, eos omnino credendum esse ceu ex gloria priore in aliam transisse, atque ad meliora transgressos. Qui autem eos ita transfert, ipse Spiritus est, qui legis servitute liberat: in ipso enim clamamus abba pater ut filii et liberi. Neque vero aliter legalis ipsius doctrinae profunditatem cognoscere licet, quam per sanctum Spiritum: ipse enim scrutatur etiam profunda Dei: profunda autem Dei appellari dicimus latentem in sacris litteris notitiam. Idcirco divus quoque David Deum sic precabatur *: revela oculos meos, ut videam legis tuae mirabilia. Neque ipse Servator indignum laude eum iudicabat, qui ex legali scientia ad spiritalem id est evangelicam conscenderet. Ait enim *: propterea dico vobis, omnis scriba eruditus in regno Dei, similis est homini diviti qui profert de thesauro suo nova et vetera. Vetera quidem, legalia intelligit; nova vero, quae in Christo sunt. Quod si quis forte velit alio quoque sensu nostrae imaginis transformationem de gloria in gloriam intelligere, hoc item apud se reputabit, nempe nos quotquot Christum cognovimus, relatique fuimus inter filios Dei, in gloria prorsus versari: verumtamen tempore resurrectionis, eandem nostram imaginem de gloria in gloriam transformatum iri, tamquam a Domini Spiritu. Ipse enim nobis Christus, qui Spiritus arrham largitus est, quod deest, illo tempore addet, et nostrae quoque humilitatis corpus ad conformitatem cum corpore gloriae suae immutabit. Quia vero doctor ait: tamquam a Domini Spiritu; et ubi Spiritus est, ibi libertas; nos quidem haereticorum calumniam non feremus, qui creatis rebus Spiritum adnumerant (1). Si enim ubi est Spiritus, ibi omnino libertas, quid ni ipse natura sua sit liber? Quod si ita se habet, extra servitutis modulum est: est enim Spiritus patris, et ex ipso ad creaturam devenit (2) in Christo.

* Ps. CXVIII. 18.
* Matth. XIII. 52.
Gr. p. 92.

Cap. IV. 4. **Ut non fulgeat illis illuminatio evangelii gloriae Christi, qui est imago Dei.**

Copiam quidem obtulit universalis Deus cunctis credere volentibus in filium, nuda revelataque facie gloriam suam videndi; sed ab hac gratia exciderunt ii qui diaboli tenebris impuris obscurati, ad evangelicarum legum lumen ob suam insipientiam non accesserunt. Certe enim effulsisset illis illuminatio evangelii Christi, qui est imago Dei. Et Deum quidem huius mundi appellat Satanam, non quod natura pro-

(1) Rursus testimonium Cyrilli de Spiritus sancti divinitate, ut p. 45.
(2) Sive *procedit,* ut loquitur Augustinus apud nos p. 57. in adn.

pria Deus sit, sed quia talis existimatur ab iis qui verum naturalemque Deum ignorant. Rursus illud admiratione dignum est: theologice enim loquitur Paulus, et incarnationis Unigeniti enucleat mysterium: ecce enim manifeste illuminationem evangelii gloriae Christi, apostolicam appellat praedicationem. Et tamen is qui appellatur Christus, Dei naturalis filius, unctionis suae tempore, etsi ipsemet sancti Spiritus dator sit, unctus dicitur a Deo et patre oleo laetitiae. Ergo specie nostra assumpta, apparensque in terris homo unigenitum Dei Verbum, tunc demum rectissime Christus esse intelligitur diciturque. Itaque fides non erga simplicem atque unum e nostris hominem praedicatur mundo ab inspiratis doctoribus, qui immo nunciant Dei Verbum in humana forma ostensum, atque uti primogenitum in multis fratribus eum qui est unigenitus. Nam quaenam demum a nobis intelligeretur illuminatio evangelii gloriae ipsius, nisi simul ipse intelligeretur Deus et imago patris, neque hominum filiis par, sed substantialiter potius et naturaliter filius? Neque idcirco dicimus, oportere patri quoque carnem adtribuere: neque imaginis pulchritudo his ex rebus extitit; sed illud magis reputari dignum est, Deum etiam ante carnem adsumptam fuisse Verbum, characterem, naturalemque imaginem genitoris. Vicissimque illo apud nos versante, patris imaginem inhaerentem ipsi fuisse existimandum est, humanitate licet per dispensationem cum ipso existente. Reputatur ergo tamquam unus cum carne sua. Porro et sic imago est patris, quatenus Deus est, et ex ipso naturaliter generatus. *Gr. p. 93.*

Qui illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae gloriae Dei in facie Christi Iesu. CAP. IV. 6.

Quod fides in Deum sit, etiamsi in facie exerceatur Christi, palam facit praecedente locutione mysticus doctor. Vocati fuerunt enim et Iudaei et ethnici ad Christi cognitionem; hi quidem tamquam ex errore falsoque cultu ad veram Dei notitiam, illi autem edocti sunt meliorem quam in lege erat disciplinam. Propterea divus quoque Paulus, propter eminentem Christi scientiam, legis doctrinas parvipendisse conspicitur. Cum ergo Christum doctores praedicent; atque in Deum credentes, in unum verumque Deum credant; quid ni Deus sit Christus, haud sane nothus aut pseudonymus, id est diversae a patre naturae, sed verus potius et ex eius substantia constans? Intellectualibus profecto tenebris et diabolica deceptione mens errantium obsidetur: sed Deus promisit fore ut de tenebris lux resplendeat. Ait enim alicubi per Isaiam *: « populus qui sedebat in tenebris, magnam hausit lucem: qui habitatis in regione et umbra mortis, lumen vobis illucescet. » Tum et divus David ait *, tamquam ore eorum qui in caligine tenebrisque versantur: quia tu illuminabis lucernam meam, Domine; Deus mi, illuminabis tenebras meas. » Quoniam vero completa est in nobis patris promissio, divinumque nobis intellectuale lumen effulsit, cognovimus gloriam eius in facie Christi. Deinde nisi esset Christus naturaliter vereque Deus, qui fieri posset ut patris gloriam in eo cerneremus? Et tamen audio Deum patrem manifeste dicentem *: « gloriam meam alteri non dabo. » Atqui eam dedit filio; ergo non alius ab illo est, nisi quantum ad personam et subsistentiam propriam, ne videatur pater falso dixisse se propriam gloriam in facie filii collocavisse; seque naturalem Deum in ipso et per ipsum cognosci: facies enim dicitur et imago et splendor subsistentiae eius. Et sane revelatur filius a patre, vicissimque filius patrem in se ipso nobis revelat.

* Is. IX. 2.
* Ps. XVII. 29.
Gr. p. 94.
* Is. XLII. 8.

In vasis fictilibus. v. 7.

Fictilia vasa dicimus corpora quibus circumvestimur, dum in sensibilibus rebus versamur. Sententia autem est: quoniam adhuc carne circumdati, veritatis contempla-

tionem impediente, notitiam quidem Trinitatis habemus, ita tamen ut haec sublimis
notitia haud viribus nostris nitatur, sed Dei virtute nobis innotescat.

Cap. IV. 8 **In cunctis tribulati, sed non angustiati etc.**

Exploratum est sanctos homines, propter suam in Deum pietatem, mortem ipsam
toleravisse: attamen etiamsi pati ipsis contigit, vivunt tamen, quia apud Deum victuri
* Sap. III. 2. sunt. Atque ut dicitur in Sapientiae libro *: visi sunt oculis hominum mori, et repu-
tatus est infelix exitus ipsorum, et discessus a nobis calamitas: tamen in pace versan-
tur, spesque eorum immortalitate plena est (1). » Quid autem de his sudoribus existi-
v. 10. mandum sit, declarat rursus Paulus his verbis: semper mortificationem Iesu in cor-
pore circumferentes, ut et vita Iesu in corpore nostro manifestetur. Duplicem esse
dicimus mortificationis, quae heic innuitur, modum: prior est mentalis ac spiritalis,
alter de corporis sensu intelligitur. Deus cum esset, et a Deo ortum naturaliter uni-
genitum eiusdem Verbum, propriam fecit carnem quae de terra erat, et mortali hoc
atque humano indutum est corpore, anima praedito rationali. Quinam autem eius rei
scopus fuit? Nempe ut peccatum mortificaret in carne, atque ut congenitorum in ea
Gr. p. 95. motuum, qui ad turpes voluptates impellunt, stimulum obtunderet. Neque vero sui
causa Verbum Deus, superior se passionibus nobis ostendit: non enim ipse peccatum
novit, sed universam voluit in se hominis naturam transmutare ad vitam sanctam et
inreprehensibilem, quo tempore factus est homo, et in specie nostra conspiciendum
se obtulit. Primus enim ad omnia fuit, ut et nos vestigia eius sectantes, habeamus
in nobis ipsis mortificationem, id est quiescentem in carne vim peccati; atque ita pos-
simus vitae genus criminatione quavis liberum recuperare. Sed alio quoque sensu,
quae heic dicitur Iesu mortificatio vel vita, intelligi potest. Factus est enim obediens
* Philip. II. 8. Deo patri, uti scriptum est *, usque ad ipsam mortem, animamque suam pro ovibus
posuit. Verumtamen semel peccato mortuus est, id est pro mundi peccato; positus
enim fuit propitiatio per fidem: quod autem vivit, Deo vivit. Hanc ergo Iesu mortifi-
cationem, quae per cruciatus ad mortem usque pertingit, in suis corporibus circum-
ferunt mystici doctores, ut et vita Iesu, sicut ipse dicit, in corporibus nostris manife-
stetur. Vivent enim et ipsi Deo sanctam et inreprehensibilem beatamque vitam. Quod
autem de hac reapse et mortificatione et vita loquatur apostolus, nunc certe praece-
dens quoque sententia testabitur, in qua tentationum atque laborum mentio fit, quos
eum perferre necesse est, qui apostolatus felicem cursum peragere volet. Neque nos in
hac opinione secius confirmabit, dum dicta sua veluti interpretans illic addit continuo:

v. 11. **Semper enim nos qui vivimus, in necem tradimur propter Iesum etc.**

His verbis demonstrat, illos quoque libenter carnis mortem pati velle, propter
Christi religionem. Neque enim ipsi praesentia sed futura potius spectant. Quaenam
autem est vita Iesu? Nempe incorruptibilitas, sanctificatio, gloria magna et huic mundo
superior. Talis enim nobis suo tempore apparebit, cum nobis desursum e caelo de-
scendet iudex, reformabitque etiam corpus humilitatis nostrae conforme corpori glo-
rioso suo, per eam virtutem qua omnia potest sibi subiicere. Quamobrem in nobis
Gr. p. 96. quidem mors operatur, vita autem in vobis. Imitati sunt enim dominum suum do-
ctores mundi; suasque animas posuerunt, ut nos decerrantes olim, vitam ex fide in
Christum lucraremur. Quamobrem aiunt psalmistae voce veluti domino nostro Iesu
* Ps. XLIII. 22. Christo: propter te mortificamur tota die, reputati sumus sicut oves occisionis *.

(1) Vides librum Sapientiae cum honore citatum a Cyrillo, ut facit etiam contra Iul., et de Trin. et in Isaiam, et in Ioh.

Propterea non deficimus; sed etiamsi exterior noster homo corrumpitur, interior tamen renovatur de die in diem. Cap. IV. 16.

Licet praedictorum verborum non incongruenter sententiam intelligere, si id cogitemus quod vulgo evenire solet iis omnibus, qui pietatem sectari student: militat enim caro adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: haec enim invicem adversantur, sicuti scriptum est *. Dicimus ergo prorsus oportere, corrupta ut ita dicam carne eiusque motibus debilitatis, tunc maxime partem alteram roborari, id est vim spiritus. Cum itaque asceticis laboribus exterior noster homo corrumpitur, tunc consequenter necessarioque interior noster homo renovatur de die in diem. Alio adhuc sensu praedicta intelligere potes. Quoniam Iudaeis et ethnicis Iesum praedicabant apostoli, graves intolerandasque pertulere persecutiones, corpusque ipsorum hos inter labores pessumdatum fuit. Sed quanto maior labor, tanto ut puto abundantiorem sequi par erat gratiae repensationem (1). * Gal. V. 17.

Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra tabernaculi dissolvetur etc. Cap. V. 1.

Terrestrem nostram tabernaculi domum, per periphrasim appellat ipsum tabernaculum, id est corpus. Scriptum est enim apud Iobum *: « habitantes autem in luteis domibus; » ex quibus et nos ipsi constamus id est ex eodem luto. Scimus itaque, inquit, quod cum mors terrenam hanc tabernaculi habitationem, id est corpus, dissolvet, recipiet nos et quidem haud multo post, nempe tempore resurrectionis, caeleste habitaculum, id est incorruptio. Supernum autem hoc dicit, primo quidem quia donatica res est: deinde quia cuncti supernae urbis incolae, id est sanctorum angelorum ordines, in incorruptis et non perituris corporibus sunt: caret enim hac terrena crassitie angelorum natura (2). Ergo Dei aedificium et domum non manufactam, immo et sempiternam, dicit pro incorruptione. * Iob. IV. 19 Gr. p. 97

Siquidem et vestiti, non nudi, inveniemur. v. 3.

Vocabulum « siquidem » posuit pro « quando » ita ut loci sententia sit, nequaquam rei prioris depositionem experiemur, neque praeexistente corpore expoliabimur. Absorbetur autem mortale a vita, non quia annihiletur, sed quia ad incorruptibilitatem potius transfertur. Quippe sic etiam initio rerum id fieri contigerat. Scriptum est enim, sumpsisse Deum pulverem de terra, ex eoque hominem formavisse. Ut autem mortale absorberetur a vita, caro siquidem naturaliter est corruptibilis, insufflavit in eius faciem vitae spiritum, factusque est homo anima vivens. Sed subintravit per peccatum mors. Postea, Deo patri placuit, ut ait divus Paulus, instaurare omnia in Christo, qui venit, ut nos per Spiritum (3) ad antiquam conditionem renovaret. Ipse quippe est qui nos ad id comparat utpote Deus, donatque nobis Spiritûs arrham. Ergo tutum pignus dandae nobis in novissimis saeculi temporibus incorruptibilitatis, vivificus traditus est a Christo Spiritus: et nunc quidem primitiarum instar; post re-

(1) Partem hanc Cyrilli pertinere ad eius librum seu sermonem tertium (si recte se habent numeri) explanationis in hanc epistolam diximus, teste Severo antiocheno, p. 103. n. 1.

(2) Verba non faciam de veterum patrum circa angelorum substantiam sententiis, quas accurate more suo recenset Petavius in tractatu de angelis lib. I. capp. 2. 3. 4. Cyrillus quidem noster in Ioh. lib. IV. cap. 2. ed. Aubert. T. IV. p. 351. negat angelos vesci posse terrenis cibis; et hoc demum qui nunc vulgatur a nobis loco negat eosdem crassa et terrena corpora habere.

(3) In graeco Cyrilli textu, nostro scilicet quem denuo inspeximus codice, legitur διὰ πατρός. Verumtamen Severus antiochenus in codice syr. vat. CXLI. f. 103. operis sui contra Iulianum halic., recitans hunc ineditum Cyrilli locum, ex eius libro seu sermone quarto in epistolam II. ad Corinthios, legebat διὰ πνεύματος, quam nos lectionem utpote veriorem secuti sumus in latina hac nostra interpretatione.

surrectionem vero a mortuis, plenâ mensurâ (1). Tunc deleta omnino corruptione egrediemur, ut ait propheta *, et vitulorum instar laqueis expeditorum exsiliemus, corruptionique insultantes dicemus *: ubi est, mors, victoria tua? ubi stimulus tuus, o inferne?

* Malach. IV. 2.
* Os. XIII 14.

Cap. V. 5. usque ad cap. VI. 2.

Qui etiam nobis dedit pignus Spiritûs etc.

Qui Spiritûs arrham habent, et spe resurrectionis sunt praediti, hi rem expectatam tamquam praesentem tenentes, aiunt se neminem abhinc agnoscere secundum carnem: cuncti enim spiritales sumus, et carnali corruptione alieni. Namque in his carnem, ut ego arbitror, pro carnis corruptela dicit. Etenim illuscente nobis Unigenito, in ipsum quod omnia vivificat Verbum transformamur. Nempe sicuti mortis vinculis eramus obstricti regnante peccato, ita Christi subintrante iustitia, corruptelam abiecimus. Nemo itaque iam est in carne, id est in infirmitate carnali, cuiusmodi iure meritoque corruptio inter cetera intelligenda est. Quia vero dixerat neminem se agnoscere secundum carnem, quorumdam absurdas suspicans cogitationes, addit: nam etiamsi noverimus secundum carnem Christum, nunc tamen iam non novimus. Tamquam si dicere vellet: Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et pro nostrum omnium vita mortem secundum carnem subiit, atque ita ipsum novimus: verumtamen abhinc iam non agnoscimus. Etiamsi enim carnem retinet, quippe qui tertia die revixit, et apud patrem in caelis versatur, nihilominus supra carnem esse intelligitur. Semel enim mortuus, iam non moritur, mors illi ulterius non dominatur. Quod enim mortuum est, peccato semel est mortuum: quod autem vivit, Deo vivit. Igitur si huiuscemodi ille est, qui se fecit vitae nobis antesignanum, prorsus oportet nos quoque vestigiis eius insistentes, non tam in carne quam supra carnem esse reputari. Ergo rectissime divus Paulus, ceu si in Christo esset nova creatura, ait: vetera transierunt, ecce nova facta sunt. Vetus enim illud est « terra es, et in terra reverteris. » Nec non illud in Moysis libro *: « studiose enim mens hominis in vitium iam inde ab adolescentia fertur. Vetera insuper sunt legalia statuta, quae omnia praeterlapsa dicit. Iustificati enim fuimus per fidem in Christo, et maledictionis vis desiit. Quandoquidem ille nostri gratia revixit, calcata mortis potentia: verumque et suapte natura Deum agnovimus, cui in spiritu ac veritate cultum impendimus, mediatore filio, qui supernas a patre benedictiones mundo impertitur. Quamobrem sapientissime divus Paulus, omnia autem, inquit, ex Deo qui sibi nos reconciliavit per Christum. Reapse enim haud praeter patris voluntatem est incarnationis mysterium, et consectanea huic renovatio. His addit mysticus doctor, patrem ipsum nos sibi reconciliasse per Christum, qui ante inimici eramus; ethnicos quidem ob errorem polytheismi, iudaeos autem ob pertinacem legalibus umbris adhaesionem, et veri cultus repudiatam doctrinam. Quippe per Christum nacti aditum sumus, quum nemo ad patrem veniat, ut ipsemet ait *, nisi per ipsum. Igitur omnia ex Deo sunt, qui nos per Christum reconciliavit, et ministerium reconciliationis attribuit.

Gr. p. 98.
* Gen. VIII. 21.
* Ioh. XIV. 6.

Rursus vero mecum animadverte, quod etiamsi Christus apostolicis viris reconciliationis ministerium attribuerit, nam Paulus ab ipso ad apostolatum fuit electus, hic nihilominus eius muneris datorem Deum dicit. Ergo ipsum Deum utique et patri

Gr. p. 99.

(1) Hactenus scripserat graecus eclogarius, ut in nostra editione p. 97. legitur. At Severus, etsi initio brevior est, incipiens videlicet a voc. *absorbetur*, nunc tamen paulo longius pergens, Cyrillum nova particula augere videtur. Nisi forte ea additio, verba potius Severi sunt. Namque hoc loco non hebraica sed septuagintaviralis Oseae lectio recitatur, de qua recole retro p. 54.

aequalem apostoli depraedicant, dum unam utriusque dominationem potestatemque agnoscunt. Iam vero qualis quaeve sit ministerii doctrina, vel quae reconciliationis ratio, pergit dicere sic: Deus erat in Christo, mundum sibi reconcilians, id est in Christo mundum sibi reconcilians. Deus erat, quia per fidem in Christum, ut diximus, pacem cum Deo confirmavimus, id est ei reconciliati sumus: quae res manifeste demonstratur a peccatorum remissione, quam Deus pater largitur. Manum quoque pro potestate protendit, Dei instar, filius paralytico, dicens: dimittuntur tibi peccata tua. Igitur in Christo, id est in persona Christi, mundum sibi reconciliat Deus, peccatoribus delicta ipsorum iam non reputans. Quoniam vero, inquit, ad sacrum evangelicarum legum ministerium ordinati fuimus, nobisque reconciliationis doctrina commissa est, ministri enim Dei sumus, necessario his qui ita crediderunt, preces illas pro iis fundimus, sumpta quasi Christi persona, cum resipiscere volentibus dicimus: obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo, credentes in ipsum, nempe in eum pro quo legatione fungimur: Christus enim ianua est et via.

Sed quia verisimile erat, quosdam nullam evangelicae praedicationis rationem habituros, et tempus salutis propriae potissimum acceptabile neglecturos, ac deinde fidem repulsuros, excogitat rursus aliquid mysticus doctor incutiendo pudori idoneum, ac facilius persuadendo, ne in ignaviam decidant, sed vitam potius quae secundum Christum est amplecti velint. Dicit ergo de Deo patre: « eum qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit, ut nos iustitia Dei efficiamur in ipso. » Tamquam si diceret: eum qui numquam peccaverat, pati id voluit quod maximi peccatores debent, ut nos ostenderet iustos qui fidem erga eum suscepimus: mortem enim sustinuit, ignominia contempta: unus quippe pro omnibus mortuus est, qui omnium instar erat. Cum ergo Christus factus esse peccatum dicitur, cave eum peccasse putes: neque enim Deus Verbum peccare potuit: sed illud magis scito, traditum eum fuisse a Deo patre pro peccatis nostris: qua nimirum ratione victimae quoque pro peccatis redditae, peccatum appellabantur in Moysis lege. Scriptum est igitur apud prophetas de iis qui sacerdotio fungendo sunt destinati *: « populi peccata comedunt, et in iniquitatibus ipsorum capient animas eorum. » Comedebant enim oblatas pro peccatis victimas, ex norma legis, divinorum altarium curatores atque ministri (1). Multum igitur pudoris incutit iis, qui socorditer agere vellent, prudens cogitatio quod cum peccatoribus damnatus fuerit atque suspensus nostri gratia, is qui peccata nescivit, ut nos fieremus iustitia Dei in ipso. Iustificamur enim apud Deum patrem haud ex operibus quae cum iustitia nos fecerimus, sed ob eius misericordiae copiam, per fidem in Christo.

* Os. IV. 8. Gr. p. 100.

Ipse autem ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem et modestiam Christi etc. Cap. X. 1.

Multi Atheniensium sapientes Corinthi diversabantur, qui stultitiam indicabant Servatoris crucem: et eum qui divinitus inspiratae scripturae doctrinam nunciabat, circulatorem et seminiverbium, una cum ceteris sanctis, beatum quoque Paulum nuncupabant. Alii vero nonnulli qui de circumcisione venientes crediderant, circumcisionem adhuc legalesque victimas commendabant, ac furiosum quodammodo beatum Paulum dicebant, ceu veteribus institutis repugnantem. Huiusmodi hominibus merito irascebantur quotquot erant Corinthi fidei zelatores, iisque manus afferre volebant, ceu divinae praedicationis hostibus. Sed quia id erat valde inhonestum, et ab ea quae sanctos decet modestia alienum, Dei enim famulum pugnare non oportet, uti scri-

(1) Alium non contemnendum in Oseae verbis sensum agnoscebat Theodorus mopsuestenus, quem videre licet in nostra editione Script. vet. T. VI. p. 16.

* II Tim. II. 24 ptum est *, sed mitem esse erga omnes, mansuetudine sua adversarios erudientem, idcirco praecipit dicens: ipse autem ego Paulus divinorum mysteriorum sacerdos, doctrinae custos et apostolus, zelo excellens, qui vos hortor ut mecum dicatis, mihi vivere Christus est et mori lucrum, ego inquam vos obsecro per mansuetudinem et
* I Petr. II. 23. modestiam Christi, qui * cum malediceretur non vicissim maledicebat, patiens non minabatur, sed commendabat illi qui iuste iudicat (1). Opportune igitur in memoriam eis revocat vitam Christi, ut mansuetos admodum et modestos efficiat. Ego ipse, inquit, Paulus qui inter vos humili specie versor, non elatus neque ad contentiones
Gr. p. 101. rixasque exacutus, qui absens confido, rogo ut et nunc praesens confidam, ut quemadmodum subit mihi reputare, nullatenus audeatis adversus quosdam, qui nos existimant secundum carnem ambulare, id est rixis zeloque carnaliter vitam insumere. Nam si quidem, ait, zelus et contentio inter vos versantur, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? Ergo extra omnem huiusmodi suspicionem eos esse oportet, qui Christi mansuetudinem sectari volunt, et non carnaliter vivere. Nam et siqui increduli sunt, nequaquam eos fustibus cogere opus est, sed expectare potius spontaneam ipsorum ad Deum conversionem.

Cap. X. 3. **In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. Namque arma militiae nostrae haud carnalia sunt, sed valida Deo etc.**

Ii sane qui videntur in proeliis bene rem gerere, suisque hostibus carnaliter adversantur, carnalem merito armaturam gestabunt; galeas nimirum, loricas, arma et enses, quibus victoriam consequi possint. Nostra autem lucta bellique ratio armis eget spiritalibus. Quamobrem divus Paulus, eum qui Christi reputetur miles, splendido
* Ephes. VI. 17. hoc armorum genere ornari debere perbene dicit *. Loricam enim ipsi circumponit iustitiam, galeam salutis, ensem spiritus quod est verbum Dei, insuperque fidei clypeum, quo cuncta ignea nequissimi tela extinguuntur. Non igitur carnalia sunt tela sanctorum, sed potius valida Deo, ac subruendis munitionibus apta, ethnicorum inquam dogmatibus et haereticorum, atque ad illorum syllogismos marcidos ineptosque demonstrandos et imperite compositos. Hos ergo adversarios profligabimus, atque omnem contra Dei veram notitiam insurgentem elationem. Captivemus autem omnem intellectum sub obedientia Christi, prae quo quamlibet superbiam mentium impiarum adversus Deum se extollentem exsufflemus, illumque dignis titulis glorificemus, nihil humile de eo cogitantes. Ceteros quoque iuvemus, in recta scilicet et inerrante via constituentes, ut pervicaciam omnem, nostra prius deposita, pervincamus. Erit enim
Gr. p. 102. magnus in regno caelorum non is qui tantum docuerit, sed qui verbis bonorum quoque operum merita addiderit.

Cap. XIII. 3. **Quoniam experimentum quaeritis etc. v. 4. Nam et nos infirmi sumus in illo, sed vivemus in ipso, ex virtute Dei erga vos.**

Comminatur peccantibus antea Corinthiis, quod nisi velint redire ad officium sancteque vivere, denuo non sit parsurus. Porro vocabulum « denuo » prioris indigna-

(1) Ita ad litteram S. Augustinus tract. XXI. 12. in Ioh. interpretatur graeca verba παρεδίδου τῷ κρίνοντι δικαίως. Sensusque est, Christum commendasse se vel causam suam patri Deo iuste iudicanti. Nam revera δικαίως *iuste* (pro ἀδίκως *iniuste*) habent Cyrilli textus, nec non antiquissimus omnium codex vaticanus, immo et communes Graecorum libri; cuius lectionis latinum etiam vestigium aliquod superest apud Sabaterium. Δικαίως item se legisse demonstrant syrus, arabs, et aeth. in polyglottis, quibus accedit armenius. Nihilominus multo mihi magis placet latina vulgata lectio *iniuste*, cui non desunt suffragia ex varia lectione ἀδίκως, quaeque et latinorum patrum auctoritate fulcitur, et verisimiliorem sensum prae se fert. Namque intelligitur Christus Pilato iniuste iudicanti traditus.

tionis memoriam refricat. Quod autem peccantes sit omnino increpiturus, verbumque suum futurum sit efficax, persuadere nititur, ex praeteritis futura demonstrans. Idcirco ait: si experimentum quaeritis loquentis in me Christi. Videmini enim, inquit, expectare, ut etiam ex sequentibus cognoscatis num aliquando Christus in me loquatur. Et increpationis rationem concludit; ne putetis, inquit, sicuti quidam increduli et contumeliosi aiunt, Christum esse infirmum; potens est enim in vobis, id est in credentibus et eius imperio subiectis, quibus et necessariam curam impendit, et peccantes convertit. Potestate enim erga vos pollet: namque operatur ut Deus, veraque ostendit sanctorum dicta. Et meum quoque quaquaversus firmum invenietis esse sermonem: quippe non ego loquor, sed magis qui est in me Christus. Quoniam vero mentionem fecit hominum, qui per summam stultitiam existimabant Christum revera infirmum, propterea quod crucem pertulisset, et Iudaeorum improbitatem seu potius impietatem sustinuisset, utilem facit apologiam, mysterii vim tempestive in medium adducens, et voluntariam Unigeniti edisserens exinanitionem, consecutamque inde incomparabilem gloriae sublimitatem. Utique, inquit, ut putant qui a fide procul absunt, ob suam infirmitatem crucifixus fuit, passus est ut homo, et spontaneam in carne mortem excepit; sed praeter haec, illud quoque cognoscere opus est, nempe quod inferos spoliaverit, mortis potentiam calcaverit, tertia die resurrexerit, haud humana vi utens sed divina et ineffabili. Solius enim Dei propria omnipotentia est; ita ut mortis quoque potentiam dissolvere, et corruptelae obnoxium corpus immortalitatis beneficio donare queat. Ergo sponte sustinuit parumper infirmari in carnis natura; Gr. p. 103.
quemadmodum scilicet esurisse, sitisse, labore fatigatus dicitur, et denique mortuus secundum dispensationem. Sed vivit virtute Dei, neque ab alio omnipotentiam accepit, sed propriam habet, et substantialiter cum Deo est. Quippe Deus est ille qui in carne propter nos passus est. Ideoque plebi Iudaeorum significans, se neque carnis debilitatem respuere, neque virtutis suae excelsitatem velare; solvite, inquit, templum hoc, et ego tribus diebus idem instaurabo. Et siquidem vere ait divus Paulus Deum sibi dicentem audisse *: « virtus in infirmitate perficitur » quid ni oportuit Emmanuelem antea in carne infirmari, ut postea divinitus roboraretur? Qui ergo scandalizantur crucis causa, ii admirentur resurrectionem. Etiamsi vero dicitur vivere virtute Dei, nihilominus reputabis Dei virtutem esse ipsum filium.

* II. Cor. XII. 9.

Ex anathematismis Iuliani halicarnassensis et Severi antiocheni responsionibus in codice vat. syriaco CXLI. f. 108. b.

Sanctus Cyrillus libro (1) septimo in epistolam II. ad Corinthios.

Veluti cum quis aeneam statuam inaurare contendit, haud idcirco aes corrumpit, sed ei potius splendentis auri honorem adiungit; ita corpus nostrum cum incorruptibilitatis, immortalitatis, atque impassibilitatis vestem induet, a natura propria non discedet.

Fragmentum explanationis in epistolam ad Galatas cap. IV. 19.

Cyrilli. Filioli mei, quos iterum parturio, donec magni et supra humanam naturam characteres deitatis Christi vestra in mente imprimantur. Gr. p. 104.

(1) Vel sermone aut sectione. Sic Cyrilli in Oseam commentarius in septem aeque tomos seu sectiones divisus conspicitur.

Fragmentum explanationis in epistolam ad Colossenses cap. IV. 6.

Sermo vester semper in gratia sale sit conditus.

Gr. p. 103. CYRILLI. Sed puto, numquam huiusmodi sermonem in vobis compertum iri, nisi prius sententia vestra recte se habuerit. Namque ex abundantia cordis os loquitur. Sale itaque mens piorum condiatur, et peccatum ceu quiddam superfluum abiiciatur. Ne mollescat, ita ut ad absurdas divertat voluptates.

Fragmentum explanationis in epistolam ad Hebraeos cap. II. 14.

Gr. p. 104. CYRILLI. Nos quidem in numerum filiorum Dei cooptati, participavimus sanguinem et carnem; id est in sanguine et carne, et corruptibilibus terrenisque corporibus versamur. Hanc ob causam unigenitum Dei Verbum, quod naturâ suâ vita est, participavit eadem; neque id alio modo, sed aeque ac nos.

Ex S. Cyrilli explanatione ad acta apostolica VII. 47.

Salomon aedificavit ipsi domum. Verumtamen Altissimus in manufactis non habitat.

Gr. p. 452. Exstruxit utique Hierosolymis celebre illud templum sapientissimus Salomon; gloriabatur autem ob id magnopere iudaicus populus, putabatque conclusum ibi habitare universalem Deum. Tardo enim Iudaei semper intellectu fuerunt, et divinorum sermonum imperiti; siquidem Dei urbem existimantes Hierusalem, in ea sola con-
* Ps. LXXXVI. 3. tendebant ipsum habitare, quia dictum erat a Davide *: gloriosa dicta sunt de te,
* Is. LXVI. 1. civitas Dei. Minutas igitur illorum cogitationes Deus coarguit, dicens *: quam domum mihi aedificabitis, qui thronum habeo caelum, scabelli loco terram?

Fragmenta explanationis in librum Numerorum.

CAP. XVIII. 26. **Demetis vos ex eo demptionem.**

Gr. p. 104. CYRILLI. Qui secundum Moysis legem ad sacerdotium vocati erant, accipiebant a filiis Israhelis decimas, tamquam partem sortemque Dei. Tum et ipsi huius factae sibi oblationis partem decimam praesidi principique sacerdotii exsolvebant, id est Aaroni; qui quidem ceu typus Christi constitutus fuit, non in anteriore tabernaculo ubi versabantur ministri, sed in interiore et recondito.

CAP. XX. 8. **Cape virgam, et concionem convoca.**

Gr. p. 104. CYRILLI. Animadverte, quod ad fiduciam firmandam, prodigiorum in Aegypto patratorum memoriam ei refricat, dicens: cape manu tua virgam, qua flumen percussisti. *Et mox.* Petrae comparatur Christus propter soliditatem et immobilitatem.

Aliud S. Cyrilli fragmentum ad Proverb. VIII. 22.

Gr. p. 138. CYRILLI. Creavit me, si de deitate intelligas, erit instar « constituit me. » Sicut
* Ps. L. 12. * Ephes. II. 15. illud *: cor mundum crea in me, Deus. Et illud *: ut duo crearet in semet ipso. Non enim materialiter intelligendum est, quod crearet iam existentes, sed quod constitueret. Ergo, constituit me et praevisarum et factarum rerum principium. Nam Da-
* Ps. II. 6. vid quoque ait *: ego autem constitutus sum rex ab eo.

SANCTI EIUSDEM CYRILLI

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

EXPLANATIO

IN EPISTOLAM AD HEBRAEOS (1).

Qui cum sit splendor gloriae. Cap. I. 3. *Gr. p.* 107.

Iam diximus Deum antiquis hominibus oracula edidisse per Moysem atque prophetas. Nos autem sumus, iuxta prophetae * dictum, a Deo docti. Quippe qui magistrum habuimus ipsum Dei Verbum propter nos humanatum, saeculorum auctorem, paternae gloriae splendorem, et substantiae figuram. Postquam haec longis verborum ambitibus diximus (2), nunc proxima subiungemus, quae sunt huiusmodi. * Is. LIV. 13.

Tanto melior angelis factus. v. 4.

Angeli quidem nomen ministerii significativum est, et servilem nobis conditionem denotat. Filius autem, substantialem ac naturalem de patre existentiam demonstrat. Quamobrem ne comparative quidem dixit « maior aut honorabilior; » ne, tamquam de homogeneis, filio et angelis, quisquam cogitaret; sed « melior » dixit, ut naturae differentiam, filii et creaturarum, designaret. Atque huius rei demonstrationem habemus a divinis scripturis; Davide quidem canente *: melior est dies una in atriis tuis super milia. Item Salomone exclamante *: melior est sapientia lapidibus pretiosis. Nonne enim heterogeneae sunt diversaeque naturae, sapientia et pretiosi lapides? Item quaenam adfinitas est caelestium aularum cum terrenis domibus? Sic videlicet nulla adfinitas filii cum angelis. Iam quum nulla sit adfinitas, sequitur ut « melior » haud comparative dictum sit, sed discretive, propter differentem huius naturam ab illis. Et ipse igitur apostolus vocabulum « melior » explanans, haud alia in re differentiam collocat filii et creatorum angelorum, nisi quod hic quidem est filius, illi servi: et quod hic utpote filius ad dexteram patris sedet, illi autem ceu servi adstant et mittuntur atque ministrant. * Ps. LXXXIII. 11. * Prov. VIII. 19.

Quae quum ita scripta sint, nequaquam ex his denotatur factus filius, o Ariani, sed diversus potius a rebus factis, patris proprius, et in huius sinu residens. Nam et quod heic scribitur « factus » non factum significat filium, uti vos existimatis. Nam si simpliciter dixisset « factus » et mox siluisset, ansam hinc haberetis, Ariani. Sed quoniam antea filium dixit, tota periodo demonstrans eum a rebus factis diversum; ne vocabulum quidem « factus » absolute posuit; sed vocabulum « melior » copulavit cum « factus. » Indifferentem enim iudicavit dictionem; probe sciens, eum qui de genuino indubitanter filio dicit « factus » quod perinde est ac genitus, meliorem eum esse adfirmare. Nam factum nihil differt, sive quis dicat factum aut effectum. Sed factae cum sint res creatae, dici non possunt genitae: nisi forte si participent cum genito filio, dicuntur et ipsae genitae, non propter propriam naturam, sed propter participationem cum filio in patre. Atque hoc item divina novit scriptura, de rebus quidem factis dicens « omnia per ipsum facta sunt *. Item: omnia in sapientia fecit *. » *Gr. p.* 108. * Ioh. I. 3. * Ps. CIII. 24.

(1) Videsis quae de his Cyrilli reliquiis diximus in praevio monito ad part. gr. p. 105.

(2) Scilicet in praecedentibus amissis. Sunt enim haec tantum commentarii fragmenta.

* Iob. I. 2. De genitis autem filiis « et facti sunt Iobo * (1) filii septem et filiae tres. Item: Abra-
* Gen. XXI. 5. hamus autem quum centum esset annorum, factus est ei Isaacus filius eius *. » Si ergo a factis quidem rebus diversus est filius, patris autem genitura ipse solus, vanus est Arianorum ex vocabulo « factus » praetextus. Quod si in his impudenter agentes vim facient dicendo, haec comparativo modo vocabula efferri, ideoque haec quae comparantur esse homogenea, ita ut filius de natura angelorum sit, hanc praecipuam infamiam contrahent quod Valentini et Carpocratis eloquantur dogmata; quorum alter angelos homogeneos Christo dixit; alter autem angelos mundi creatores adfirmavit. Namque ab his fortasse Ariani edocti, Verbum Dei comparant angelis. Sed enim qui haec imaginantur, ab hymnico confundentur dicente: « quis assimilabitur Domino
* Ps. LXXXVIII. 7. LXXXV. 8. ex filiis Dei? Et quis similis tibi inter deos, Domine *? » Audient simul, si quidem discere volent, comparationem inter omnino homogenea fieri solere, non autem inter heterogenea.

Nemo itaque Deum cum homine comparat; neque rursus hominem cum brutis, neque ligna cum lapidibus, propter naturae dissimilitudinem. Sed Deus quidem incomparabilis res est, homo autem cum homine comparatur, lignum cum ligno, et cum lapide lapis. Nec quisquam usurpabit in his vocabulum « melior » sed vel potius dicet vel magis. Ita Iosephus pulcher magis erat quam fratres eius, et Rachel quam Lia. Tum et sidus haud melius dicitur, sed potius gloria differre. In heterogeneis autem, cum aliquis ea invicem comparat, tunc vocabulum « melior » de differentia usurpatur, sicut de sapientia et lapidibus diximus. Si ergo dixisset apostolus: tanto potius filius angelis antecellit, vel tanto est maior, aliquis vobis praetextus fieret, quasi is filium cum angelis compararet. Nunc autem quum dicat meliorem eum esse, tantumque differre, quantum filius a servis differt, ostendit eum ab angelorum natura diversum. Quumque rursus dicat eum omnia fundasse, demonstrat ipsum a rebus omnibus factis diversum. Quum ergo is diversus sit et heterogeneus a factarum rerum natura, quaenam fieri potest comparatio vel similitudo substantiae eius cum
* Ioh. XIV. 28. factis rebus? Propterea et ipse filius non dixit *: « pater meus melior me est » ne quis eum extraneum ab illius natura existimaret. Sed « maior » dixit; non tamen ob magnitudinem aliquam aut tempus, sed propter suam ex patre generationem. Nihilominus vel quum diceret « maior est » demonstravit rursus substantiae proprietatem. Et quidem etiam apostolus, non quia potissimum Verbi substantiam a rebus factis discernere vellet, dixit: « tanto melior angelis effectus. » Est enim incomparabilis potius atque diversus, sed ad Verbi incarnationem respiciens, et peractam eo tempore ab ipso oeconomiam, demonstrare voluit non esse hoc simile prioribus; ut quantum naturâ differt a missis ante ipsum, tantumdem immo et magis gratia ab ipso et per ipsum facta, melior angelorum ministerio appareat. Nam servi officium tantummodo est fructus exigere; filii autem et domini, debita remittere, et vitis locationem transferre.

Gr. p. 109. Sufficiunt haec pudori incutiendo iis qui veritatem oppugnant. Quod si quia scriptum est « factus » nolunt de filio dictum, ceu idem sit ac « est; » vel quia melius ministerium actum sit, vocabulum « factus » accipere et intelligere, ut diximus; sed existimant ab hac dictione factum denotari Verbum, audiant rursus. Si quidem unus angelorum filius est, dicatur tunc tam de hoc quam de illis vocabulum « factus »

(1) In utroque codice paris. et mediol. (si recte lectum fuit) *Iacob;* sed sine dubio scribendum erat *Iob.*

nihilque invicem natura differant; sed sint vel et ipsi filii, vel et Verbum angelus. Tunc sane communiter omnes in dextra patris sedeant, vel cum omnibus filius quoque adstet ut ministrator spiritus, in ministeria et ipse missus aeque ac illi. Atqui secernit filium Paulus a rebus factis dicens: « cui enim dixit aliquando angelorum: filius meus es tu, ego hodie genui te? » Et rursum: « ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium. »

Ad filium autem: thronus tuus, Deus. Cap. I. 8.

Insaniunt qui dicunt diversam esse filii naturam, et a Dei patris substantia alienam. Impossibile est enim, eum qui naturaliter ex Deo est, creatum esse et factum. Nam si quicquid natura comparatum est ut pariat, consubstantiale sibi gignit; et si vere Filium Pater genuit, prorsus consubstantialem quoque sibi genuit. Certe haud est absurdum, quod ex homine heterogeneum animal non nascatur, et quidem ne ex bove quidem aut equo: nam quisque pro sua natura similem sibi parit: divinam vero supremam naturam ne hac quidem praerogativa praeditam putabimus, qua creatura non caret? Ergo si qui generatur, creatura est; utique creatus est etiam qui generat. Porro est increatus pater, neque a quopiam est; ergo increatus est etiam filius. Item si substantiae genitoris figura est filius, Deus autem vere est is quis generat, Deus utique est etiam figura eius. Nam Deum figurat Deus, creaturam autem creatura. Sicuti si quis velit factam fabricatamque creaturam aliquibus ostendere, haud dicere potest: videsis mecum divinitatis naturam, namque ex illa creata hanc agnosces. Ineruditus quippe videbitur qui ita loquetur. Neque enim deitatis natura ostendet in se creatam substantiam. Ita si quis velit increatam naturam videre, haud sane hanc tamquam in imagine aspiciet in creatura. Quamobrem aiebat Philippo Dominus *: « qui me videt, videt et patrem. » * Ioh. XIV. 9.

Nonne ergo insipientis temerariique est curiose naturam illam scrutari, a qua omnia ad existendum sunt producta, quaeque omni tempore est antiquior? Namque illa ab ipsa facta sunt; ante omne vero tempus ex Deo patre Verbum existit. At hi nihil non audentes iuniorem eius aetatem calumniantur, et factum adfirmant; neque sentiunt se sancti Spiritus repugnare dictis: per ipsum enim facta esse saecula *, aiunt * Hebr. I. 2. qui in Spiritu loquuntur: illi vero factum esse contendunt Verbum illud quod omnem mentem excedit. Neque hoc comprehendere mente queunt, haud sane in tempore extitisse Deum patrem, sed semper atque ab initio fuisse: quod quum ita sit, *Gr. p.* 110. necesse omnino est filium cum eo coëxistentem a nobis cogitari, ut vere pater Deus sit. Praeterea nos doceant, si quidem Verbum patris est filius, et sapientia, et figura substantiae eius, quodnam tempus fuerit, quo sine Verbo pater fuerit, filio videlicet non existente? Quandonam sine sua sapientia erat is qui sapientiae fons est? quandonam virtutis expers? quandonam non erat in Deo splendor gloriae eius? vel quandonam non erat cum ipso et in ipso perpetua figura ipsius? Nam si in tempore haec extiterunt, non erat sane ille pater prius quam talis esset: sine Verbo erat et sine sapientia, nec vires habebat, carebatque figura sua atque splendore. Atqui ita opinari impium arbitror, immo extremae impietatis id esse indicium. Ergo semper erat pater; semper itaque et filius, cum proprio genitore semper existens.

Virga aequitatis, virga regni tui. v. 8.

Multimodis virga intelligitur; modo enim denotat regnum, ut heic; modo vires, ut illud: virgam virtutis emittet tibi *. Sumitur etiam pro arte pastorali, iuxta illud * Ps. CIX. 2. filio dictum: rege populum tuum virga *. — Rex profecto Christus est, quia quam- * Mich. VII. 14.

quam humanatus, in sua sublimitate permansit. Iam quia cum iustitia regnat, ideo capto exemplo a terrenis regibus sceptrum gestare solitis, sermonem figurat. Est enim regni indicium virga.

Cap. I. 9. **Propterea unxit te Deus.**

Vides Deum a Deo ungi; quando enim hominem se fecit, manens nihilominus id quod erat, tunc etiam more nostro humanitus unctus fuit ad apostolatum. Ungitur eius humanitas divino Spiritu, neque tamquam in simpliciter hominibus, velut prophetis et patriarchis, operatur. Unctio autem est, tota ungentis praesentia. Ungitur vero filius cum in mundum est introductus, id est quando est incarnatus. Tunc enim communicavit creaturae, nempe rem creatam sibi copulans, ungensque humanitatem deitate, ita ut fecerit ex ambobus unum.

Cap. II. 7. **Minuisti eum paulo minus ab angelis etc.**

Quomodo minuitur infra angelos qui ab his adoratur? nisi quia dimisit se ad modulum humanitatis, et mortali corpore adsumpto, in eo sponte passus est; moxque supernae gloriae ornamentis coronatus ob suam passionem fuit, qua mortem extinxit, corruptelae vim retudit, quatenus ipse immortalitas est ac vita. Angeli vero eatenus sunt superiores, quatenus extra carnem sunt, et morti superiores: quae duo filius expertus est propter spontaneam exinanitionem. Sed qui paululum infra angelos propter humanitatis modulum minutus fuit, in deitatis sublimitate ab his adoratur, sedetque in throno, quem illi circumstant cum aeterno hymno « virtutum Do-
Gr. p. 111. * Ps. CI. 26. minum ipsum appellantes. Et, tu initio, Domine, terram fundasti *. » Sic etiam hoc loco quidam testatur. [*Qui nomen celat, neque diserte ait cuiusnam testimonium sit, sed id tamquam notum pervulgatumque citat, demonstrat se putare lectores admodum esse peritos scripturarum.*] Verba autem « quid est homo » et reliqua, etiamsi de communi humanitate dicuntur, attamen principalius Christo secundum car-
* Ps. VIII. 8. nem convenient. Namque illa « omnia subiecisti sub pedibus eius * » ipsum potius spectant quam nos. Filius enim Dei nos qui nihil eramus visitavit, naturamque nostram adsumens sibique copulans, omnibus sublimiorem se fecit.

v. 7. **Honore coronasti eum.**

Coronavit autem nos gloria et honore; quatenus quum ipse sit naturaliter Deus, propter nos se imminuit, ut nos supra nostram naturam divites fieremus in ipso.
* Ephes. II. 6. « Secum enim nos resuscitavit, fecitque in caelestibus consedere cum Christo *. » Etenim eo consedente, ad universam hominis naturam gaudium dimanat. Quippe nos hoc modo ex ipsius paupertate divites evasimus, a quibus ipse vicissim gloria et honore coronatur, quamquam gloriae sit dominus atque Deus. Nam qui dehonestati ex Adami transgressione fuimus, propter Christum pro nobis obedientem factum, gloriam sumus consecuti.

v. 14. **Quia pueri communicaverunt carni et sanguini.**

Sed enim is qui similiter participavit nobiscum sanguini et carni, credetur fortasse alienam a nostra naturam habere. Neque enim quispiam diceret congruere homini humanitatem participare. Nam quod naturaliter quis habet, quomodo putabitur adsumere, ceu si alienum ab eo esset? Quid ergo est « similiter participavit eisdem? » nisi illud plane, quod homo uti nos factus est cum sanguine et carne, corpore de sancta virgine sumpto, haud exanimi, ut quibusdam haereticis visum est, sed anima rationali animato. Atque ita processit homo ex muliere, haud desinens esse Deus, sed in carnis etiam adsumptione idem qui erat permanens. Quia vero haec alta do-

ctrina est, erecta mente adtende, quomodo nos communicaverimus sanguini et carni. Heterogenea quidem est anima sanguini et carni; sed tamen in unum hominem ex utraque re fuimus compacti, pulcro creatoris nostri artificio, concurrentibus in ineffabilem quandam unionem rebus naturâ contrariis. Vin', sicut ait Isaias *, metiamur manu aquam, et caelum palmo, et universam terram pugillo? Vin' ut ea quae supra nos sunt, ex rebus nostris cognoscamus? Agesis igitur brevi exemplo proponentes constantem ex anima et corpore hominem, mentem postea transferamus ad Christum. Veram factam esse unionem dicimus, Verbo humanitatem adsumente. Porro quod Verbum fecit, etiam nostrum uniuscuiusque proprium quodammodo dici potest. Atque hoc significari illis verbis puto, quod Verbum sit factum caro *; non per conversionem aut immutationem; est enim inconvertibilis divina natura: sed ea ratione qua solet divina scriptura totum quandoque hominem per solam carnem denotare, veluti est illud: « effundam de Spiritu meo super omnem carnem *. » Unum itaque confitemur filium, genitum quidem divinitus ex patre, quatenus intelligitur et est Verbum, sed partu etiam editum ex muliere secundum carnem. Sic enim reputabitur sanguini et carni similiter atque nos communicasse, ut morte sua diabolum debellaret, cuius invidia mors in mundum introivit. Nam Christi mors radix veluti vitae fuit, corruptelae destructio, peccati exterminium, irae finis. Maledicto et morti per Adamum addicti fuimus; soluta est per Christum primi peccatoris culpa. Apparuit enim hominis natura in Christo sana; atque haec impeccantia terrae incolas omnes salvavit.

* Is. XL. 12.
Gr. p. 112.
* Ioh. I. 14.
* Iohel. II. 28.

Per omnia fratribus similari. Cap. II. 17.

Assimilatus est per omnia fratribus, quatenus servi formam sumere passus est. Sic enim factus est filius hominis, factus item frater illorum qui de semine Abrahae sunt, id est ex sanguine et carne.

Ut misericors fieret et fidelis pontifex. v. 17.

Ipse factus est pontifex secundum humanitatem. Et quamquam ipse quatenus Deus sacrificia ab omnibus recipit, attamen idem secundum carnem victima est; ipse, inquam, qui peccatis nostris ignoscit, secundum deitatis potestatem. Unus est igitur dominus Iesus Christus. – Haud ob ipsam quidem Verbi naturam, pontificem vocatum (dicimus) atque alia huiusmodi nomina indita, sed propter oeconomiam in carne, et naturae nostrae mensuram. Age vero illud primum videamus, quinam is esset qui cum posset angelos adprehendere, si hoc expedire iudicasset, non tamen eos adprehendit, sed Abrahae semen? Igitur si forte nonnulli existimant haec de homine communi dici; quomodo fieri poterat ut is qui nondum genitus erat nec existebat, sanctorum angelorum naturam adprehenderet, siquidem hoc efficere vellet? Et quia id non fecerit, semen potius Abrahae adprehenderet? Alioqui et illud necessario puto animadvertendum, stulte omnino dici hominem humanitatem adprehendere. Sequitur igitur ut qui est extra hominis naturam Deus, semen Abrahae adprehenderit. Sic autem corpus sumens animatum ac mente praeditum de sancta Maria deipara, assimilatus est per omnia fratribus, id est nobis. Tunc factus est erga nos misericors pontifex, et praeterea fidelis. Quomodo autem sit factus, dicendum superest. Non erat ergo misericors ante etiam quam naturam nostram adsumeret? non erat bonus tamquam ex patre bono? sed postquam factus est homo, tunc evasit misericors? Profecit ergo Dei patris Verbum, seque ipso melius evasit, quo tempore semen Abrahae adprehendit. Igitur quod antea non fuerat, factum est, et utilitatem potius ex humanitate nactum est. Quomodo ergo immutabili natura erat, si quod non fuerat, factum

Gr. p. 113. est? Quomodo quod erat mansit? Quomodo exinanitum fuit, seque ad humilem conditionem demisit: siquidem praestantius quam antea erat evasit? Verum enim vero quod haec ita se habeant, multum abest. Fuit enim misericors, semperque est, ob eamque causam semen Abrahae adprehendit, ut erga nos misericors pontifex fieret. Quanam porro ratione, iam dicam. Homo in lege iustificari non poterat: mandatum editum transgredi non licebat, quin ilico capitalem poenam homo lueret. Testis Paulus qui scribit *: « irritam quis faciens legem Moysis, sine miseratione duobus vel tribus testibus moritur. » Ut igitur nos legis ultioni, maledicto, ac severitati subtraheret, factus est noster pontifex, non ut poenas peccatorum reposceret, non ut reos iudicio exhiberet eos qui humana infirmitate peccaverant, sed ut fide potius iustificaret, et criminibus absolveret, sanctos efficeret, suaeque naturae participes, atque ita per se Deo patri coniungeret. Factus est itaque pontifex erga nos misericors Christus, haud iam diutius legis rigori nos obnoxios esse sinens, sed antiquis potius reatibus infirmos expediens. Fidelis autem, quatenus constans est et permanens, et promissorum fidem observans, et sempiternum habens sacerdotium. Misericors ergo et fidelis, id est perpetuus factus sacerdos est, cum Abrahae semen adprehendit, qui Deus Verbum erat, et in patris forma ac paritate. Cur ergo isti veritatem calumniantur? Cur negant eum esse filium pront reapse est, propter exhibitam erga nos caritatem?

* Hebr. X. 28.

V. 18. **In quo passus est ipse et tentatus etc.**

Verba « tentatus potest auxiliari » humilia admodum sunt, sed tamen ab unionis modulo non exorbitant. Praeter quam quod dicta sunt etiam propter illorum qui audiebant solandam imbecillitatem. Quia enim, inquit, passus est ipse in proprio corpore, tentatis auxiliabitur. — Animadverte autem, quod non ob damnationem peccantium factus est pontifex, sed ob propitiandum potius peccatis illorum. Tentationis vero ac sacrificii quaenam fuit ratio? Toleravit tentationem, inquit, crucemque pertulit. Verumtamen se ipsum filius innocentem victimam patri obtulit, ut carne sua laborantibus atque tentatis auxiliaretur. Unica enim oblatione sanctificatos in perpetuum perfecit.

Cap. III. 1. **Apostolum et pontificem confessionis nostrae Iesum Christum.**

Sed enim Christi hostes malitiae machinas undequaque ad opitulandum sibi colligentes, ipsas quoque divinas calumniantur scripturas. Aiunt itaque beatum Paulum apostoli pontificisque nominibus Iesum appellasse; apostolatum vero et sacerdotium, ministerii habere naturam: namque et discipuli ad apostolatum sunt missi, et Aaron filiique eius sacerdotium gesserunt. Iam si filius his limitibus continetur, quomodo
Gr. p. 114. potest esse patri Deo consubstantialis? O insignem perversitatem! Veritatem agnoscere renuunt, nihilque volunt sanum dicere aut cogitare. Etenim confitentes nobiscum, filium etiamsi esset in forma Dei patris, nihilominus se sponte exinanisse, non tamen ratum habent incarnationis mysterium. Audientes autem apostolum qui ait « pontificem et apostolum Iesum » mente sua non considerant, quod cum Unigenitus factus est homo, tum demum ab angelica voce nominatus fuit Iesus, tuncque item et apostoli et pontificis gessit officium. Itaque vel aperte negent Verbum carnem factum esse, id est hominem, qui mente animaque praeditum corpus sumpserit, atque omnia ad suum scopum pertrahant quae de eo scripta sunt; vel si mysterium negare verentur, admirentur nobiscum eum qui propter nos homo factus est, manens etiam in hoc statu Deus. Tunc autem exinanitionis mensuram scrutantes, eundem esse com-

perient et humanitus apostolum, et Deum ab apostolis praedicatum. Quemnam enim praedicabant gentibus beati apostoli, et quidem ceu verum Deum? nonne dominum nostrum Iesum Christum? nonne apostolum quatenus homo est? nonne Deum quatenus Verbum patris? Quo pacto eum pontificem factum contemplabimur? Num sicut fuit Aaron? Num sicut Moyses? De grege agnos Deo mactantem, aut turtures et columbas, et similam oleo perunctam? Atqui nihil horum fecit Emmanuhel: fungitur enim sacerdotio quod supra legem est: ipse fuit victima, agnus verus, ipse immaculatus innocensque pontifex, haud pro suis peccatis sacrificans, impervius enim peccato Deus, sed ut mundi reatum dissolveret. Fuit ergo sacrificii sui ipsemet minister. Neque enim oportebat communem hominem pro mundi vita sacrificium offerre.

Sed age quid beatus Paulus dicat, diligentius perpendamus: « considerate apostolum et pontificem confessionis nostrae. » Hoc est videlicet fidei verbum quod praedicamus. Quid porro sibi ipsi (1) patrique sacrificat? Credimus enim unum Deum patrem omnipotentem, visibilium omnium et invisibilium creatorem, et unum dominum Iesum Christum filium eius. Igitur qui aiunt eum factum sacerdotem, atque hinc scandalizantur, doceant nos quis umquam sacerdos erga se ipsum sacerdotio sit functus, quisve sibi sacrificium obtulerit? Quisnam sacerdos pari ordine atque honore est, ac ille qui ab eo liturgiam excipit? Atqui filius, etiamsi factus propter humanitatem pontifex, sibimet obtulit, et per se patri confessionem nostram, atque in deitatis throno conspicitur. Testis Paulus qui scribit *. « Caput autem dictorum est: talem habemus pontificem qui consedit in dextera throni magnificentiae in caelis, sanctorum minister, et tabernaculi veri, quod fixit Dominus et non homo. » Ergo fungitur quidem sacerdotio, quia factus est homo; considet autem divinitus, quia Verbum esse perseveravit. * Hebr. VIII. 1.

Discedendi a Deo vivo. v. 12.

Deum quidem vivum dicit Christum, a quo omnino discedunt, nonnulli qui a veritatis dogmatibus profugiunt. Sed quid ait discipulus? « Sicut accepistis Christum Iesum, in ipso ambulate *. »

Verba « pertingens usque ad divisionem animae et spiritus » ita quoque licet intelligere, nempe quod Dei doctrina partes animae penetrans dividit, dum eam docilem efficit et auditarum rerum capacem. Cap. IV. 12. *Gr. p.* 115.

Habentes * ergo pontificem magnum. v. 14. * scribe gr. ἔχοντες.

Factum enim nobis simile Verbum, et carne pro nobis passum, tunc noster fuit pontifex, non tamquam alienam victimam offerens, sed ipse agni vice fungens, intellectuale holocaustum, vocalissimus turtur, columba innocens, panis vivus, aureum thuribulum; Christi enim bonus odor sumus. Penetrasse vero ipsum caelos dicit corporaliter simul Deoque digne. Namque ut Deo se praesentaret ascendit. Alio quoque modo caelos penetrat, dum supra quamlibet potestatem considet ceu filius patri, quamquam nobis factus erat similis propter incarnationem. – Sane, quamvis homo factum non fuisset Dei Verbum, nihilominus humanam infirmitatem noverat utpote creator: ipse enim cognovit figmentum nostrum *. Postquam vero carne se induit, expertum est omnia, non quia inquam ignoraret, sed quia cognitione quae Deum decet praeexistente, hanc ipsam experiendo quoque voluit discere. Factum est autem compatiens, non idcirco quia expertum; qui enim id dici potest? quum antea esset * Ps. CII. 14.

(1) Confer in Spicil. rom. T. X. concilium byzantinum a nobis editum, ubi definitum fuit Christum reapse sibi quoque tanquam Deo passionis suae sacrificium obtulisse.

naturaliter misericors, utpote Deus; sed quia quum iam esset huiusmodi, tamen humanam formam apud nos sumpsit, idcirco haec de eo dicuntur.

CAP. V. 5. **Christus non semet ipsum clarificavit ut pontifex fieret.**

Etiamsi ad exinanitionem demissus, retinet tamen ex patre appellationem, quae eum confert in sacerdotium convenientissimum haud equidem eius naturae, sed illi quae nostra est: quam postquam adscivit, officia eiusdem perfert nihil inde detrimenti capiens, sed egregie potius incarnationis munere fungens. Nam qui dominus erat, mansit quod erat, etiamsi in servi forma se exhibuit. Atque ita dicimus, etiamsi in caelo innumeros habeat sibi immolantes, intellectualia videlicet et incruenta sacrificia, hymnos inquam et laudationes, attamen ipsum sacerdotium humanitatis nostrae ab eo fieri acceptabile, ubique habita humani moduli decente ratione. Vocatur itaque pontifex sicut et Aaron, non tamen eodem modo. Hic enim oleo fuit unctus, et erat famulus: Christus autem, filius vocatur, et secundum ordinem Melchisedeci sacrificat patri. Nam Deus naturâ et Verbum, aeternaque generatione filius; homo autem generatione novissima in carne, quam etiam « hodie » demonstrat *. Namque id vocabulum praesens tempus significat. Iamvero carnalem quoque generationem sibi propriam adscribit pater: scit enim filium ex se natum divinitus, eumdem humanitus de muliere ortum.

* gr. δεικτικόν.

V. 12. **Cum deberetis magistri esse propter tempus.**

Papae! quanta est distantia! Quum deberetis alios docere, ne discipuli quidem estis, seu certe discipulorum gradum postremum tenetis. Atqui in quo maxime torpetis ac supini estis, ob id valere potissimum deberetis, scilicet propter tempus. Nam qui docentur, haud semper discendo vacant; alioqui non docebuntur: ideo cave ne semper ad discendum accedas; ita enim numquam scies; accede potius alios docturus.
Gr. p. 116. Quippe si semper discas, nihil te didicisse demonstras. Etenim hoc Iudaeis exprobrat Deus *: gestati iam inde ab utero, et usque ad senectam eruditi. » Observa itaque Paulum pariter de hoc indignantem, quod diuturno iam tempore doctrinae eius auditores, in primis adhuc elementis haererent, quae res docenti multam, ut par est, molestiam creat. Elementa autem hoc loco dicit sermones de Christi humanitate. Nam sicut in profanis litteris, prima elementa ediscenda sunt, ita in sacris ante omnia res Christi humanae atque humiliores tradi solebant.

* Is. XLVI. 3.

CAP. VI. 8. **Terra proferens spinas.**

Ignava certe anima merito comparabitur terrae malae et uliginosae, quae receptis saepe ab agricolis seminum iactibus, nihil tamen germinat. Quemnam vero exitum ignavia eius sit habitura, quae datum a Deo donum reddidit infructuosum, docebit Paulus dicens: « cuius consummatio in combustionem. » Vin ex factis etiam dicti veritatem cognoscere? Fuit terra fertilis Israhel, vitis frondosa, sicuti scriptum est. Huic nubium instar beati extiterunt prophetae, qui divinis eam rigantes sermonibus, iuvare studuerunt: verum ipsa spinas protulit, aspera silvestrisque apparuit. Tradita fuit ergo in combustionem, id est inutilis prorsus evasit et igni reservata.

CAP. VII. 27. **Non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes etc.**

Legis sacerdotibus non uno sacrificio opus erat, sed pluribus, tum quia pro se quotidie et pro populi delictis offerre debebant, tum quia infirmari saepissime et languorem ob peccata varia pati eos contingebat. At vero Christus peccato quolibet invictus utpote Deus, se ipsum obtulit, factusque est pontifex, humanitus quidem dictus minister, proprium autem patri suo corpus immolans. A divina itaque dignitate habebat, ut peccare nequiret; non quia talem haberet creatam naturam, quae sub-

stantialiter careret mutabilitate atque impeccantia; sed quia utpote filius, perfectissimus erat; et sine cuiusvis ope, invictam habebat ad naturae suae sanctificationem proprias vires, nempe ad impeccantiam. Nam lex quidem homines, inquit, constituit habentes infirmitatem; gratia vero filium perfectum, nempe infirmitate carentem. Id enim dici existimo satis habere, quod omni re bona perfectum est; quod quidem iis non accidit qui sunt sub lege, quibus infirmitate laborare non est insolitum. Verumtamen observa, quomodo idem adversus infirmitatem invictus credatur, nempe quatenus filius perfectus. Alioqui enim ob infirmitatem crucifigitur; ex quo sequitur ut intelligamus, ipsum carne infirmum crucem pertulisse. Quod siqui infirmitatem eo sensu accipiant, quod peccatores fuisse dicat legis sacerdotes, non adversabor; immo ceu recte sentire volentibus adsentiar.

Sanctorum minister et tabernaculi veri. Cap. VIII. 2. *Gr. p.* 117

Erectum fuit in deserto antiquum tabernaculum a Moyse, idque secundum legem sacrificantibus convenientissimum erat. Sed enim Christo decens habitaculum, superna est pulcra civitas, id est caelum, divinum tabernaculum humana arte haud fabricatum, sed augustum et ipso Deo architecto. Illuc Christus delatus Deo patri offert eos qui sibi crediderunt, Spiritu sanctificatos. « Nemo enim, inquit, venit ad patrem nisi per me *. » Talis est ei, ministerii, quod heic dicitur, modus; digna sane Deo res, etiamsi, humanis declaratur locutionibus. Cur enim Deo non sit dignum, posse Spiritu proprio sanctificare fideles, misericordia et gratia iustificatos, eosque veluti Deo immolare, mundo mortuos, Spiritu vivificatos, probato vitae genere inclytos? Quod autem is qui ministrare dicitur, haud minor * patre sit, neque infra maiestatem eius, iam ante ostendit, ubi aperte ait ipsum in divino throno atque ad genitoris dexteram considere. Nam si vere quilibet sacerdos, ministri semper munere fungitur, neque umquam consessor est et aequali gloria praeditus, quippe qui Deo cultum exhibet; quid ni sit insolitus sacerdos Christus, qui et divinitatis thronum occupat uti Deus, et simul ut homo ministrat (*)?

* Ioh. XIV. 6.

* dic gr. μείων.

Aureum habens thuribulum etc. Cap. IX. 4.

Poenae erunt obnoxii, qui umbram adhuc observabunt post veritatis manifestationem, iuxta illud: « qui in lege iustificamini, a gratia excidistis *. » Nam poenae et corruptionis indicium erat, cum reservatum manna vermibus scatebat. Sed haec iam prolixius de tabernaculo, rebusque in eo existentibus dicta fuere. Nunc vero resumentes, breviter denuo dicemus. Tres erant in tabernaculo loci. Primus quidem exterior omnibus adsignatus, post quem velum primum erat, quod etiam funiculus a trahendo dicebatur, eoque fiebat separatio ab aula in quam omnes discriminatim ingrediebantur, ibique super aeneo altari sacrificabant. Medius vero locus post funiculum erat, intra quem ingressi sacerdotes sacrum ritum quotidie peragebant. Locus hic « sancta » appellabatur; figuraque erat testamenti veteris, quo cruenta sacrificia fiebant. Intimus demum locus sancta sanctorum appellabatur, isque nostri mysterii figura erat. Illud itaque, quod post aeneum altare erat, tabernaculum primum apostolus dicit, ceu proximum alteri sancta sanctorum appellato; quia medium erat post funiculum, et ab aula separabat. In hac media tabernaculi statione rursus aliud velum tendebatur: posthinc vero statio illa erat quam sancta sanctorum appellabant, ad quam maximus tantummodo pontifex accedebat, idque semel in anno. Ibi arca erat reposita, in qua legis tabulae conditae, nec non vas manna plenum, et virga Aaronis. Sane regum libri * nonnisi tabulas in arca repositas memorant; sed tamen traditione edoctus virgam quoque adiecit et vas. Supra ipsam vero Cherubim gloriae, seu gloriosi, sive qui gloriae sunt, id est Dei. Opportune vero hos extollit, ut maiora ostendat ea, quae his sunt posteriora, id est nostra. Propitiatorium obumbrantia. Propitiatorium dicebatur quod desuper erat, id est arcae operculum; erat id autem quasi mensa quaedam quadrangularis, quae Christum figurabat factum nobis propitiationem. *Gr. p.* 118.

* Gal. V. 4.

* III. Reg. VIII. 9.

Superque eam erant Cherubim gloriae obumbrantia propitiatorium. v. 5.

Itaque intellige, quomodo fecerit propitiatorium ad imaginem humanati filii: tunc enim revera fuit propitiatorium. Verumtamen circumstare mandat Cherubinos, et alis obumbrare, ad ipsum semper con-

(*) Exin mediolanensem insertam partem, propter artatum spatium, minoribus formis exprimere necesse fuit.

versos atque spectantes. Deinde quomodo nobis narrat propheta a se ipso visos? Nempe cum gloriam vidit,
* Is. VI. 1 atque ita locutus est *: vidi Dominum sabaoth sedentem super solium excelsum et elevatum: et Seraphim stabant circa illud, et Dominum qui erat super solium laudabant, alas extendentes. Sic videlicet in sancto quoque tabernaculo collocati erant, alis propitiatorium obumbrantes. Quod si Cherubinis auro confectis vox aliqua et sermo inesse potuisset, laudavissent utique Dominum sabaoth, videlicet hunc qui in servi forma apparuit filium unigenitum ex Deo patre naturaliter ortum.

v. 9. Solummodo in cibis et potibus.

Vetuit Deus quominus comederentur choerogryllus et camelus et stellio et similia. Hoc autem, non ut huiusmodi animalia vituperaret, sed ut vitam moresque iniquos sectari prohiberet. Nonne enim et nos cornu ferire solitum taurum dicimus pro improbo homine? leonem pro iracundo? suem pro impuro? Iubet autem comedere nos animalia quae ungulam dividunt et ruminant. Omnis quippe virtus duplex est: nam vel nobis ipsis bene facimus, veluti cum voluptates amputamus, cor purificamus, cupiditates cohibemus. Vel aliis aeque bene facimus, inimicos diligendo, iratos exhilarando, indulgendo, compatiendo. Est ergo duplex iustitiae modus, nempe si vel nobis ipsis, vel aliis gratificemur. Iam vero progredientis operis fi-
* Ps. XXV. 21. gura est pes, iuxta illud: pes meus stetit in directo *. Et, ne pes tuus offendat *. Item, semitas rectas
* Ps. XC. 12.
* Prov. IV. 26. fere pedibus tuis *. Ungulam autem dividere significat velle nos ambulare recte, tum erga nos ipsos operando, tum aliis bene faciendo. Qui ergo rectam agit vitam, suosque mores bene componit, virtutemque erga alios expromit; praetereaque in suo pariter corde divina dogmata versat, et divinam doctrinam ruminat, eamque non cognoscit solum verum etiam considerat, seque eâdem alit et ceteros erudit; hic nimirum et ungulam dividit, et ruminat, purusque sermone est, et opere perfectus, scripturas minutatim comminuens, seduloque scrutans. Hominem vero qui nonnisi unum ex his habeat, vocat immundum. Nam qui vitam rectam habeat, dogma autem perversum, immundus est. Item qui doctrinam sine mo-
* Lev. XI. 8. ribus teneat. Hi ergo unica re praediti, vitari a nobis debent. Carnes, inquit scriptura *, horum non comedetis, neque ossa ipsorum adtingetis. Videlicet haereticorum doctrinas ne his quidem mortuis gustabitis. Porro camelum dicit hominem nobilem atque divitem: leporem vel cuniculum, dicit pro paupere. Ait ergo neque pauperem neque divitem salvos fore nisi haec duo possideant. Quaecumque autem in aquis
Gr. p. 119. alas habent vel squamas, haec manducabitis. Mare mundus est; pisces autem homines qui in hoc mundo terrena sapiunt, et hac illac variis curis distrahuntur, neque in caelum suspicere queunt. Qui ergo ex piscibus habent squamas et alas, hi facile discurrunt, mare valide verberantes. et emergentes, solemque spectantes; et profunda quidem devitantes, ac in superficie veluti navigantes, neque ut testudinum genera, terrae proxima, marino limo vescentes. Squamatos dicit homines qui levius peccant, propterea quod mundi mari sunt demersi; neque vero publice, sed restricte tecteque peccant; et tamen emergunt identidem solemque aspiciunt. Qui vero squamis carent nudoque corpore sunt, hi inter Deum mundumque alternant, aut virginitatem ac temperantiam non servant, sed alias nescio quas virtutes; et hos quoque vocat immundos. Ex avibus illas reiicit quae sublimiter volant, et cum humilibus non congregantur, id est homines superbos. Corvum autem et vulturem, utpote rapaces et ad maleficium saevos; struthionem et larum, ut voraces qui omnia consumunt; accipitrem, utpote qui debiliorem quamque avem invadit et interimit. Porphyrio item et ibis et milvus pisciculos in aquis vorant, hique sunt homines, voluptarii, deliciarum studiosi. Vespertilio demum et upupa et ardea, nocturna animalia, et tenebris adsueta, hi sunt ebriosi, et fures, et quilibet tenebrarum opera sectantes. Sunt item animalia immunda, latrones, homicidae, iracundi, inclementes. Mustelam quoque et murem et stellionem vetat, ceu formidolosos, cuiusmodi sunt fures et hypocritae; et qui tangit illos, inquit, immundus est: nam qui furi ac latroni communicat, aeque punitur. Vel certe vestimenta lavabit, et usque ad vesperam immundus erit, id est usque ad Christi adventum. Vespere enim peractum eius mysterium cunctos peccatis liberavit. Haec itaque apo-
* Lev. X. 9. stolus innuens, dixit ea quae in lege fiebant, ad cibos potusque pertinuisse. Dixit enim Aaroni Dominus *: vinum et siceram non bibetis tu filiique tui, quo tempore tabernaculum adibitis. Deinde addit.

v. 10. Et variis baptismatibus et iustitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis.

Neminem perficiebat lex secundum conscientiam; invehebat potius baptismatum doctrinas, aspersionum suasiones ad carnis purificationem. In his vero ferme consumebatur sacerdotii functio. Et si quis mortuum attigisset vel leprosum, si quis gonorrhea laboraret, baptizabatur, atque ita mundari videbatur. Hae carnis iustitiae erant, id est carnalia praecepta, carnaliter iustificantia illos qui carne impuri videbantur. — Quod autem ne legalibus quidem in umbris insipienter demorari Israhelitas Deus permitteret, e sacris ipsis cognoscemus litteris. Mandavit enim immolari agnum, Christi figuram, eumque ceu paratos itineri et succinctos comedere; significans haud perpetuas fore figuras, sed ad veritatem tendere.

v. 12. Neque per sanguinem hircorum et vitulorum, sed per proprium sanguinem

Quomodo igitur is qui ad dexteram patris est tamquam Deus, proprium habere dicetur sanguinem, nisi crediderimus, illum qui Dei patris filius naturalis est, hominis quoque esse filium, propriumque san-
Gr. p. 120. guinem pro communi salute pretium dedisse, atque ita mundo aeternam redemptionem contulisse? Neque enim quisquam dicet, opus esse, ut quomodo in brutis animalibus usuveniebat, saepenumero immoletur
* Lev. XVI. 3. sq. Emmanuhel. — Sic enim in levitico scriptum est *: « Ingredietur Aaron in sanctuarium, adsumpto vi-

tulo pro peccato, et hircum ad holocaustum. Accipiet item a populo duos hircos pro peccato, et hircum ad holocaustum: et vitulum offeret: constituetque hircos coram Domino in ostio tabernaculi testimonii: aspergetque digito de sanguine vituli et hirci septies propitiatorium, et deinde altare. » Iam vero vitulus quidem ad Christi figuram sumitur, qui nempe immaculatus est nec peccato inquinatus. Adducitur autem ad tabernaculi fores is qui pati non recusat pro ecclesia sua; iuxta illud: pro eis sanctifico ego me ipsum, id est adduco et offero. Postquam vero is qui peccavit, manus imposuerit, tunc fit caedes. Ipse enim peccata nostra tollit, et pro nobis dolet nostrisque operibus: operis * enim et actûs figura manus est. Porro coram Domino caedebatur agnus; etenim volente patre passio Christi servatoris peracta fuit. Sumit autem de sanguine eius, et arcae propitiatorium ter aspergit, quia Christus factus est propitiatio sanguine suo testamenti aeterni. Septies aspergit, quia perfecta nobis data est remissio per sanguinem eius; perfectus quippe numerus septenarius est. Cornua etiam ungit altaris incensi; namque odor eius mors fuit pro mundi salute. Reliquus sanguis super altare holocaustorum effundebatur; etenim passus est non propter gentes tantum, verum etiam propter Iudaeos, ut salvaret Iudaeos et ethnicos. Ablatis denique intestinis eius, offerebatur: nam Christus carne extra portam passus est, animam autem patri commendavit. Ungitur etiam exterius altare: sancta quippe lex, et ad Christi agnitionem dociles vocans. Verumtamen legalis pontifex semel in sanctuarium introibat, cum taurorum sanguine atque hircorum; Christus vero per proprium sanguinem semel introivit in sancta, id est in caelum, quod sancta ab eo appellatur.

* gr. ἔργου

Non enim in manufacta sancta introivit Christus etc. v. 24.

Quum Deus dicat, caelum mihi thronus est, requiescere ipsum quoque super spiritalibus filium dicimus, sanctum veluti tabernaculum habentem caelum; neque eorum instar qui corporaliter in terra sacerdotio funguntur, quique cruenta sacrificia perficiunt, verorum imagines, pro legis instituto. Quanam vero ratione nunc pro nobis apparet vultui Dei? Nonne semper etiam ante incarnationem illi apparuit? Profecto facile est pervidere, ipsum esse creatricem Dei sapientiam, a qua omnia ad existendum sunt producta, prout ei placuit. Nunc vero apparet haudquaquam nudum sine carne Verbum, sicut initio erat, sed cum nostra forma atque natura. Etenim dicimus ita Christum nunc apparere pro nobis, ac veluti ad Dei patris conspectum naturam nostram adducere, quamquam olim ab illo aversam propter factam in Adamo transgressionem. Nos itaque patris obtutui exhibet, in se ipso veluti ac primo, quatenus hominem *Gr. p.* 121. idcirco se fecit, ut nos ad patrem adduceret, antiquo crimine liberaret, atque ad vitae novitatem Spiritu transferret, ut digni deinceps patris respectu videremur, tamquam filiorum loco iam habiti.

Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. CAP. X. 4.

Ergone iudicabimus legem mentiri? Nisi enim sanguis taurorum et hircorum diluendis peccatis sufficiat, cur legislator dixit: sanguinem asperget, et purgationem faciet immunditiarum filiorum Israhelis? Num igitur vana verba effutit? Absit. Ceteroqui patet, non tam aenigmatibus, quam re ab illis significata veritatem rei demonstrari. Est enim immaculata victima Christus, quo in carne pro nobis mortuo, facti sumus nos emissarii, id est a morte et corruptela aufugimus: redempti enim eius sanguine fuimus, et qualibet immunditia liberati. Firmiorem itaque sermonem efficit, tum a vilitate veterum oblationum, tum etiam a magnitudine morbi. Nam morbus quidem fortiore remedio indigebat; attamen simplex sanguis, non est quid magnum. Quem enim homicidam aut parricidam brutorum animalium sanguis expiaret? Propterea beatus clamabat David *: si voluisses sacrificium, dedissem utique; holocausto non delectaberis. * Ps. L. 18.

Ideo ingrediens mundum dicit: hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. v. 5.

Idoneam indixit legis alumnis umbrarum ac figurarum disciplinam, non ita tamen ut in his semper materialibus rebus manere deberent. Nam sicut artifices futurorum opificiorum figuras cera molli imitantes, utiliter antea sibi demostrant, non ut illatenus ipsorum ars progrediatur, sed ut interim rei mox efficiendae pulcritudo appareat. Verum enimvero, opificio absoluto, iam artificem non criminabimur, si figuram deinceps negligat; ita Christo, qui veritas est, apparente, eiusque religione adducta, merito iam damnabimus figurarum ineptitudinem; erant enim hae materiales rerum intellectualium imagines. — Ascendit autem in odore suavitatis ad Deum patrem cum corpore suo; quod sibi ab ipso patre confectum aiebat: corpus autem, inquit, aptasti mihi.

Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. v. 14.

Una oblatione, id est quam proprio corpore obtulit, perfecit intellectualiter nos per fidem et sanctificationem Christus, quum legalis cultus nihil perficeret. Propterea desiverunt figurae, cessavitque veteris testamenti cum umbris suis inutilitas; necessarioque sequutus est melioris spei adventus, qua Deo appropinquamus, mediatore Christo, pontificali vice fungente, propter adsumptam nostri similitudinem. Obtulit enim se ipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo patri. Specta autem quod ait, sacrificia illa iam non offerri. Id videlicet ex traditione non scripta sumpsit. Tum etiam propheticum effatum protulit: sacrificium et oblationem noluisti. Dixit, dimisisse Deum peccata, idque rursus ex non scripto testimonio firmat dicens: contestatur autem nobis etiam Spiritus sanctus. Quid contestatur? nimirum dimissa peccata fuisse, quia perfecte Christus nos liberavit una oblatione, quominus secunda egeamus. *Gr. p.* 122.

Irritam quis faciens legem Moysis, sine miseratione moritur. v. 28.

Adulteros videlicet, homicidas, magos, incantatores, itemque apostatas cruentam luere poenam absque miseratione praecepit.

V. 29. Qui Spiritui gratiae contumeliam fecerit.

Sicut enim militem qui scutum abiecerit et proelio diffugerit, haud secundis ornare oportet honoris insignibus, sed magis ulcisci, et ignaviae poenas dare; ita pariter eos qui tam sanctam pretiosamque gratiam ignominiose tractaverint, non modo secundo Spiritu non esse donandos, post prioris gratiae abiectionem, sed ultioni insuper subiiciendos. Non enim istorum infidelitas Dei fidem destruet; nec quia nonnulli contemptores retro cesserunt, idcirco divinae gratiae inconstantiam accusabimus: poenis potius universalis iudex eos addicet qui in tantam impietatem ruere non recusarunt, ut filium Dei conculcarent, Spiritum gratiae dehonestarent, in quo sanctificati fuerant et divinae naturae facti participes.

V. 35. Quae magnam habet remunerationem.

Docet etiam qua ratione consequi praemia possimus; patientia videlicet, et in optimo quolibet opere efficiendo constantia; cupiendo semper, et nullam satietatem habendo bonae rei cuiusvis; praeclaram cumulando nobis ex recte agendo existimationem; denique omnem illam expromendo alacritatem, quam ii solent qui
* Eccle. V. 9. ditescere student, de quibus scriptum est *: qui diligit argentum, non implebitur argento. Quod si illorum adpetitum non sedant terrena temporanea et fluxa bona, quid ni opus est ferventiore nos cupiditate flagrare, ut quae sunt Dei lucremur, quaeque infinitis saeculis perseverant, et incessabilem continent felicitatem?

Cap. XI. 1. Est autem fides speratarum substantia rerum, argumentum non apparentium.

Quod fide receptum est, id extra disquisitionem esse debet, neque audaci subiectum examini (1). Nam quod est controversum, fides non est. Res enim de qua disquiritur, quomodo iam credita fuerit? Nimirum sicuti res sperata cum cernitur, iam de ea non quaeritur; ita fides eadem qua spes conditione est. Profecto id quod fidei honore dignamur, omni caret examinis necessitate.

V. 3. Fide intelligimus aptata esse saecula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.

Grande eximiumque bonum fides est; consequitur enim peccatorum dimissionem, maculae omnis purgationem, Deo nos desponsat, via est ad sanctificationem et adoptionem, et omnino cuiusvis boni conciliatrix. Sic inclyti evaserunt patres nostri, sic claram celebremque gloriam adepti sunt. Multi etiam necem forter pertulerunt, et immarcescibilem gloriae cinxere sibi coronam. Cur autem haec dico, praeteritis priscis? Adveniat clamans admirabilis Paulus.

V. 7. Fide Noë responso accepto de iis quae nondum videbantur, timens arcam fabricavit ob domus suae salutem.

Gr. p. 123. Quoniam universa terra viam suam corruperat, sicuti scriptum est, et cor hominis ad prava opera iam inde a pueritia spectabat, diluvium totius orbis incolis Deus adduxit, ut hortum quodammodo silvescentem desolatumque instauraret, nobili in eo servata arbore, praeclarissimo Noë, ut per hunc humanam stirpem, ad melius aliud revocaret initium, atque ita haec mundo incolumis servaretur. Ergo Noë oraculo monenti fidem adhibens, arcam instruxit ad suae familiae salutem, in qua paucae, id est octo, animae ex aquis salvae fuerunt. Generalis enim mortis sententia edita adversus incolas terrae fuerat, quae peccatis repleta ad immanem iram creatorem provocaverat. Sed tamen salvus fuit cum tota domo sua Noë, qui Deo credidit arcam parare praecipienti. Et universa quidem submersa terra, sola haec aquis innatavit, gubernatorem servatoremque nacta universalem Deum: erantque in ea reliquiae humani generis Noë cum mulieribus atque liberis. Qui fide gloriabatur. . . .

V. 17. Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur.

Equidem rem tanta admiratione dignam praeterire nequeo. Senex erat beatus Abrahamus, filiorum orbitatem deflebat, heredem sibi a Deo deposcebat ex libera: quem quum impetrasset, in eoque spem totam generis sui collocatam cerneret, et divinae promissionis exitum; mandatum ei fuit ut ipsum sacrificaret. Quid tum senex? Satis intelligo in quot animae angustias inciderit. Natura eum ad caritatem filii cogebat, divinum iussum ad obediendum vocabat: puero adhaerebat quem solum habebat, Deum offendere metuebat. Ac veluti magna arbor et procerissima contrariis ventorum flatibus hac illac agitata, propemodum cedit ac labefactatur, sic se iusti viri anima habebat. Quo igitur pacto tentationis procellam superavit? Peritissimus legis Paulus nos docebit dicens: fide obtulit Isaac tentatus, arbitrans quod etiam a mortuis suscitare potens est Deus. O constantia fidei! O mentis sancto viro dignae securitas! Concessit, Deum omnia prospere efficere posse. Quid hinc porro? quem exitum fides illius nacta est? En sacra demonstrat littera: credidit enim, inquit, Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam.

V. 38. Quibus dignus non erat mundus.

Si ergo illi, quibus dignus non erat mundus (omittit enim ulterius pergere, recte factorum magnitudine eximia attonitus; mundum autem heic intelligere mundanos decet); si ergo illi magnis tribulationibus tamquam igne explorati probitatem suam demonstrarunt, nondum tamen receperunt (2), caveamus nos quominus praesenti tempore remunerationem exposcamus, neque ita miseri simus ut tam exigua exoptemus.

Cap. XII. 2. Qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta.

Immo hoc loco magis proprium sit intelligere, Christum quum ei liceret naturae suae dignitate frui,
Gr. p. 124. et incomparabili supra omnes sublimitate prout Deum decet gloriari (hoc enim esse dicimus quod heic

(1) Confer apud nos Cyrillum comment. in epist. ad Rom. cap. X. 6.

(2) Plenam scilicet mercedem, corpore cum anima beatificato. Hanc fuisse genuinam Cyrilli sententiam demonstravimus nos in eius comment. ad Luc. XVI. 19. p. 356.

appellatur propositum ipsi gaudium) exinanivit semet ipsum ad conditionem nostram descendens, ut pro mundo necem in carne perferens, et mox hac conculcata per suam a mortuis resurrectionem, possibilem nobis demonstraret ad vitam reditum. Et fuit illi quidem pudendum et inglorium pati; sed postquam templum suum excitavit de insolito mortis genere, et corruptelam devicit, utpote Deus de Deo, quamquam in carne apparuerat, passionis ignominia et excessus e vita turpitudo, posteriore successu deletae fuerunt. et clarificatus est ob resurrectionem filius; quamquam antea deformissimam et ingloriam non recusaverat necem, propter voluntariam exinanitionem.

In dextera sedis Dei sedet. v. 2.

Danihel itaque divinas nobis revelationes visionesque propheticas describens *, antiquum dierum in throno collocat, eique circumponit ministrorum millia millium, et stipatorum myriadas myriadum. Isaias pariter haud minore in gloria vidisse se filium dicit *. Vidi, inquit, Dominum sabaoth in throno excelso et elevato sedentem, plenaque erat domus gloria eius. Et Seraphim circumsistebant, qui hymnum canebant a trinitate ordientem, in unitate unaque dominatione desinentem, trisagium inquam. Nonne ergo tibi iam videtur par esse filii in propria maiestate pondus? Ubi enim thronus est supremus, par sublimitas, et caelestium potestatum tamquam in circuitu adsistentia, quae servilem creaturarum conditionem ostendit, dominiique gloriam sedenti adtestatur, quinam superest dubitandi locus, quin naturali patris potestate filius quoque exornetur? Attamen etsi maiestate par est, eodemque in throno Dominus adsidet ceu filius patri et Deus Deo, nihilominus tamquam nunc primo ad tam sublimem et supermundialem gloriam videtur ascendere per carnem suam carnisque oeconomiam, dum audit: sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Quod enim sibi substravit insidens divina natura, hoc prorsus Servatoris nostri pedibus subponit, non iam humanitus agentis, nec quia factus est caro, ideo rebellantibus sibi dominari valentis; sed quia humanitatis humilitatem ad supernae supremaeque naturae dignitatem extulit; seque in divinitatis throno constituens, ipsa cum carne unigenitum Dei Verbum dominatur omnibus una cum patre. Cuncta enim per utrumque aequaliter operatur pater, habens cum filio, itemque cum Spiritu in omni re agenda unam operationem ac voluntatem.

* Dan. VII. 9.
* Is. VI. 1.

Non enim accessistis etc. exterritus sum etc. v. 18. 21

Huius nunc meminit Paulus historiae ac temporis, quo sub ignis specie in Sinam descendit Deus, et vox tubae grande resonabat. Erat autem inaccessa spectantibus visio, et intolerabilis tubarum clangor. Idcirco aiebant *: utinam ignem hunc magnum non videamus denuo, neque vocem domini Dei nostri audiamus!

* Exod. XX. 19.

Nunc vero adhuc repromittit dicens: adhuc semel ego moveo non solum terram sed et caelum. v. 26.

Noverant quidem caeli mysterium, noverat similiter universa terra. Duae quippe factae sunt splendidae ex omni aevo humanorum morum mutationes, quae testamenta duo appellantur, terraeque motus, propter actae rei celebritatem: prior quidem ab idolis ad legem, altera a lege ad evangelium. Tertia *Gr. p.* 125. nunc nunciatur nobis commotio, nempe ex hac vita ad aliam transitio, quae iam non commovebitur neque nutabit.

Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam. v. 28.

Heic ego libenter sciscitarer ab eis, qui desiturum aliquando Christi regnum existimant, de quonam regno nunc loqui apostolum dicendum sit, quod et firmum futurum ait, et sempiterna praeditum stabilitate? Hoc enim significari puto verbo « immobile. » Utrum filii regnum his verbis denotet, an illud quod sanctis adtribuendum est? Si quidem invictum casui esse aiunt regnum et culmen filii, pudeat utique ineptiarum suarum adversarios. Sin omisso filio, haud ambiguum hoc fore sanctorum regnum dicent; primo quidem ipsi meliore esse videbuntur conditione quam Christus, et superiorem ei sortem adepti; si quidem ille caducum potentatum habebit, hi autem perpetuum sortiti gaudium, stabilitatem quoque gloriae obtinebunt. Iam si haec inurbana calumnia est, quid ni protinus abiicietur? Nam possidendi atque universaliter regnandi officium neminem magis quam ipsum Christum decet, qui non adquisitum datumve aliquid possidet, sicuti nos, sed omnia naturalis sui dominii iure. Nos autem cum illo passi, cum eodem regnabimus, veluti scriptum est. Igitur ipse principatûs dominus, nos vero adsciti, et participantium gradu honorati. Sancti enim cum regnante Domino conregnabunt. Deinde quomodo immobilem hunc honorem habebunt, perpetuoque regnabunt, si nutabit ac desinet Christi potentatus, cuius sanctos participes dicimus? Et si regni dator et praeses potestate spoliabitur, ubinam res istorum consistent, quae tali fundamento * innituntur. Quomodo hi participabunt, si is qui in partem vocavit infirmatur? Nonne necessario cadet cum gestante gestatum, et in infimis foveis subsidebit quidquid illic innitebatur, fulcro subducto? Siquando itaque prosperitatis basis bonique status fundamentum commovebitur, prout isti putant, calamitosa protinus fiet atque decidua spes quoque aliorum. Dictio itaque « cum tradiderit regnum » non significat fore ut Christus regnum abdicet, sed quod potius ab aliis detentum, patri vi sua vindicabit; cum quo et ipse regnabit.

* gr. βάθρον, non βάραθρον.

Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula. Cap. XIII. 8.

Dictiones aliae sunt Deo congruae, veluti: ego in patre, et pater in me *. Aliae hominem decent, ut: nunc me quaeritis interficere, hominem qui veritatem locutus sum vobis *. Aliae mediae sunt, ut haec.

* Ioh. X. 11.
* Ioh. VIII. 40.

Nam cum Christum heri et hodie esse ait et in saecula, en aperte vir inspiratus, atque ab ipso Christo mysterium proprium edoctus, filium inconvertibili atque immutabili natura praeditum confitetur, quod Dei patris tantummodo proprium est, creatoque alii inest nemini. Igitur si solus inconvertibilis est Deus pater, eiusdem vero naturae et filius est, idem semper existens quod et genitor eius est, quomodo de nu-
Gr. p. 126. mero creaturarum sit, qui unus genitorem suum ineffabili substantiae ratione aemulatur, idemque naturâ est quod pater, uno excepto quod ipse pater non est? Nam quod homo nobis similis factum nullatenus Verbum sit mutatum, his verbis vir inspiratus significavit: nam praeteritum quidem tempus denotat vocabulum heri: praesens vero, hodie; futurum denique et reliquum, dictio in saecula. Iam si nonnulli heri et hodie pro recenti sumi contendunt, quomodo inquam heri et hodie in saecula erit? Age iam et nos invertamus interrogationis vim in contrarium. Quod est in saecula Verbum, quomodo heri et hodie in se excipiet? si certe unus est Christus neque divisus, prout Paulus loquitur. An videlicet Iesus Christus heri et hodie corporaliter, idem autem in saecula spiritaliter?

v. 9. Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci.

Abduci dicitur ex metaphora furentium, qui hac illac circumaguntur; vel eorum qui facile agitantur, ritu harundinum quae pro impellente vi ilico inclinantur, nihil stabilitatis habentes. Ceteroqui Pau-
* I. Cor. XV. 58. lus clamat: stabiles estote et immobiles *. Et ipse Dominus eos qui morum levitatem inconstantiamque prae se ferunt, magnopere criminatur, morboque huic repudii poenam decernit. Sic enim de quibusdam
* Hier. XIV. 10. ait: dilexerunt pedes suos movere, et non quieverunt, et Domino non placuerunt *. Itaque quod firme et indeclinabiliter stat, ad omne opus utile tutum est ac munitum. Bonum est enim gratia cor stabilire, non escis quae non profuerunt ambulantibus in eis.

v. 11. Quorum enim animatium infertur sanguis etc.

Sunt et alii plurimi circa haec sermones, verumtamen ob eorum multitudinem praetermittuntur. Certe mortuus in carne Christus est, ut nos sanguine suo mundaret.

v. 13. Exeamus igitur ad eum etc.

* Matth. X. 38. Feramus itaque ignominiam eius, id est crucem quam propter nos passus est. Sic et ipse dixit *: qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus. Iam extra portam, videtur intelligere extra mundum. Etenim nos de mundana vita abstrahit, sequendi Christum voluntas.

v. 14. Non enim habemus hic manentem civitatem etc.

Qui ad plenitudinem aetatis filii sunt conformati, inquilini revera in mundo sunt, neque hic stabilem civitatem habent: ambulantes enim in terris, conversantur in caelo, nullumque mundanum negotium adpetunt, sed ad futuri saeculi res vehementer tendunt. Sciunt enim sequi se, hac frugi exactaque vita, eum qui propter nos similisque nobis in mundo diversatus est Christus: qui profecto haud ea quae mundi sunt cogitavit, sed exemplar potius supermundialis iustissimaeque vitae nobis extitit.

v. 16. Beneficentiae autem et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.

Tu vero denuo videsis quomodo hoc loco Deum Paulus filium appellat (1). Nam si ipse est qui crea-
Gr. p. 127. turam omnem in iudicium adducit, unicuique retribuens secundum opera eius; ideoque erga proximum suum beneficos adprobat dicens: venite, possidete paratum vobis regnum: esurivi enim, et dedistis mihi manducare, et reliqua; cur non sit Deus, qui ita sanctorum haud fallaci voce nominatur, et beneficorum oblationes recipit, singulisque congruam retributionem confert, atque ad caeleste regnum sanctorum hominum chorum transfert? Offeramus itaque laudis sacrificium, labiorum fructum, creatori nostro Deo. Neque enim ex area tantum ac torculari, verum etiam ab oratione primitias adferre ad Deum decet: immo vero orationis potius oblationem quam manipulorum, quatenus huiusmodi fructus nobis praecipue congruus est, et honorato Deo gratior. Nam racemum et spicas terrae latera gignunt, imbres educant, agricolarum excolunt manus: at sacrum hymnum parit animae pietas, bona conscientia alit, in caeli horrea recipit Deus. Quanto autem melior anima tellure est, tanto et illius fructus praestantior. Quamobrem et propheta quidam, admirabilis magnusque vir, cui nomen Oseae, homines qui Deum laeserant eumque placare volebant, hortabatur dicens: ferte vobiscum non boum greges, neque similae mensuras quaslibet,
* Os. XIV. 3. neque turturem aut columbam, nec aliud quicquam huiusmodi, sed vobiscum adferte orationem, inquit *. Atqui dicet fortasse aliquis, quodnam sacrificii genus oratio est? Maximum, inquam, et sanctissimum et ceterorum omnium optimum. Quis porro id adfirmat? Ipse David: nam Deo quondam eucharisteria sacri-
* Ps. LXVIII. 31. ficans pro victoria ex bello relata, sic ait *: laudabo nomen Dei mei cum cantico, magnificabo eum laude.
* v. 32. Deinde huiusmodi sacrificii excellentiam nobis ostendens addidit *: placebitque Deo prae novello vitulo iam cornua producente et ungulas. Hasce victimas nos quoque immolemus, et altare spiritale huiusmodi hostiarum sanguine cruentemus.

(1) Videmus toto fere hoc commentario in Pauli epistolam ad Hebraeos pugnantem Cyrillum contra Arianos, qui idcirco dictam epistolam canone expungebant ut ait Theodoretus in sui commentarii prologo. Atque haec fortasse causa est cur in duobus ambrosianae bibliothecae palimpsestis a me olim detectis, ubi Ulphilae Arianorum episcopi duplex exemplar est Pauli epistolarum ad gothicam linguam translatarum, illa quidem ad Hebraeos desideretur. De Ulphilae arianismo docte vir cl. amicus noster Carolus comes Castillionaeus post epist. I. ad Thessalonicenses.

SANCTI EIUSDEM CYRILLI

EXPLANATIONIS IN MATTHAEUM FRAGMENTA.

. IV. 12. *Cum autem audisset Iesus quod Iohannes traditus*
. p. 128. *esset, secessit in Galilaeam.*

Haud metu secessit, sed ut nos per ea quae faciebat erudiret cedere locum persecutoribus. Secedit autem ex Iudaea ad gentes, demonstrans quod non nunc tantummodo cum Iudaei in ipsum Deum contumeliosi sunt, recedit ab illis, verum etiam cum adversus sanctos prophetas peccant. Porro lux magna, Christus est dominus noster, cuius claritas praedicatio evangelica esse dignoscitur. Ergo legem lucerna veluti repraesentabat; ideoque perpetua lucerna in tabernaculo accendebatur, ob significandum exiguum splendorem legis, quae nonnisi intra fines iudaicos lucem suam expandere poterat. — Iesu secessio, magisterium nostrum est: manifeste enim docet heic scriptura, neminem ad magisterium accedere debere, nisi antea baptizatus sanctumque Spiritum adeptus fuerit, et perfecte ieiunaverit, atque omne tentationis genus superaverit: quod reapse, veritatis typus, Christus inquam, initium agendi fecit.

v. 16. *Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam.*

Tenebras heic non has sensibiles dicit, sed errorem et idololatriam. Idcirco addit: sedentibus in regione et umbra mortis lux affulsit. Mox ut demonstret, quod non ipsi quaerendo invenerint, sed Deus eisdem superne se obtulerit, ipsa lux oborta est, ait, ac splenduit, non ipsi priores ad lucem accurrerunt *. Nempe res humanae ante Christi adventum in tenebris versabantur: non enim ambulabant homines in tenebris, sed sedebant; quod satis innuit, non sperasse eos conditionis suae mutationem.

a Peta-

.p. V. 9. *Beati pacifici.*

Pacifici sunt illi etiam qui infideles ad fidem convertunt; quia nempe Dei olim inimicos eidem conciliant.

v. 14. *Vos estis lux mundi.*

Rursus mundi dicit eos lucem, non autem gentis unius vel civitatum viginti, sed totius qui habitatur orbis. Et quidem lux denotatur intellectualis, quae radiis solaribus multo est praestantior. Sal quoque spiritale intelligitur. Immo prius (v. 13.) salis mentio fuit, deinde lucis; ut cognoscas quantus sit acerbarum rerum quaestus, sacraeque doctrinae utilitas. Quippe haec vim constringendi habent, neque diffluere sinunt, atque ad virtutem spectare suadent. — Verba autem « non potest civitas abscondi, et reliqua » hoc denotant, quod nempe sic universo mundo conspicui eritis, sicuti urbs in fastigio montis collocata, et sicuti lucerna in candelabro relucens.

v. 18. *Iota unum aut unus apex non praeteribit a lege.*

Carnali cultui cultum in spiritu ac veritate substituit Dominus. Quin adeo quae ne carnaliter quidem Iudaei fortasse agebant, haec spiritaliter Christi agunt discipuli. Quamobrem ait: iota unum aut unus apex non praetermittetur de lege, donec omnia fiant. Perspicuum est, cuncta Iudaeos non fecisse: vel si olim fecerunt, iam nunc desierant facere, prohibiti scilicet modo regum timore, modo templi destructione, in quo uno sacrificia peragi oportebat.

. p. 129.

v. 19. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis.*

Qui vel unum legis praeceptum delet, deletur ipse a Deo, utpote Dei adversarius, et contra legem eius agens. Immo nunc ab evangelica lege poenam perferet, quam prisca lex non inferebat. Ideoque et consequenter ait Christus: non veni legem solvere, sed adimplere. Quod enim ibi dictum fuit, heic est perfectum. In lege, puta, dictum fuit *: coram cano capite consurge. Et, si videris iumentum inimici tui sub sarcina lapsum, fer ipsi opem ad illud sublevandum *. Attamen si quis haec praecepta transgressus fuisset, poenam nullam lex infligebat: quam quidem adimplens Christus ait, hominem huiusmodi in regno Dei fore contemnendum. Hoc itaque etsi minimum praeceptum, cuius violati olim nulla erat vindicta, si quis deleverit, hic in novo foedere poenam referet.

* Lev. XIX. 32.
* Exod. XXIII. 5.

Si ergo offers munus tuum ad altare. v. 23.

Salutis consequendae poenaeque vitandae rationem excogitavit Deus peccatoribus paenitentiam; et cum laeso reconciliationem, edixit fore poenae remissionem. Quandoquidem qui fratrem suum non amat, Deum non diligit. Hic autem merito illum, qui adversus fratrem offensam fovet, non recipit, ceu sincere ad se non accedentem.

Ne te adversarius iudici tradat etc. v. 25.

Puta esse aliquem in dignitate constitutum, qui adversus te qualibet de causa expostulet, ideoque satellitibus imperet ut ad tribunal te ducant. Quamdiu, inquit, in via cum illo es, videlicet ante quam ad iudicem devenias, da operam, id est omni studio contende, ut ab eo dimittaris. Nisi enim ita contingat, iudici praesentaberis; apud quem aeris alieni reus compertus, quaestori trad̃eris, id est exigentibus debitum, a quibus in vincula coniectus extremum quoque quadrantem reddere cogẽris. Profecto quotquot in orbe vivimus, peccatis sumus irretiti; singulorum adversarius et accusator Satanas; est enim hic inimicus et vindex. Quamdiu igitur in via sumus, id est ante quam ad huius vitae finem deveniamus, ab hoc nos inimico expediamus, culpas quisque nostras purgemus, Christi gratiam adipiscamur, quae nos omni debito et ultione liberet, atque extra poenam timoremque collocet: ne scilicet maculis haud ablutis, ad iudicem pertrahamur, tradamurque exactoribus, sive reorum vindicibus, quorum nemo saevitiam fugiet: immo vero cuiusvis culpae, tenuis aeque ac magnae, poenas dabimus. Hac autem calamitate carebunt, qui tempus adventantis Christi recte aestimaverint, et eius mysterium non ignoraverint.

Orantes autem nolite multum loqui, Cap. VI. 7.
ut solent ethnici. Gr. p. 130.

Ideo Christus preces iubet ad compendium conferre, quia mentem nostram facile evagantem novit, cogitationibusque variis et curis deerrantem, praesertim tempore orationis. Mandat ergo ut sobrie celeriterque petat homo a Deo quae requirit, non autem ut omnia, quae vult, enunciet: haec enim summa foret stultitia; siquidem ante petitionem, omnia scit Deus quibus egemus. Battologiam vero dicunt (graeci), quod (latini) multiloquium, a Batto quodam, qui longos multorumque versuum hymnos in idola fecit, cum verborum repetitione. Et quidem battologia vitium sermonis est.

Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona dona liberis vestris dare, quanto magis pater vester caelestis bona dabit rogantibus se? Cap. VII. 11.

Bona dona appellat, spiritalia munera. Utique Lucas * Spiritum sanctum (1) dixit pro vocabulo « bona; » nil ce-

* Luc. XI. 13.

(1) Plurimi sane graeci libri et codices, quos inter antiquissimus ille vaticanus, habent apud Luc. ἅγιον *sanctum*, ut heic

tero qui discrepans: etenim sanctus Spiritus, ipse est suapte natura bonum; ideoque et participibus sui confert bona. Secus vero insigniter improbis, id est effrenate peccantibus, naturalis quodammodo fit malitia; cuiusmodi est Satanas atque daemones. Licet enim his quoque naturalem improbitatem adtribuere, quamquam reapse minime naturâ mali creati fuere, sed voluntaria malitia extabuerunt.

V. 26. *Similis erit viro stulto, qui domum suam in harena aedificaverit.*

Recte hunc stultum appellat. Quid enim insanius fieri potest, quam domum in harena aedificare? qua in re labor perfertur, fructus nullus aut requies adquiritur: immo etiam detrimentum capitur. Profecto, quod et homines improbi defatigentur, nemo non videt; neque tamen ex his laboribus lucrum aliquod nanciscuntur, immo et damnum
* Gal. VI. 8. grave patiuntur. Ut enim ait Paulus *: qui in carne seminat, de carne metet corruptionem.

Cap. VIII. 18. *Videns autem Iesus turbas multas circa se, iussit ire trans fretum.*

Retraxit se Christus a turbis, ne gloriosus quidam videretur, qui populi laudibus delectaretur; atque ut ne irascerentur sibi Pharisaei, qui aegre admodum ferebant multos illi adhaerere. Insuper volebat Iesus salutarem suam circumstantibus quoque urbibus lucem inferre.

Cap. IX. 6. *Ut autem sciatis, quia filius hominis potestatem habet in terra dimittendi peccata.*

Iustam ob causam ait « in terra » ut demonstret, et se hominem esse, et in terra visum, qui Deus alioqui naturâ erat.

Cap. XI. 27. *Nemo novit filium, nisi pater; neque patrem quis novit, nisi filius.*

Qui videt filium, patris referentem imaginem, ipsum videt patrem, quia ipse coram patre est tamquam prototypon, vicissimque in forma propria archetypon repraesentat. Atque haec dignis Deo modis intelligenda sunt. Quia vero dixerat, omnia mihi tradita sunt, ne forte alienâ esse naturâ et patre minor videretur, supradicta verba ad-
Gr. p. 131. didit ut tam suam quam patris ineffabilem incomprehensibilemque naturam ostenderet. Sola enim Trinitatis divina natura semet agnoscit: solus pater proprium novit filium, naturae suae fructum: sola denique divina soboles parentem suum agnoscit: solus sanctus Spiritus profunda Dei scit, nempe patris filiique mentem.

Cap. XVI. 18. *Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. — Et dabo tibi claves regni caelorum.*

Animadverte quomodo dominum se summatim caeli terraeque declarat. Promittit enim quae supra nostram naturam sunt, immo et supra angelicam conditionem, quae denique uni et excedenti omnes naturae et maiestati attribuere decet. Primo quidem esse ecclesiam in potestate sua dicit, quam alioqui sacrae litterae Deo potius quam ulli homini subiectam adfirmant. Ait quippe Paulus Christum
* Ephes. V. 27. sibi illam comparasse quavis macula rugaque carentem *: quam etiam fundasse dicit, firmitate eidem adtributa, quum sit ipse virtutum dominus, atque huic Petrum pastorem
* Petri primatus. praeposuit *.

Cap. XVI. 27. *Filius enim hominis venturus est cum gloria patri sui.*

Gloriam dicit transfigurationem commutationemque naturae nostrae, quae gloriam incomparabilem habebit, prae qualibet specie in praesentiarum spectabili.

Quum autem venerit filius hominis in maiestate sua. Cap. X

Quomodo veniet? qua specie aderit? Nempe quomodo ipsemet alibi dixit *: et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus, cum virtute et gloria multa. Veniet enim nequaquam demissus et humilis humano more, sed cum gloria ac virtute deitatis. Porro de utraque qualitate vocabulum « multa » intelliges: nam et multa cum virtute, et simul multa cum gloria secundam faciet theophaniam, quandoquidem primam cum infirmitate et obscuritate fecit, quantum quidem vulgo visum est. Cur autem in nube? quia sic apparere solet Deus *: nubes enim et caligo circa eum sunt. Item *: Dominus sedet in levi nube. Et rursus *: qui ponit nubem ascensum suum. Item *: nubes eripuit eum ab oculis ipsorum. Item *: sicuti filius hominis veniens in nubibus. Sic eum vidit Danihel *. Sic et tum veniet haud latenter, sed uti Deus et dominus cum gloria Deo digna, atque omnia in melius reformabit. Reviviscent enim mortui, exuetque corruptionem terrenum corpus his passionibus olim obnoxium; induetque immortalitatem, Christi eiusdem datore, et eos qui ipsi credunt conformes efficiente corpori gloriae suae. Quare et rem huiusmodi redemptionem nostram appellat dicens: his autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.

* Matth. 30.
* Ps. X
* Is. X
* Ps. C
* Act. I
* Matth. 30.
* Dan.
Gr. p.

Veluti enim si quis dicat de homine, quod a patre acceperit animal esse rationale, hoc ipso eundem significat rationalem genitum a rationali; sic etiam unigenitus de Deo Deus, ex eo qui universum iudicat mundum index processit. Nec quia omne iudicium commisit filio pater, idcirco dominatu minutus est: indivisus enim a Deo unigenitus est, sicuti lux a sole. Inest enim ipsi naturaliter; ita ut omnia quae pater habet, filii sint; et vice versa.

Fragmenta alia S. Cyrilli in Matthaeum, ex catenis in Isaiam et Hieremiam. Gr. p.

Ex his omnibus, conversos ad nequitiam Israhelitas demonstrabat; et quod supernae clementiae facti indigni, a Servatoris auxilio exciderant.

Rorem hoc loco nihil aliud quam Spiritum dicens, sive vivificam Spiritus vim, quae per Christum corruptis iam corporibus infusa, exitiosam expellit corruptelam, vitamque reducere curat.

Amovent nos a (Dei) necessitudine et intima communione, non locus aut intervalla, sed voluptatis potius amor, et mundani erroris impuritas. Si ergo hoc intermedium impedimentum tollatur, nihil iam prohibebit quominus Deo copulemur.

Non enim pervidere potuit Christi mysterium, quamquam divina iam lux oriebatur, lux inquam Christi. Veruntamen haec gentibus concessa fuit, multae licet reis impietatis; creaturam enim pro creatore adorabant.

Praecipuus merito est verae paenitentiae fructus, fides apprime in Christum, et evangelicae vitae novitas, quae litterae crassitudine omissa, simplicem et defaecatam adorationem in spiritu exhibeat.

Ergo vere reputandum est, Deum in primis haud iam a nobis typos requirere, sed rem potius ab illis significatam, id est adorationis in spiritu virtutem.

Prorsus enim detestanda est ferox illa et superba Hierusalem, quae salutis vitaeque ducem et dispensatorem summa sua vesania a se removit, et incredibilibus ausis vel nolentem, ut ita dicam, ad alias transire regiones compulit.

Cyrillus; quam lectionem agnoscunt apud Sabaterium etiam Hieronymus et Ambrosius, qui tamen postremus alteram quoque novit ἀγαθὸν, id est vulgati interpretis *bonum*; quam nemo, ut reor, meliorem non reputabit, praesertim quia apud Ambrosium est etiam *datum bonum*, nec non apud alios quosdam. Ceteroqui hanc discrepantiam mire elevat Cyrillus, et conciliat.

SANCTI EIUSDEM CYRILLI

FRAGMENTA EXPLANATIONIS IN IOHANNIS EVANGELIUM.

X. 22. p. 131. Intererat autem festis Dominus, non ut ea cum Iudaeis celebraret; qui id enim fieri poterat ab eo qui dixerat, odi et respuo festa vestra, sed ut utiles suos sermones coram populo multo diceret, manifestum se Iudaeis sistens, et quamquam non requisitus se illis admiscens. Encaeniorum autem nomine heic est intelligendum vel primum illud festum quo Salomon novum templum dedicavit; vel illud Zorobabelis, qui deinde cum Iesu, post reditum Babylone, templum idem restauravit. Quum hiems esset et tunc plueret, cuncti ut par erat ad porticum confluebant. Quare et Christus illuc venit, ut se cunctis sui videndi studiosis ostenderet, et utilitatem aliquam impertiretur. Nam viso eo, ad interrogandum de re aliqua acuebantur: solent enim homines, cum feriantur, huiusmodi sermones libenter commovere.

v. 30. Ego et pater unum sumus. Nempe vocabulo « unum » eiusdem se substantiae esse cum patre significat. Verbo autem « sumus » in duo dividit rem intellectam, rursusque in unam colligat deitatem.

v. 40. Dum abit Hierosolymis Christus, innuit se derelicturum Iudaeam, atque ad ethnicorum congregationem transmigraturum, quae sanctum baptismi fontem apud se habet, id est Iordanem, quem qui per sanctum baptismum transeunt etc.

XI. 34. Interrogatio nullam ignorantiam significat eius qui propter nos similis nobis factus est: immo sic patri potius suo similis demonstratur: namque et ille interrogavit, ubinam Adamus esset: et nunc Iesus ignorantiam veluti simulat sciscitans, ubinam posuistis? ut ob hanc interrogationem populus concurreret ad demonstrandum locum, atque ita inimici potissimum testes fierent miraculi resuscitati hominis, quem iam funerea tabes corruperat. — Interrogat ergo, non quia ignoret: nam qui etiam in alia regione constitutus mortuum cognoverat, quomodo monumentum ignorasset? Sic autem loquitur ceu omni ostentatione alienus. Quare nec dixit: eamus ad monumentum, et ego eum suscitabo: quamquam illa interrogatio, id maxime eventurum spondet. Simul hoc dicto, multos sibi praecedere impulit, ut rem quaesitam demonstrarent. Prudenter vero id quoque dixerat, ut multos eo verbo ad locum traheret: et ignorantiae speciem prae se fert, ne humanitatis servilem formam tenuitatemque recusare videatur, qui naturâ suâ Deus erat, cunctaque noverat haud praeterita tantum, verum etiam ea quae nondum evenerant.

p. 135. Non sunt ignorantiae indicium verba « ubi Lazarum posuistis? sed quia modestiam potissimum adamabat, noluit dicere: eamus ad monumentum: sed alio modo id effatur. Alioquin dum ait Dominus, ubinam posuistis eum, multos commovebat ad comitandum in itinere locumque demonstrandum, praesertim quia rogator illustris erat. Merito autem, quia simul Deus erat et homo, miscet dignitati divinae humanos actus: abitque miraculum editurus ut Deus, loquitur tamen ut homo: et quae probe Deus noverat, ignorare interdum simulat, humanitatis exiguitatem numquam detrectans (1).

v. 35. Sic dicitur pro: commotus ad misericordiam propter multorum lacrymas, imperavit spiritui suo ut mortem etiam ante tempus debellaret, ac Lazarum suscitaret.

Miratur rursus divus evangelista flentem cernens illacrymabilem naturam. Atqui humana haec passio erat. Miserabatur enim non sine causa, corruptum videns hominem ad imaginem Dei creatum, et calamitatibus nostris contristabatur. Nisi enim pro nobis lacrymatus esset, meam non cohiberet lacrymam. Nam sicut is qui erat Verbum dicens: ego sum panis de caelo descendens, vitamque mundo afferens, permisit tamen aliquando ut contra propriam carnem fames praevaleret; ita nunc etiam quum esset tristitiae immunis ut Deus, concessit carni ut misericorditer ad lacrymas cum maerore flecteretur, exempli nostri causa. Nam sicuti multum flere, absurdum merito dicitur; ita numquam ad fletum commoveri, durum et immite est.

Lapidem enim ipse per se non removit, primo quidem ut doceret supervacuum esse in rebus non necessariis miraculum; secundo autem, se quidem in consummatione saeculi mortuos suscitaturum, adfore tamen ad rei agendae ministerium angelos, quos etiam messores alibi * parabolice appellat Dominus. v. 39.

* Matth. XIII. 39.

Magna facinora aegre creduntur. Nil ergo mirum, si fidem Martha nuper professa, iterum infirma fide nutat. Verisimile praeterea est, alia quoque cura illam laborantem hoc in praesenti dixisse. Videtur enim ob multam suam reverentiam, noluisse ut Christus foetente mortui odore adflaretur. Aliud quoque nos angit circa mortuorum curam: ante enim quam foetor erectur, condere tumulo mortuorum reliquias festinamus, dedecus extincti reputantes, si ab iis qui adhuc vivunt fastidiatur. Nam pudet quodammodo naturam, passionem praeter naturam perpeti. Haud enim mortem Deus creavit, neque viventium exitio delectatur. v. 39. Gr. p. 136.

Cum enim in peccatum incidimus, ignominiam inde manantem, ceu quoddam velum animae nostrae faciei obducimus, et mortis vinculis alligamur. Cum autem nos resurrectionis tempore e terrae monumentis educet Christus, tunc antiquis expediens malis, detrahensque quodammodo ignominiae velum, posthinc liberos abire iubebit, neque peccati ulterius tyrannide pressos, neque corruptioni subditos aut consuetis malis. Ut perficiatur in nobis dictum olim ab uno e prophetis *: egrediemini, et tamquam vituli salietis vinculis resoluti. v. 44.

* Malach. IV. 2.

Ita nonnulli, quandoquidem nihil non potest divinum verbum, desperati prorsus, et animae mortuae foetorem expirantes, et mortuorum habitacula incolentes, supervenientem ipsis divinum sermonem audiunt, ac ipsorum animas penetrante virtute eius qui dicit, veni foras, progrediuntur institis adhuc mortualium vinculorum alligati. Exiit enim, inquit scriptura, qui mortuus fuerat, adhuc devinctus. Deinde praesente Iesu et discipulis, illisque mandante, resolvunt mortuariis vinculis eum qui filio Dei morem gesserat, et sepulcro prodierat. Is autem resolutus abit liber, et mox cum Christo discumbit. Huius animarum ordinis imago mihi videtur Lazarus, qui erat Bethania oriundus, id est obedientiae domo. Hic postea aegrotavit, qui sanus quum esset, a Iesu diligebatur. Haud ergo desperandus ne ille quidem, qui in extrema improbitate versatur. Praeclarum quidem est non infirmari; si quis tamen aegrotave- v. 43.

(1) Fragmenti huius ex alio codice sumpti sententia quidem congruit cum praecedente, verba tamen differunt. Tanta scilicet libertate usi interdum sunt catenarum auctores!

rit, eret ne infirmitas eius sit ad mortem, sed pro gloria Dei. Quod spectare licet in isto qui Iesum vocantem sequitur, quomodo nempe ob Iesu vocem exiit, adhuc tamen peccatorum suorum vinculis alligatus et constrictus: ob paenitentiam quidem et obedientiam Iesu voci, vivens; sed quia nondum peccatorum laqueis solutus, nondum liberis pedibus incedere valens; sed neque solute operari praeclarum aliquid valens, propter manus pedesque mortuariis ligaturis impeditos; atque ob id faciem quoque ignorantia velatam gerens. Veruntamen Iesu mandato solutus ac liber effectus, tale ingreditur iter, eoque pervenit, ut unus de discumbentibus cum Iesu fieri possit. Iam quibusnam Lazarum solvere imperaverit, non est scriptum, num videlicet discipulis, an sequentibus se Iudaeis, an etiam fortasse angelis, qui ministrabant ipsi in procuranda hominum salute. Denique observanda est mortuorum differentia; namque alii nondum domo elati fuerant, ut Iairi filia: alii ad sepulcrum iam portabantur, ut filius viduae: alii denique iam in monumento iacebant, et quidem tabescentes. Sed infeliciores ceteris sunt, qui diu in sepulcris demorantur (1).

V. 49. Non prophetico spiritu Caiphas locutus est, neque enim prophetiae spiritus insidias Christo struit; sed casu quodam in rem veram et mox futuram incurrit: eique concessum fuit in hanc cogitationem venire, quatenus pontifex erat, ut ore eius res hominibus hactenus occulta et ignorata patefieret.

Ad scenopegiae festum, viciniam omnem lex iubebat feriatum venire in sanctam civitatem, poenamque detrectantibus decernebat. Secus vero, paschatis tempore in suis unumquemque urbibus aedibusque inculpate manere sinebat. Utique aiebant esse exploratum, nolle eum festi ritus secundum legem exsequi, qui ad festum convenire recusaret. V. 55.

Necessario ordine postremum hoc est, quod in Lazaro operatus est miraculum Dominus, ut ob id recens facinus, clarius eum plebs honoraret, atque hunc honorem aegre Pharisaei ferentes conspirarent in ipsum, atque ita passio perficeretur; quod reapse accidit. Pharisaei ergo dicebant invicem: videtis ne, quomodo nihil proficitis? Vident se fidei in Christum frustra contradicere; frustra anathema dicunt credentibus, partim suadentes, partim etiam minitantes. Cassa omnia affirmant, nisi ad Christi necem deveniant. Ecce enim, aiunt, plebs universa illum sectatur. Cap. XI

Cave ne me prohibeas ad mortem tendere; immo potius adsentire, propter universalem utilitatem. Etenim gloria Christi crux est. Glorificatur aeque pater, cum talem habere filium cognoscitur, qualis ipsemet esse creditur. Est autem bonus, et hominum amator, lux, vita, et cuiusvis corruptelae immunis. V. 32.

SANCTI EIUSDEM CYRILLI

EXPLANATIONIS IN EZECHIELEM FRAGMENTA.

Cap. I. 6. *Et sex alae uni.*

Gr. p. 137. Stant semper intellectuales supernaeque virtutes, haud equidem ad turpia labantes, sed quia potius rectam et inculpabilem convenientis sibi vitae viam decurrunt (2).

Cap. VII. 16. *Et erunt super montes ut columbae.*

Beati nimirum discipuli; hi enim universum mundum circumierunt, Christi praedicantes mysterium, idque instar cantici et lyrae habentes.

Cap. XIV. 14. *Et si fuerint in medio eius tres viri, Noe, Danihel, et Iob.*

Quia arbitror non esse sine examine praetereundas prophetae voces, age dicamus cur nam mortuis iamdiu Noacho ac Iobo, et ipso fortasse Danihele, nihilominus salvandos eos fore dicit ob suam iustitiam, quamquam reliqua omnis terra, adversus quam mortis decretum infligeretur, corrupta esset? Videtur Noacho comparare eos qui ob suam fidem bene de Deo meriti erant: Daniheli autem sapientes et contemplantes; denique Iobo eos, qui ob patientiam in omni re bona apud eum gratiosi fuerunt.

Cap. XVII. 22. *Et sumam ego de electa parte cedri, ex vertice.*

Cedris comparat sublimibus et pulcherrimis Israhelitas, quorum pars electa, et quodammodo cor, beatus David fuit, ex quo sumens Deus pater, Emmanuhelem plantavit, qui in proceram cedrum evasit, omnesque sub umbram suam excepit: moxque agnovit universa terra omnipotentis Dei virtutem et potestatem. Humiliavit enim lignum viride, oriri
Gr. p. 138. vero et germinare lignum aridum iussit (id est ethnicorum ecclesiam) quod antea diaboli violentia defloratum fuerat.

Et ego dedi illis praecepta non bona. Cap. XX

Quod quidem adtinet ad spiritalem divinarum rerum doctrinam, lex sancta est, mandatum item sanctum et bonum. Quod tamen pertinet ad actionum levitatem, et umbratilem tantummodo cultum, haud bona erant praecepta, neque aeternam vitam datura. Nemo enim, uti scriptum est *, iustificatur in lege. * Gal. 1

Ecce lac manducastis. Cap. XX

Quum enim (levitae) exigerent legales decimas, primitias, oblata pro gratiarum actione, aliisque populorum donis luxuriose fruerentur, nullam tamen salutis illorum curam gerebant.

Non satis vobis fuit, quod bona pascua depasti estis? V. 18.

Legis periti quum essent levitae, et optimum veluti pascuum sortiti, puramque et limpidam aquam habentes Moysis doctrinam, unde facile veritatem possent haurire, conculcabant quodammodo id pascuum, sordidabant etiam aquam, crassam quandam et coenosam immunditiaque plenam apponentes doctrinam his, qui ovium instar sequebantur eos tamquam arietes.

Et suscitabo illis pastorem unum — servum meum Davidem. V. 23.

Quod haec de Christo dicat propheta, haud arduum est cognoscere: nam iamdiu mortuo et in tumulis iacente beato Davide, vaticinabatur beatus Ezechiel. Promittebat autem Deus pater rem futuram per tempora, non rem iam peractam; de futuris enim fiunt promissa, non de praeteritis.

(1) Contemporaneus Cyrillo Augustinus pie docteque argumentum hoc de tribus mortuis a Domino suscitatis tractat sermone XCVIII. ed. maur.

(2) In graeco textu σειττοῦσιν, uti revera habet codex iterum a me inspectus. Veruntamen mendum hoc sine ulla dubitatione iam corrigo διάττουσιν.

NICETAE PRAEFATIO AD CATENAM IN PSALMOS.

De subsequente Nicetae praefatione (quam diutius occultam in vat. codice relinquere nolui) dixi in graeca voluminis parte p. 139. Quamquam vero Nicetas in catena plurimos habet ineditos Patrum locos, in hoc tamen prologo nota scripta expilat, etsi plerumque haud presse vel ad litteram, sed libero excerptorum genere: et propriis interpositis: quare et nova interpretatio latina ubique a nobis facienda fuit. Conferantur igitur Philo de Moyse lib. II, Iustinus apolog. I. 31, Chrysostomus in psalmos ed. Montf. T. V. p. 540. et alibi, Athanasius initio commentarii in psalmos et in synopsi, Basilius homil. in primum psalmum, Epiphanius de pond. et mens. cap. V. Plurimam ceteroqui partem suppeditat Nyssenus gemino suo de inscriptionibus psalmorum tractatu; quod heu opus valde imperfectum est in codicibus atque editionibus, quippe in psalmo LVIII. non tam subsistens quam abruptum.

Congestio enarrationum ex diversis sanctis patribus atque magistris in librum psalmorum, collecta a sacratissimo metropolita Heracleae domino Niceta Serrarum antea episcopo.

Quum propositum nobis sit sacros psalmos enarrare, nonnulla in antecessum oportet exponere huic scopo congrua, atque ita ad psalmorum explicationem venire. Est igitur operae pretium exquirere primo, quonam tempore et quoties ex hebraica ad graecam linguam vetus divina scriptura translata fuerit, et quamnam ex his interpretationem nos admiserimus. Secundo, quam ob causam prophetici libri sint obscuri. Tertio, quid sit psalterium, canticum, et hymnus, et laus, et oratio. Quarto, utrum psalmi omnes sint Davidis, et cur non sine rhythmo et cantilena prophetia haec recitetur. Quinto denique ac postremo, quot in partes psalmorum volumen sectum sit. His enumeratis capitibus, age iam primum vestigemus, ita exordientes.

Philonis et Iustini.

Soli olim Iudaei veteris testamenti libros habebant propria lingua conscriptos; nos vero nullam inde utilitatem capiebamus. Quum autem post Alexandrum macedonem Ptolemaeus philadelphus in Aegypto regnaret, iudaicae philosophiae studio incensus, in graecum sermonem, id quod erat scriptum chaldaico, convertere deliberavit; misitque sine mora ad Azariam nunc Iudaeae pontificem legatos, suum significans consilium, atque adhortans, ut idoneos maxime viros, qui legem interpretarentur, deligeret. Pontifex autem eo nuncio, uti par erat, delectatus, existimansque haud sine divino instinctu curam huius rei suscepisse regem, considerans quinam apud se essent Hebraeorum peritissimi, qui praeter patrium graeca etiam pollerent eruditione, delectos ex singulis duodecim tribubus viros sex, libenter misit: qui diversis distributi cellulis bini, ut ait iudaeus Philo, aut singillatim, ut divus Iustinus narrat, divisi, in Pharo Alexandriae insula, totam divinam scripturam, ipsosque psalmos interpretati sunt, cunctique in ea lucubratione invicem consenserunt, nihil omnino inter se discrepantes sive sententiis sive vocabulis, sed eadem nomina ac verba, tamquam aliquo monitore invisibili singulis suggerente, narratis rebus accommodaverunt; ita ut miraretur Ptolemaeus. Facta est autem haec septuaginta duorum editio trecentesimo et uno ante Servatoris adventum anno.

Postea vero, temporibus Hadriani Romanorum imperatoris, Aquilas sinopensis, ex ethnico factus christianus, deinde ad iudaismum declinans, gratam Iudaeis edidit interpretationem. Post hunc sub Severo Symmachus patria samaritanus, cum haeretico Marcione versatus, et simultatem cum Samaritanis gerens, propectereaque Iudaeorum partes secutus, obtulit illis corruptae sententiae editionem. Post quos sub Commodo imperatore, Theodotio ephesius sacros libros prave perversaque fide vulgavit. Quinta etiam et sexta editiones repertae sunt, illa quidem sub Caracalla Romanorum principe, haec autem sub Alexandro Mammaeae filio, utraque incerto auctore et anonyma, neutra tuta. Sub Diocletiano autem et Maximiano tyrannis, sacer martyr Lucianus, vir iudaicis haud minus litteris quam graecis egregie instructus, Hebraeorum libros in nostram transtulit linguam, optime ac tutissime. Nos vero etiamsi huic quoque editioni honorem tribuimus, illam tamen septuaginta duorum praecipue sequimur, quia hi seorsum singuli interpretationem facientes, unum in unaquaque re sensum, eademque verba ediderunt.

Hi psalmos quoque interpretati, primum atque secundum absque titulis posuerunt, Esdram prorsus in hoc secuti. Etenim Esdras iudaeus diligens litterator ducentis quinquaginta ante septuagintaviralem

editionem annis, cum multos alios ex propheticis libris, partim Iudaeorum incuria, partim frequentibus captivitatibus dispereuntes recollegit, tum etiam tria milia psalmorum, quibus etiam titulos, qui adhuc sunt, imposuit. Verumtamen Ezecias religiosus rex centum tantummodo ac quinquaginta ex his selegerat (1), ceteris abrogatis: quod idem Salomonis quoque libris fecerat, tribus tantum conservatis, proverbiis, ecclesiaste, et cantico; ceteris omnibus reprobatis, quos redundans sapientiâ Salomon de caelo, elementis, plantisque, et harum singularum virtutibus conscripserat. Hoc autem pia mente fecit Ezecias, volens omnes homines ad solum Deum confugere, ab eoque cuiusvis incommodi ac morbi medicinam exquirere; non autem lignorum ac lapidum cultui semet addicere, atque ita Dei honorem negligere. Sed de his hactenus.

Chrysostomi.

Duas scripturarum obscuritatis causas (2) dicere possumus. Prior est, quia de hebraica dialecto ad graecam facta fuit translatio. Iamvero cum aliquid ex una in aliam linguam convertitur, multa est difficultas, ut plurium linguarum periti probe sciunt. Altera causa est, quod multa Iudaeis mala prophetiae praedicunt, quodque ipsi expellendi sint, nos vero introducendi. Ne igitur haec manifeste audientes, iam ab initio prophetis manus iniicerent, librosque abolerent, idcirco inter salebras interpretationis vaticinia sunt recondita.

Athanasii.

Tertio quaerendum est, quid sit psalterium, et reliqua. Est itaque psalterium instrumentum musicum decachordum, de summis compagis suae partibus resonantiam emittens, conformesque articulatae vocis melodiae sonos reddens: diciturque ab Hebraeis quidem nabla, a Graecis cithara. Conficiebatur enim ex ligno recto minimeque inclinato, in quo chordae decem tendebantur, singulaeque separatim in summitate ipsius psalterii constringebantur: nam decem claviculae seu paxilli in psalterii brachio vertuntur, atque ita chordas tendunt remittuntve, prout harmoniae rhythmus psallentisque libitum postulaverint.

Basilii.

Idem hoc magnus quoque Basilius dicit, nempe psalterium in superiore sui parte habere sonorum causam. Non enim ut in aliis fit instrumentis, musicus semel aptatis chordis, secure eas percutit; sed post praeparatam harmoniam, dextera quidem manus plectrum tenet, laeva autem superne chordas per intervalla taugens, ac saepe digitos transferens, gravem aut acutum sonum efficit. Iam cum multa sint musicorum instrumentorum genera, librum quidem psalmorum ideo, ut mihi videtur, ad psalterium cecinit propheta, ut adsonantem sibi superne a sancto Spiritu gratiam demonstraret; quia hoc unum inter musica instrumenta, sonorum causam in superiore sui parte habet, uti dictum est. Nam citharae (3) id est lyrae inferius aes resonat plectro percussum. Porro psalterium ideo superius harmonicorum rhythmorum originem habet, ut nos quoque superiora quaerere studeamus, neque harmoniae voluptate ad carnales affectus deprimamur. Illud praeterea arcane nobis sapienterque a prophetico sermone per huius instrumenti compagem demonstrari arbitror, nempe animas bene compositas ac temperatas, faciliorem habere ad supera ascensum. Denique psalterium quum sit decachordum, aenigmatice corpus denotat, in quo quinque sensus totidem animae operationibus respondent. Nam quum singulos sensus singulis animae potentiis consonos fecerimus, nosque ad sacram melodiam aptaverimus, tunc ipsimet psalterium coram Deo evadimus, nobis quidem recte temperatum, ab egregio autem artifice, Spiritu inquam, pulsandum. Atque haec de psalterio dicta sint.

Gregorii nysseni.

Psalmus est oratio musica hymnusque Deo oblatus, qui ab instrumento psalterio nomen accepit: quamobrem aliae scripturae, quae ad instrumentum minime canuntur, carent psalmi appellatione. Sed ne diapsalma quidem absque idonea consideratione praetermittendum est. Nonnullis quidem diapsalma mutatio quaedam cogitationis vel rei aut personae creditum est: aliis harmoniae mutatio, modo gravius modo acutius resonantis. Alii demum aiunt, Davidem solitum fuisse unumquemque a se compositum psalmum choro alicui canendum tradere. Quod si forte ei videretur circa medium psalmum, choro alteri partem reliquam psalmi concedere (4), tunc ea rhythmi successio diapsalma appellabatur. Nos tamen, patrum opinionibus nequaquam abiectis, excogitare aliquid proprium de huius vocabuli significatione non cunctabimur. Haec igitur de diapsalmate nobis oboritur opinio, quod si forte procedente psalmi cursu, prophetanti Davidi divina alia sancti Spiritus illustratio interim fiebat, gratiaeque in eius phantasia additio, ob eorum qui prophetiam audiebant utilitatem, tunc voce inhibita, tempus menti concedebat ad recipiendos qui sibi a divina illustratione creabantur sensus. Atque ut saepe aliqui inter se colloquentes, si forte improvisus strepitus auribus acciderit, intermisso dialogo mentem ei sono intendunt, silentio auditionem illam aucupantes; donec eius vocis cessante strepitu, iterum colloquuntur; sic magnus David spiritu dictante prophetans,

(1) Ita nostram lat. interpretationem ad veritatis normam dereximus. Nam graecus textus Nicetae, incredibili errore, videtur Ezeciam iuniorem dicere Esdra, seu tempus pervertere gestorum Ezeciae et Esdrae. Idem peccavit in Esdrae aetate, scribens 150 pro 250.

(2) Conferatur de eodem argumento quaestio Photii amplochiana 152, quam nos edidimus Script. vet. T. I.

(3) Ergo dissentit Basilius ab Athanasio, qui psalterium idem esse ait quod cithara.

(4) Supple in graeco, quae ὁμοιοτελεύτου vitio, typothetis consueto, exciderunt; καὶ ἄλλῳ χορῷ παραδοῦναι τὸ λοιπὸν τοῦ ψαλμοῦ. Item in loco Nysseni v. 2. lege κληθείς pro βληθείς. Et in loco Epiphanii v. 10. a fine lege κτηνώδης.

quae intellexerat, cantu efferebat. Quod si inter dicendum, novum aliquid disceret, tunc animi auditum spiritaliter sibi adsonanti praebens, suspenso cantu, ea quibus nuperius replebatur, pariter effundebat.

Est itaque diapsalma, subita quaedam inter psalmodiam cessatio, ob recipiendam divinitus inmissam cogitationem. Vel diapsalma est doctrina Spiritus animam secreto alloquentis, melodiae interim tenore ob novos sensus recipiendos interrupto. Ne autem multi existimarent, silentio illo indicium fieri, quasi sanctus Spiritus prophetantem destituerit, ideo nonnulli interpretes, loco diapsalmatis, vocabulum « semper » his in spatiis scribunt: ut hinc noscamus, gratiam quidem Spiritus sancti numquam non extitisse; sermonem tamen divinos sensus animae inmissos interpretantem, non semper adfuisse. Porro David sensus illos modo efferebat, modo excipiebat: ita ut dum impressas menti suae cogitationes proferret, continuo cursu psalmodia procederet; secus vero siqua divinior auribus eius fieret auditio, huic plane intentus cantum suspenderet. Semper itaque cum sanctus Spiritus, etiam silentii tempore, ei loquebatur, oratio quasi intervallum habebat: hoc vero intervallum dictum est ab interpretibus diapsalma. Quod autem divinioris inspirationis intensio sit diapsalma, vel hinc licebit cognoscere: nam initio tertii psalmi calamitates suas deplorat, anxiusque dicit: Domine, cur multiplicati sunt, qui vexant me? Circa medium autem psalmum, ubi diapsalma iacet, fiducia repletus confidit et audet, quasi propriam salutem aspiciat; clamatque: ego dormivi et soporatus sum: resurrexi, quoniam Dominus suscipiet me. De his hactenus.

Eiusdem.

Alleluia laudatio Dei interpretatur. Est enim allelu laudatio (*immo* laudate) ia vero Deus. Quapropter pro « laudate Dominum, quoniam bona res est psalmus » Symmachus scripsit « alleluia, quoniam bona res est psalmus. »

Basilii.

Psalmus a cantico differt, quia psalmus est musica oratio numerose secundum harmonicas regulas ad instrumentum pulsata. Canticum autem vox est canora ex harmoniae norma prolata, etiam sine instrumenti concentu. Quia vero psalterium ad Dei hymnos adhibitum, tropice est corporis nostri compago; ita et psalmus corporis actus significat, qui ad Dei gloriam fiunt, cum nos recta ratione temperati, nihil in nostris motibus dissonum perpetramus. Canticum denique intelligitur, quicquid in simplici contemplatione theologiaque versatur. Atque haec magnus Basilius.

Gregorii nysseni.

Frater autem Basili Gregorius psalmum exististimat esse vitam nostram, quae nequaquam terrenis vocibus seu cogitationibus resonet, sed purum exauditque facilem, ex supernis caelestibusque causis confectum sonum reddat. Canticum vero intelligimus in rebus externis honestatem. Atque ut ex musicis instrumentis sonus tantum melodus ad aures fertur, ipsa vero melica verba voce articulata non proferuntur; in cantico autem utrumque fit, nempe et melicus rhythmus, et verborum vis una cum cantu procedit, quam non agnosci necesse est, si musicis tantum instrumentis melodia fiat; sic ad virtutem tendentibus accidit. Nam qui theoreticae tantum contemplativaeque vitae vacant, quam rem psalmo denotatam tropice diximus, ii ignoratam plerisque virtutem sectantur, bonum suum intra propriae conscientiae fines claudentes. Qui autem quotidianos simul mores componunt, hi externa quoque honestate, ceu quadam oratione canticoque modulato, vitae suae bene compositam rationem prae se ferunt. Psalmus igitur mentis bonitatem denotat; canticum autem mores et externam honestatem.

Quoniam vero didicimus quid sit psalmus, nempe cum instrumento musico melodia; quid item canticum, nempe melos ore prolatum; superest dicendum quid sit hymnus, nempe pro collatis bonis reddita Deo gratiarum actio. Iam laudatio, est divinorum miraculorum celebratio. Oratio, supplicatio ad Deum pro re aliqua utili. Sed de his alibi dicetur.

Chrysostomi.

Quartum iam caput scrutantes, num psalmi omnes sint Davidis, dicimus ter mille fuisse psalmorum cantores, ex levitica sacerdotali stirpe, qui in tres distributi choros Davidis psalmum canebant. Praeerat primo choro Idithum magister; secundo Aetham; tertio Asaphat. His fessis succedebant Core filii; unde contigit, ut multos David psalmos horum nomine canendos curaverit. Atque hinc perperam nonnulli existimaverunt, ipsorum esse hos psalmos, quia et eorumdem nomina interdum in psalmorum titulis reperiuntur. Sunt vero omnes psalmi, ut meliori veraeque sententiae videtur, Davidis.

Basilii.

Non sine cantu autem haec prophetia recitatur, ut unusquisque et animum suum recreet canendo, et lectionis laborem minus sentiat. Quia enim videbat Deus multos homines ad ignaviam valde pronos, atque ad spiritalis argumenti lectionem torpentes, eiusque rei molestiam aegre ferentes; ut laborem paulo gratiorem efficeret, et fatigationis sensum subtraheret, beati Davidis linguam commovit ad melodiam vaticinio admiscendam, ut nos rhythmi modulatione delectati, alacriter admodum sacros hymnos ei offeramus. Sic enim natura nostra cantu harmoniaque adficitur, ut et infantuli vagientes ita consopiantur, et textrices feminae, et viatores ac nautae, suorum operum laborem cantu solentur; quia facilius animus, si melos audiat et canticum, molesta quaevis et laboriosa tolerare potest. Quia igitur ita se habet animus noster erga hoc delectationis genus, ne forte daemones obtrusis canticis meretriciis omnia pessumdent, psalmos hominibus Deus fabricavit, ut ea res voluptati simul et utilitati sit: nam et sanctus Spiritus animae ita psallenti celeriter insilit.

Basilii.

Quia noverat sanctus Spiritus, uti iam diximus,

aegre genus humanum ad virtutem flecti, et quia sumus ad voluptatem proclives, rectam nos vitam negligere, melodiae iucunditatem dogmatibus immiscuit, ut auditionis suavitate sermonum utilitatem latenter reciperemus. Ac quemadmodum sapientes medici cum austeriora atque amara remediorum pharmaca dant aegrotis ac nauseantibus, ea tolerabilia facere solent, mellis iucunditate condientes; sic etiam vitam cum virtute actam, per se certe asperam, melodiae usus suavem reddit. Propterea harmonica haec psalmorum cantica sunt excogitata, ut tenera aetate pueri, vel quilibet iuvenilibus moribus praediti, specie quidem videantur cantui indulgere, reapse autem animi ipsorum erudiantur. O sapiens magistri inventum, qui ut nos caneremus simul, et utilia disceremus, provide effecit! Unde etiam validius animis imprimuntur doctrinae: nam scientia violenter tradita, perdurare non solet: secus vero quicquid delectabiliter et iucunde nobis inseritur, id stabilius in animis nostris residet. Manifesta ergo causa, ob quam non sine voluptate psallendo operam damus, haec est, nempe quia verba cum melodo cantu proferimus.

Gregorii nysseni.

Videtur autem per philosophiam, quae in melodia sita est, maius quid, quam vulgo existimatur, significari. Quid porro aio? Audivi a quodam, qui de nostra natura disserebat, sapiente parvum veluti mundum esse hominem, cuncta in se magni mundi elementa continentem. Revera universi huius dispositio, musica quaedam harmonia est, multipliciter varieque, non sine tamen ordine quodam rhythmoque, inter se concinnata. Hac divina hymnodia videtur mihi magnus David audita, dixisse quodam in psalmo, laudari Deum et ab aliis cunctis caeli virtutibus, et a sidereis luminaribus, a sole ac luna, a caelis caelorum, et ab aquis quae supra caelos sunt. Si ergo universalis haec dispositio, musica harmonia est, itemque homo mundus parvus est, musica illa quae in universo conspicitur, eadem in humana quoque natura apparebit.

Id ostendit organica quoque corporis nostri compages, quam natura ad musicam operationem affabre struxit. Vides arteriae tibiam, palati testudinem, et linguae, maxillarum, atque oris, chordarum instar ac plectri in cithara, resonantiam. Quoniam igitur quod secundum naturam est, id naturae est amicum, demonstratumque fuit congruam esse nobis naturaliter musicam; ideo magnus David virtutum magisterium implicuit melodiae, ceu mellea dulcedine sublimia dogmata aspergens. Mihique per aenigmata suadere videtur, non oportere iniucundos neque absurdos neque absonos hominum cum virtute viventium esse mores, sed bene potius compositos ac modulatos, neque ultra debitam rationem exaggeratos. Infringitur enim, nimia chordae intensione, recta temperatio. Neque rursus immodicae voluptati effundendae habenae sunt. Muta enim vocisque expers fit anima voluptatum passionibus relaxata. Ex dictis itaque patet, quô melodiae aenigma spectet, nempe ut passionum cohibitionem suadeat, quae nobis per diversas vitae vices eveniunt. Quamobrem divinae huius musicae praeclaros effectus Davidi ipsi attribuit historia, qui Saulem insanientem ac mente deiectum quum deprehendisset, talem illius morbo medicinam canendo fecit, ut ad naturalem mentis facultatem redierit.

Epiphanii.

Psalmorum autem librum, id enim quaerendum supererat, in libellos quinque Hebraei dispescunt, ut hinc novus pentateuchus exortus sit. Namque a I. ad XL. psalmum, reputant libellum primum. A XLI. ad LXXI, alterum. A LXXII. ad LXXXVIII, tertium. Ab LXXXIV. ad CXV. quartum. Hinc usque ad finem conficitur quintus. Namque omnem psalmum, cuius in calce est « benedictus Dominus, fiat, fiat » finem facere libello censuerunt; quinta tantum sectione, pro « benedictus Dominus » habente « omnis spiritus laudet Dominum. » Quale vero est huius ordinis artificium? Prima quidem sectio, a malitia hominem retrahit. Secunda, hunc iam melioris rei cupidum, quasi cervam sitientem, deducit. Tertia spectatorem eum facit rerum naturae: quam bonus enim, ait, Deus Israhelis! Ego vero belluino ingenio eram cum caducarum rerum modulo bonum metiebar: nunc vero tecum sum, postquam ad potiora transivi. Quarta hominem diutius profanum esse non sinit, sed Deo copulat. Nam LXXXIX. psalmo inscritur titulus: oratio Moysi homini Dei. Quinta in supremi gradus culmine statuit, ubi humanae salutis complementum est. Omnis enim, inquit, anima laudet Dominum.

Haec gustûs causa dicta sint. Iam tempus est ut opiparam ipsam mensam, quam divus David praeclaris convivis suis apparavit, exhibeamus.

Deinde in praeclaro Nicetae codice sequitur amplissima Patrum graecorum catena in psalmos usque ad LXXVI, id est psalterii dimidium: namque altera pars secundo catenae volumine, quod periit, continebatur. Hanc nos codicis vaticani catenam interim praetermittimus, etsi ab illa edita per Corderium valde differt. Unum sumimus ex hac catena vat. Cyrillum, cuius item nonnisi inedita segmenta nostro in libro collocamus, omissis corderianis. Verumtamen Cyrillum non ex Nicetae tantum codice excerpimus sed etiam ex aliis undecim bibliothecae vaticanae graecis codicibus. Denique Cyrilli prohoemium suae in psalmos explanationis, in vaticanis catenis desideratum, nos Veronâ nuper transeuntes in membrana vetere feliciter nacti sumus.

SANCTI CYRILLI

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

EXPLANATIO IN PSALMOS.

PROHOEMIUM.

Sacrae litterae, et divinarum doctrinarum volumina, nobilem disserentibus suppeditant utilitatem. Melior est enim sapientia lapidibus pretiosis: immo quicquid honorabile est, comparari ei nequit *. Existimo autem perquam alacriter esse laborandum; * Prov. III. 14.
atque in his tantopere fructuosis, socordiam pigritiamque vincendam ab eo certe qui eximiarum rerum studio teneatur. Neque enim iis, quibus pigritia obrepere solet, egregia facinora patrare continget, sed iis potius qui sudorem pati decreverint. Hinc ego quoque nunc sum exacutus, ut pro viribus breviter psalmorum etiam librum interpreter. Hi enim maxime canuntur in ipsa Domini ecclesia ad populi auditum. Et Asaphus quidem propheta haberi potest tamquam princeps et magister constitutus a Davide in populo ad canendum Domino, eique confitendum. Haec tantum in praesenti dicta a nobis sint. De reliquis autem quae occurrent, puta de diapsalmate, vel obelo, vel lemnisco, vel alia re quavis, in unoquoque psalmo, Domini favore ductus, eiusque comitante gratia, mentionem postea faciam. Et de praedictis quoque in subsequentibus latius loquar, Dei gratia favente.

PSALMUS I.

Et omnia quaecumque faciet prosperabuntur. v. 3.
Gr. p. 143.

Ante Servatoris quidem nostri adventum haud facile erat mortalibus superare viribus suis absurdam voluptatem, et mundanis cupiditatibus superiorem se constituere. Postquam vero nobis apparuit Deus dominus, plana et facilis nihilque habens arduum aut asperum visa via est quae nos ad virtutem ducit.

Non resurgent impii in iudicio etc. v. 5.

Sequitur (culparum minorum reos) quaedam etiam aliquando misericordia, ne pari cum impiis poena multentur. – Itaque reviviscent quidem et hi, verumtamen haud in concilio iustorum: « concilium autem iustorum intellige ordinem quemdam aut dignitatem (2). » Nam etsi aliqui forte fuerint, ex his qui peccarunt, misericordia aut indulgentia digni, non ideo tamen in sanctorum choris connumerabuntur. Alia enim horum est sors, excelsa gloria, admirabilis gratia, immortale gaudium. Fructum quippe praeclarorum operum colligunt, et suae ad omne bonum alacritatis mercedem percipiunt, Christo ipsis dicente: venite benedicti patris mei, possidete para-

(1) Saepe suum laboris amorem praedicat S. Cyrillus, nempe in prohoemiis ad glaphyra, ad Oseam, ad Isaiam, ad Iohannem, ad dialog. VII. de Trin., ad op. de ador. in sp. et ver. et contra Nest., nec non homil. XVII. et XXVI. Profecto nihil est dignius, animarum praesertim pastore, quam assiduum sacrae scientiae studium. Hinc tot egregii ab antiquis praesertim episcopis pro sancta religione orti sunt libri.

(2) Haec brevis pericope non legitur nisi in codd. B. et E, nempe: *βουλὴν δὲ δικαίων φησὶν οἷον τὴν τάξιν καὶ τὸ ἀξίωμα.* Hinc Romanorum senatus dicebatur a Graecis *βουλή*.

tum vobis regnum a mundi constitutione. Tu vero animadverte, primum Davidem et iudicii et promissionis vitae futurae manifestam notitiam intulisse, quum Moyses nihil horum memoravisset (1).

PSALMUS II.

v. 1. **Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?**

Gr. p. 134. Heic quoque manifestius Iudaeorum vesaniam, et effrenatam adversus Christum audaciam, et consiliorum vanitatem, cogitationumque puerilitatem ferme incusat dicens: quare fremuerunt gentes? – (2) Alioqui frustra fuissent prophetarum libri, si quidem praedicatum ab illis generis humani Servatorem non erant recepturi.

v. 6. **Ego autem ab eo rex constitutus sum.**

Nullius rei naturaliter indigens, quicquid accipere dicitur, ideo ut nos fiamus participes, accepit. – Electus sum, inquit, rex a Deo patre, ut annunciem praeceptum eius, et quidem ante alios Sionis incolis. Atque id arbitror adfirmabat Christus quum
* Matth. XV. 24. dixit *: non sum missus, nisi ad oves quae perierunt domus Israhelis. Nam quia his praedicationis debebatur gratia, primis ipsis evangelicae doctrinae largiebatur sermonem, et per fidem in ipsum iustificationem.

v. 7. **Filius meus es tu; ego hodie genui te.**

Novit ergo David Christum, et quidem aeternum tenuisse deitatis thronum, pro-
* Ps. XLIV. 7. pter inenarrabilem ex patre nativitatem. Sedes enim tua, inquit, Deus in saeculum *.
Gr. p. 135. Novit ipsum humanitus quoque regnum in tempore accepisse, propter incarnationis novitatem. Et iterum aeternam illius generationem ostendit dicens: filius meus es tu. Fuit enim semper filius. Tum et illam quae secundum carnem est demonstrat, addens: ego hodie genui te. Namque hodie, temporis est (3). Donavit autem ei Deus tamquam homini nomen quod est super omne nomen, filii scilicet. – Vocabulum « hodie » praesens tempus, quo caro factus fuit, declarat; qui tamen naturâ suâ re-
* Ioh. I. 11. rum omnium dominus erat. Testatus est enim de eo Iohannes *, quod in propria venerit, propria illius appellans mundum. Tamquam ad gloriam sibi consuetam, in regnum vocatus aiebat: ego autem constitutus sum rex ab eo, id est a Deo patre. Haec autem pertulit, ut in humanitate factus filius, etsi iam erat natura propria filius (4), viam per semet sterneret naturae humanae ad consequendam adoptionis participationem, atque ad regnum caelorum vocaret homines peccati tyrannide oppressos. Sicut enim, ceu quamdam hereditatem ad universum ex patre genus transmissam, transgressionis Adami mala recepimus, maledictione et morte gravati, ita vicissim in universum hominum genus splendida Christi dona decurrunt. Accipit enim nobis, non autem omnino sibi, Unigenitus; plenus quippe is est, utpote natura Deus (5), nec rei cuiusvis indiget; ditat vero ipse magis supernis bonis omnem creaturam.

(1) Similiter divus Hieronymus epist. 139. 5. *Mihi in evangelio promittuntur regna caelorum, quae instrumentum vetus omnino non nominat.* Sed tamen figurate saltem atque in aenigmate videri Moysem regnum caelorum denotavisse, non negant Photius in amphilochiana sexta quaestione, quam nos edidimus Script. vet. T. I., et Eusebius chron. lib. I. cap. 16. editionis nostrae mediolanensis. Diligenter vero ex recentioribus Chr. Colbergius, inter Dav. Michaëlis opuscula Goettingae an. 1759, hac super re disputavit, multis laudabiliter prolatis argumentis ob adserendam Moysis de futura vita sententiam.

(2) Sequens fragmentum a praecedente non pendet, ut saepe fit in catenis.

(3) Consentit Cyrillo diserte hoc loco etiam Theodorus mopsuesteuus: *πρὸ αἰώνων υἱός, σήμερον γεννᾶται γενόμενος ἄνθρωπος: qui ante saecula filius erat, hodie nascitur factus homo.*

(4) Unicum esse filium, quamquam Deum simul et hominem, adseverat sexcentis in locis Cyrillus.

(5) Perpetuus divinitatis Iesu Christi praedicator est Cyrillus, ut ex toto hoc volumine patet.

Postula a me, et dabo tibi gentes. v. 8.

Uno Israhelis populo ad vecordiam verso, ideoque abiecto, cunctae gentes traduntur Christo in quem credunt. Ipse enim est expectatio gentium, et in eum gentes sperabunt. Ac pro una Iudaeorum regione, mundi terminos acquisivit.

Et dabo tibi gentes hereditatem tuam. v. 8.

Nimirum quatenus homo, fit heres omnium, ut mox ceu suam hereditatem salvet eos qui in mundo ab adversariis potentiis vexabantur. Qua re peracta, ait patri filius: quos mihi dedisti, tui erant, et mihi eos dedisti *. Si ergo patris erant, nec non et eius qui cum illo regnat naturalis filii, hic quidem in proprias venit opes etiam carne vestitus. Quamobrem aiebat: omnia mea, tua sunt; et tua, mea. Ergo etiamsi dicitur et factus heres, et accepisse, secundum humanitatem id dicitur. Factus est enim homo, ut praedicaret captivis remissionem, qui a Deo recesserant. Sed haud idcirco Deus non mansit, quamquam hominis paupertate assumpta. Quare et Hebraeos Paulus aiebat *: per quem fecit et saecula. – Haud gloriae vel cuiusvis rei indigens filius, qui Verbi dignitate pollet, postulat a patre, et accipere dicitur, sed haec per dispensationem fiunt. Accipit enim humanitus, propter similitudinis nostrae formam. Est autem plenus tamquam Deus. Et paulo post. Postulat itaque et accipit a patre propter nos, quae ipse tamquam Deus naturaliter habet. Sed quia indigentem gloriae carnem assumpsit, eaque non alterius cuiusquam, sed ipsius est, merito sibi propria reputat, quae in ipsa et circa ipsam fiunt: et quatenus homo rebus illis egens, accipit a patre, etsi eas iam naturaliter habet tamquam filius et Deus.

Gr. p. 146. * Ioh. XVII. 6. * Hebr. I. 2.

Et possessionem tuam terminos terrae. v. 8.

Hinc demonstratur, vaticinium hoc ne Zorobabelis quidem tempori, ut Iudaei contendunt, posse accommodari. Quid enim ille accepit, aut quos terrae teminos possedit? Sed recte in Christum cadere, qui universum mundum in suam redegit potestatem (1).

Tamquam vasa figuli confringes eos. v. 9.

Quamdiu reformationis spes fuit, lutum dicebantur. Nonne enim, inquit *, veluti figulus reformare vos potero, domus Israhel? Postquam autem malitiā excocti, facti sunt ceu testae, confractionem illis insanabilem comminatur. Regit vero et gentes Christus cruce sua veluti virga, suaque haud fragili sed valida potestate regia. Nam virga regni quoque symbolum est; ut illud *: virga rectitudinis, virga regni tui. Haec autem vasa confringit, non ut pessum det, sed ut reformet. Hic enim est figuli scopus, cum vasa sua frangit, nempe cum incolumem suam non servant facturam, nisi denuo igni admoveantur.

* Hier. XVIII. 6. * Ps. XLIV. 7. Gr. p. 147.

Adprehendite disciplinam. v. 12.

Adprehendite, per hyperbaton dictum, referendum est ad id quod paulo post sequitur « cito. » Apprehendite cito disciplinam, adhuc in hac vita superstites, ne irascatur Dominus, vosque a gaudio iustorum excludat. Mordicus inhaerere nos Domini doctrinae volens, recte vocabulo adprehendere usus est.

(1) Constans Patrum ecclesiae iudicium est, hunc psalmum nonnisi de Christo posse pronunciari; cuius interpretationis concors auctor fuit primorum fidelium ecclesia et Paulus ap. act. IV. 25. XIII. 33. Quare, ut alios audaciores mittam hodiernos, certe a religiosissimo Bossueto (cui ceteroqui propheticus psalmus est) dictum nollem ad v. 6. constitutus sum rex etc. « haec quidem utcumque Davidi congruunt, sed melius Christo. » Etenim ipse Rosenmüllerus Davidem et alios quosvis prorsus excludit, nec nisi propheticum psalmi huius sensum admitti posse valde valideque contendit, Hebraeorum quoque veterum firmam de hac re opinionem fuisse dicens.

PSALMUS III.

v. 2. **Domine, quid multiplicati sunt?**

Ait itaque: quid multiplicati sunt? vocabulum quid, pro valde dicens. Expave-
scit enim innumeros cernens qui insidias ipsi struunt. Et metuit quidem ut homo,
haud tamen cedit terroribus; sed roboratum habens a Deo cor, expectat se rebellan-
tibus fieri superiorem. Porro Davidem premebant multiplicati, illi videlicet Absalomo
* II. Reg. XV. 12. adiuncti ex Hierusalem ducenti viri *, cum ei Achitophel etiam et Thecon (1) adhae-
serunt, validusque seditiosorum globus et populus multus cum eodem erat. Hi omnes
videlicet Davidi molesti erant, in quibus etiam Semei, qui abeunti eidem maledicebat.

v. 4. **Tu autem Domine susceptor meus es.**

Postquam suas ex inimicorum seditione angustias et anxietatem dixerat David,
nunc canticum diapsalmate (2) quasi interpungens distinguit, et ei confisus a quo ar-
cane inspirabatur, salutarem hanc locutionem pronunciat: tu autem Domine susce-
ptor meus es. Illi, inquit, arma commovent, et me potituros sperant, quasi tua sim
Gr. p. 118. gratia nudatus; verumtamen servatorem meum redemptoremque probe novi. Haud
arcui confido, neque meus me gladius servabit, sed pro inexpugabili muro, et ar-
matorum invicta multitudine, benivolentia tua Domine mihi est, tuaque susceptio:
neminemque metuam, tua mihi clementia gloriam tribuente, meumque caput levante,
id est illustri loco supraque hostes me collocante. Aut capitis vocabulo, principatum
suum denotat, quem brevi tempore depressum, mox relevatum receperat. Immo et-
iam Servator dicere potest quatenus homo patri: tu susceptor meus es, neque animam
* Ioh. XII. 28. meam in inferis derelinquis; sed gloria mea es (3), qui dixisti *: et glorificavi, et ite-
rum glorificabo: et caput meum, divinitatem scilicet, extulisti, id est prodigiis cla-
ram fecisti. Nam miracula quae circa crucem acciderunt, perspicuam omnino divi-
nitatis Unigeniti fecerunt demonstrationem. Extollit nostrum quoque caput Deus, id
est mentem atque animum, cum sursum spectamus, omne corporeum despicientes.

v. 5. **Voce mea ad Dominum clamavi.**

Calamitates suas narrans propheta, atque ut fortiter casus illos pertulerit, exem-
plo suo magisterium nobis clarissimum patientiae tradit, docetque nonnisi ad Deum
in adversitatibus esse confugiendum; et quod huius perfugii fructus sit, ab eo exau-
diri. Nunc certe converso ad nos vultu psalmista, quomodo orans exauditus fuerit,
narrat dicens: voce mea ad Dominum clamavi, et audivit me de monte sancto suo.

v. 6. **Ego dormivi, et soporatus sum.**

Hoc loco somnum mentis dicit, cuius causa in peccatum quoque deciderat. (Al.
cod. Fatetur peccatum; et somno, qui menti propriae obrepserat, culpam casus prae-
sentis tribuit.) Mens enim vigil dat operam satagitque ut malum arceat, et rem quam-
libet nocuam devitet: contra vero supina mens et aegra torpet, et a carnalibus prae-
sertim passionibus superatur. Itaque mentionem simul facit peccati sui, et gratiarum
canticum Deo offert dicens: equidem socordia mea decidi quasi somnolentus in pec-
catum, cum Bersabea rem habens, et Uriam occidens. Neque ad paenitentiam exci-

(1) Ita prorsus legebat Cyrillus, non autem *Achitophel theconites.*

(2) Videsis quae de diapsalmate traduntur in praefatione Nicetae. Nimirum est hebraicum illud voca-
bulum סֶלָה, de quo triginta saltem feruntur eruditorum diversae sententiae. Itaque nos in hoc agone
oleum et operam non perdemus. Saepe recurrit in psalmis, quandoque etiam apud Abbacucum.

(3) Exciderunt a graecis typis verba: εἰπών, καὶ ἐδόξασα, καὶ πάλιν δοξάσω.

latus essem, nisi Dominus me suscepisset (1). Haec porro verba sunt aperte fatentis humanae mentis infirmitatem, laudibus vero exornantis perpetuum opis salutisque auctorem Deum, qui diaboli laqueos confringit, et irretitos inde eripit. Sed enim Absalomo quoque rebellante, ait: ego ignaviter me habui, ac paene dormivi; nunc vero surrexi, cognovique Dominum iniuste mihi oppresso opem esse laturum. Excutiam au- *Gr. p. 149.*
tem pusillanimitatis somnum, quem mihi calamitatis nox adtulit, atque ad alacritatem consurgam, visa veluti candida die, rerum mearum hilariore restitutione. Etenim subsidii divini expectatio, me dormire vel animum despondere haud sinit.

Non timebo milia populi. v. 7.

Postquam, inquit, Dominus suscepit me, exsurrexi, atque adeo viriles sumpsi animos, ut nullo iam timore quaterer, etiamsi populi myriades Abessalomo conspirantis me circumdarent. Egregia igitur est sanctorum fiducia: prorsus enim non formidant concitatam contra se innumeram inimicorum multitudinem, dummodo Deus defensor sit. Sufficit enim ipse vel solus ad myriadas multas praesentia sua dispergendas. Certe nec Dominus, passionis suae tempore, circumsistentes se Iudaeos et ethnicos timuit; ideoque angelorum etiam legiones recusavit.

Exsurge, Domine; salva me Deus meus. v. 8.

Non est innocuum afflictis silentium; sed utile ac salutare est dicere: exsurge, Domine; salva me, Deus meus. Ceteroquin id haud omnibus congruit. Nam qui divina iussa contemnunt, suisque voluptatibus totas veluti habenas effundunt, quomodo aut unde fiduciam suam in Deo reponent? Secus vero, ii qui docilem divinis legibus cervicem supponunt, magnopere in Deo confidunt, meritoque dicent: exsurge, salva me fidelem servum tuum. Quare et David dominum appellat Deum suum, quia nempe voluntati illius obsequebatur. Aitque: salva me, Deus meus; magno cum affectu universalem Deum sibi proprium faciens, atque ut exsurgat ad opem sibi ferendam deprecans. Digna vero est mansuetudine eius oratio: non enim dixit: perde inimicos meos; sed quid? salva me. Hoc unum, inquit, peto ut salver ego, non ut inimici mei pereant. Fortasse etiam, utpote propheta, fore cognoscens ut suam animam in inferis retentam Christus liberet a morte resurgens, rem futuram nunc praedicit; et Domini resurrectionem properare orat, et per eam ipse quoque salutem consequatur. Tamdiu vero, secundum scripturae proprium morem, Deus dormire dicitur, quamdiu procrastinat. Ut illud: quare obdormis, Domine *? Excitari vero, cum fit vindex et in- * Ps. XLIII. 23.
spector. Igitur heic ait: exsurge, Domine; hoc est: omitte tantam longanimitatem, *Gr. p. 150*
atque ad me suscipiendum evigila. Cum vero etiam Servator, nostri causa, traditus fuit, ipsi quodammodo obdormiebat pater, eam rem tolerans. Quem sic alloquebatur *: salvifica me ex hac hora. Hoc idem et nos in tentationibus dicere possumus. * Ioh. XII. 27.
Verumtamen hoc animadverte, quod tum Deus ad salvandos nos exsurgit, cum ipsi evigilare voluerimus. Quare et David, primo quidem socordiae somnum discussit, deinde Deum quoque ut sibi opem ferret precatus est.

Quoniam tu percussisti omnes mihi adversantes sine causa. v. 8.

Observa dicti cautelam: non enim simpliciter dixit adversantes, sed sine causa id agentes, id est vane, supervacue, et sine ulla Davidis culpa. Temere autem homo est infensus, cum nulla praecessit iniuria, neque aliquid passus est eorum quae affligere atque irritare solent. Ille enim sine causa habet inimicos, qui odii et inimici-

(1) En gratiae divinae necessitatem. Mirum quippe Dei consilium fuit, ut duo nobilissimi contemporales gratiae dogma defenderint Cyrillus atque Augustinus. Recole pag. lat. 17.

tiae ansam non dat, cuiusmodi sunt ii qui ob pie vivendum persecutionem patiuntur.
* Matth. V. 11. Quibus ait Servator *: beati estis, cum contumeliis vos adficient, et persequentur, dicentque omne mali verbi genus adversus vos mentientes, propter me, et reliqua. David quoque multos habuit temere sibi irascentes, Saulem, Abessalomum, ut eorum adseclas. Quum enim ipse multam eis exhibuisset clementiam, stulte erant inimici.

v. 8. **Dentes peccatorum contrivisti.**

Locutionem « dentes contrivisti » tamquam de saevis beluis dixit. Sanguinarii enim plerumque ii sunt qui peccatis delectantur, et contra sanctorum bonam famam dentibus strident. Mos autem inspiratae scripturae est feris comparare homines, qui aliquibus crudeliter abuti meditantur. Itaque, dentes contrivisti, pro, omni eos vi spoliasti, dictum est; sumpta metaphora a feris, quae ablatis dentibus, contemptibiles admodum sunt et imbecillae. Dicet autem etiam Servator patri suo: tu percussisti Herodem infanticidam, sine causa mihi irascentem; percuties quoque Iudaeos, Romanis illos tradens; dentesque eorum conteres, propterea quod dixerint: non habemus regem. Et, sanguis eius super nos. Percutiuntur a Domino etiam daemones, quia nulla re a nobis laesi, temere nobis ob malitiam suam insidiantur: sed intel-
Gr. p. 151. lectuales ipsorum dentes, passiones inquam, quibus simpliciores comedunt, conterun-
* Ps. LXXIII. 13. tur. Tu enim, inquit psalmista *, capita contribulasti draconum in aquis delitescentium: tu magnum cete resurrectione tua domuisti: tu inferos destruxisti, mortem calcasti, diabolum futilem reddidisti. Et mecum quaeso observa, quomodo detrimentum ii demum perferunt qui iniuriam faciunt; a Deo enim percutiuntur. Ab aliis autem laesi, potius iuvantur, quia salutem ab eo consequuntur.

v. 9. **Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua.**

Decet hominem sanctum aliis quoque a Deo id precari, quod sibi bene evenire vult. Hic enim nequaquam se solum fieri participem optat divinorum beneficiorum, sed communem cunctis Dei amatoribus hanc beneficentiam patere. Neque mireris hoc esse sanctorum studium; siquidem condolent pariter patientibus, collacrimant cum flentibus, et debitam peccatoribus Dei iram sibi quoque communem dicunt. Fortasse etiam theologice hic David loquitur: nempe, utinam a te, Domine pater, mittatur servator Iesus, humanae naturae salus, et sancti Spiritus benedictio super populum descendat, id est super gentes, quibus utinam omni spiritali benedictione benedicas! In Christo enim omnes gentes benedicentur, Iudaei autem expellentur. Iam Christus ipse salutis suae, quam resurgens adeptus est, patrem auctorem habere dicit; pariterque benedictionem credentibus concessam, ipsi acceptam refert. Idcirco ait: venite benedicti patris mei, et possidete. Recte insuper psalmus humanae etiam naturae accommodabitur, quam affligebant daemones ante Servatoris adventum: verum hi Christi humanati virtute percussi fuere; oppugnata autem ab ipsis natura salutem ac benedictionem adepta est.

PSALMUS IV.

v. 1. **In finem, in hymnis. Psalmus cantici Davidi** (1).

Tertium quidem psalmum composuerat beatus David, fervente adhuc adversus Absalomum bello; quare et eiulatibus refertus erat. Quartum vero hunc psalmum post eius belli victoriam dedicat victori Deo ob gratiarum actionem. Quamobrem alii

(1) Ita est in tertio casu τῷ Δαβίδ apud Septuaginta interpretes, quod ut sine ambiguitate sit, vulgatus saepe scribit *ipsi David*. Porro videsis a nobis adnotata ad Didymi fragmentum in calce operis.

interpretes pro « in finem » victori (1), idest triumphale hoc praetitulant canticum.
Inscribitur autem « in finem » quia ob tyrannidis depulsionem psalmus est compositus. Gr. p. 152.
Porro dicitur « in hymnis » quia haud iam lacrymatur David, sed datorem victoriae Deum collaudat. Item psalmus cantici appellatur, quia panegyrici more ac laetiore cantu triumphum celebrat.

Deus iustitiae meae. v. 2.

Alio loco comperiemus, eundem Davidem qui nunc opportune iustum se dicit, peccatorum semet reum fateri. Qui autem fieri potest, ut idem et iustus sit et peccatorum reus? Nempe quia iustis quoque prolabi contingit; iuxta illud *: septies cadet iustus, totiesque resurget. * Prov. XXIV. 16 Aliud itaque est incessanter peccare; aliud vero si quis, dum iustitiam sectari nititur, communem interdum experiatur infirmitatem. Delicta enim, uti scriptum est *, quis intelliget? Quis item purum se habere cor gloriabitur *? * Ps. XVIII. 13. * Prov. XX. 9.

In pressura dilatasti me. v. 2.

Quia dixerat se exauditum a Deo; tamquam si modo aliquis eum interroget, quanam in re exauditus fuisti, o propheta? quidve tibi iucundum accidit? declarat accepti auxilii rationem, aitque: quia in pressura dilatatus sum; id est non modo ab angustiis molestoque negotio expeditus fui, verum etiam ad animi laetitiam relaxatus. Etenim exaudiit me Dominus, haud opes tribuens, vel hostium (2) oppressorem me praestans, neque enim haec postulavi, sed me de media pressura remittens. – Itaque et Paulus audiit *: sufficit tibi gratia mea; nam mea virtus infirmitate perficitur. * II. Cor. XII. 9. Utique et ii qui peccati laqueis evaserint, et qui fide perfecti, pressuras pro Christo ac dolores pertulerint, caelestibus perfruentur bonis. Sed enim ad Servatorem quoque potest hic sermo pertinere, innuendo scilicet ipsum quoque passione fuisse consummatum, et patiendo factum sublimiorem. Praeterea sciendum est, eas quidem quae iustis obveniunt calamitates, dici a divina scriptura pressuras, quia causa exercitationis ipsis accidunt; quae autem improbis, flagella appellari. Ut illud *: multa flagella peccatorum. * Ps. XXXI. 10. Flagellantur enim, et ob peccata sua castigantur.

Et exaudi orationem meam. v. 2. Gr. p. 153.

Cur vero qui exauditum se dixerat, nunc iterum audiri se postulat? Tempus pro tempore ponitur: nam pro « misertus es mei, et exaudisti » dictum est miserere et exaudi. Vel fortasse etiam perpetuo audiri se flagitat; propterea quod fieri nequit, quominus ii, qui pie vivere volunt, in pressuris omnino versentur. Ergo etiamsi cunctae eius preces exauditae fuerant, nihilo tamen minus de futuro laborat. Unde et rursus orat, quam sit utilis oratio probe gnarus. Quamquam enim a doloribus et pavore expeditus fuerat, attamen uti homo, et futuro tempori timens, ne forte ingruentibus tentationibus satis non resistat, expediri se angustiis petit, et has ipsas dolorum causas praetervehi. Quare et ait: miserere mei; id est certamen dirime, da ut prorsus sim liber.

Filii hominum, usque quo gravi corde? v. 3.

Sensus quidem historicus est, ut haec iis dicantur, qui exercituum multitudine putabant se iustum capturos. Namque ipsa experientia edoctus David, quam utile sit Deo confidere, ab eoque uno salutem exquirere, communem vult esse eruditionem exemplum suum, aitque: o caeco intellectu et crassa mente praediti, quamdiu hunc morbum non depelletis? quamdiu ignorabitis, vanam esse et mendacem fiduciam in hominibus constitutam? Gigas enim non salvabitur suarum virium copia. Diserte vero

(1) Nempe Aquilas νικοποιῷ, Symmachus ἐπινίκιος, Theodotion εἰς τὸ νῖκος, Hieronymus *victori*.
(2) In graeco textu corrige ἐχθρῶν pro ἐχθρῷ.

David filios hominum appellat eos qui improbe vivunt, atque ad impietatem sunt proclives. Nam qui aliter se habent, ii natura quidem filii hominum sunt, gratia autem non ita, sed filii Dei.

v. 4. **Et scitote, quoniam mirificavit Dominus sanctum suum.**

Terrestrium rerum delectatio, haud differre videtur a spectaculorum iucunditate, quae statim ac spectata fuerint, nullius usus sunt, menti tantummodo illudunt otiosae. Secus vero iustitiae decus, eique decreta a Deo praemia, longum perennemque
Gr. p. 154. usum praestant et illustrem dignitatem. Excipit enim Deus sanctorum voces, et votis annuit: cui rei, quis parem inveniet?

v. 5. **Irascimini, et nolite peccare.**

Nemo irae passione immunis est, quae matrem habet dolorem, aut simultatem, aut aviditatem, aut ab aliquibus iniectum convicium. Possumus tamen iram amputare, haud secus quam corporis appetitus (1). Namque hos in nobis omnino non commoveri, fortasse ineluctabile est, neque arbitrii nostri. Possumus tamen commotiones has increpare; sicuti et iram; quae sane truculenta est dum commovetur; sed tamen ceu quibusdam frenis cohibetur meliore aliqua cogitatione. Et quamdiu quidem ea passio inefficax intra nos est, veniam a Deo meretur: sed si eiusdem tristes erumpant effectus, tunc poenas dabimus. Idem carnalibus quoque appetitibus usuvenit. Nam quamdiu in nobis ea prava delectatio iners est (2), quiescet pariter legis vindicta: verum si illa ad actum processerit, punitio simul intenditur. Ait itaque nunc quoque David: etiamsi forte inconsiderate irascimini, quae non est consummata culpa, ne quaeso actum quoque adiiciatis, quo peccatum perficeretur. Scite enim minorem rei partem infirmioribus indulget, iram inquam, ut maiorem puniat, id est caedem et alios quovis effrenatae irae effectus.

v. 6. **Sacrificate sacrificium iustitiae, et sperate in Domino.**

Res suas ponit in aliorum exemplum David; et quod offerentibus sanctissimo Deo iustitiae fructus, non vacua spes sit proposita, conatur docere. Statim ac enim, inquit, iustitiae sacrificium obtuli, atque in Deo spem collocavi, hostes vici, quamquam cadentem puerum dolui. Cum autem dicit, sacrificate sacrificium iustitiae, haud illud umbratile legis intelligit, sed Christi potius atque evangelicum. Nam prisca quidem docebat lex cruentas facere oblationes, quibus tamen conscientia hominis expiari perfecte non poterat. Eatenus enim offerebantur, quatenus veri cultus praefigurabant fragrantiam, atque interim dum melioratio adveniret, apponebantur. Idcirco a Christo depulsa umbra fuit: et deinceps credentium corda veritatis lux illustrat. Fortasse et-
Gr. p. 155. iam Iudaeis Dominus dicit: cruentarum sacrificia victimarum vos in caelum non deducent, sed ego potius qui de caelo descendi, in quo uno sperare debetis, nullam iam litterae habentes rationem.

v. 7. **Multi dicunt, quis ostendet nobis bona?**

Pauci quidem, inquit, probi simul et philosophandi gnari, inconcussam in Deo spem retinent: confidunt enim ei incomprehensibilia bona promittenti. Multi autem, id est vaga plebs atque indistincta, vesaniae dedita, praesentem carnalis impuritatis usum, speratis bonis anteponens ait: quis ostendet nobis bona? Illorum videlicet, qui Dei gubernationem flocci faciunt, verba haec sunt: ubinam Dei providentia in tanta

(1) Ad Ephesios IV. 26: *irascimini, et nolite peccare: sol non occidat super iracundiam vestram.*
(2) Mentis quoque puritatem non semel praedicat Cyrillus, veluti ad I. Cor. VI. 19. Itemque in fragmento ad Coloss. apud nos p. lat. 68, et alibi. Heic ergo de involuntaria phantasia loquitur.

humanarum rerum perturbatione? Et dum alii deliciis diffluunt, nos vero egestate extremisque malis conflictamur, quodnam divinae curae indicium superest?

Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. v. 7.

Abstrusiore mysticoque sensu (1), vultus Dei patris, intelligitur filius; lumen autem ex ipso ad nos missum, Spiritus, quo obsignati fuimus, ad primigeniam imaginem reformati: a quo etiam vera bona edocti fuimus, quibus intellectuale gaudium in mentem et cor recepimus, in futurorum bonorum spe confirmati. – Angeli quidem faciem Dei semper vident, homines autem faciei eius lumen. Facies porro Dei est terrenarum omnium rerum spiritalis contemplatio; lumen vero faciei, harum ipsarum partialis cognitio. Siquidem, prout sapienti illi feminae thecuitidi videbatur *, ange- * II. Reg. XIV. 20.
lus Dei erat David, quia cuncta quae fiebant in terris noverat. – Quinam demum est vultus Dei patris, cuius super nos lumen signatum est? Nempe Dei filius, imago simillima: proptereaque dicens *: qui vidit me, vidit patrem meum. Ita vero in nobis * Ioh. XIV. 9.
signatus est, ut conformes nos sibi fecerit, et sui spiritus illuminationem, divinae instar imaginis, credentibus impresserit.

Dedisti laetitiam in corde meo etc. v. 8.

Utique illos, inquit, miror qui dicere audent: quis ostendet nobis bona? quum reapse queant ex praesentibus certiores fieri futurorum. Namque arrham futurae abun- *Gr. p.* 156.
danter bonitatis recepimus hanc in mundo clementiam creatoris ac providentiam. Larga enim manu suppeditat vitae necessaria, demittitque caelo pluvias, et agrorum fructus per tempora germinat. Qui ergo vitae huius copiose alimenta praebet, cur mentiri credatur cum alia post hanc vitam largiturum se promittit? Mihi ergo in corde dedisti laetitiam.

In pace in id ipsum dormiam et soporabor, quia tu Domine singulariter etc. v. 9.

Verba « in id ipsum » significant, una cum aliis sanctis somno similem mortem excipiam; verumtamen in pace (2), non habens scilicet peccatum, quae est adversus Deum inimicitia. Atque ita fine vitae imposito, mittar a Deo ad habitandum cum bona spe, id est firma immotaque spe fruar. Vocabulum autem singulariter (3), innuere videtur, peculiarem fore et selectam sanctorum sortem. Non enim in impiorum turba erunt, sed selecti quodammodo ac seorsum. Illis quippe ignis, sulphur, et procellae spiritus, ceu calicis portio servatur; his autem regnum paratum est, et sempiternarum in caelo deliciarum gaudium.

PSALMUS V.

Intellige clamorem meum. v. 2.

Intellige hoc loco dictum est, pro expende et explora clamoris mei scopum. Non enim humanum quid posco, vel a tuis alienum, Domine, legibus; sed illa potius quae accipientibus prosunt, immo et necessaria saluti sunt, et quae tuam largiri beneficentiam decet.

Mane exaudies vocem meam. v. 4.

Mane licet intelligere tempus adventus Servatoris. Tunc enim omnium preces acceptabiles evaserunt. – Valde interest ad castimoniae decus, iam inde a diluculo ad-

(1) Ita dicit, quia alius quoque versiculi sensus cognoscitur.

(2) Hinc sollemnis epitaphiorum christianorum formula *in pace*. In Hebraeorum quoque tumulis non infrequens est inscriptio ἐν εἰρήνῃ κοίμησις αὐτοῦ.

(3) Καταμόνας, *singulariter*, alio vocabulo *unice securus* apud Horat. lib. I. od. 26.

stare Deo, et gratiarum actionibus solem antevertere (1). Sic enim, inquit, divina et sancta mysteria tua cernam, quae parasti diligentibus te.

v. 7. Gr. p. 157. **Odisti, Domine, omnes operantes iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium.**

Eos, qui in publica vita peccant, appellat operantes iniquitatem. Hos odit Deus, ceu qui veritate exciderunt. Loquentes mendacium dicit haereticos, quos Deus perdet. Et observa differentiam verborum odisti, et perdes; et primo quidem an sit peius odisti quam perdes: deinde vero cur illud praeteriti temporis forma declinaverit, hoc vero futuri (2).

v. 8. **Ego autem in multitudine misericordiae tuae etc.**

Ego, inquit, misericordiae tuae beneficio templum tuum ingrediar. Sic enim dicere potero: mane adstabo tibi, et videbo: et tamquam misericordiam consecutus, pie te venerabor in spiritu et veritate.

PSALMUS VI.

v. 2. **Neque in ira tua corripias me.**

Dum ait, neque in ira tua corripias me, deprecari fortasse videtur legalis litterae severitatem. Nam qui Moysis legem violasset, sine misericodia ex duorum vel trium testimonio necabatur: ideoque damnationis ministrationem divus Paulus legem
* II. Cor. III. 9. appellat *. Namque illa neminem iustificabat, sed acerbas a peccantibus poenas reposcebat. Ergo legis correptione, incomparabiliter melior est correptio per Christum: illa enim ad peccantium redargutionem, atque ad transgressorum damnationem pertinebat, haec ad iustificationem peccatorum. Ut ergo iam diximus, haud petit ne redarguatur, sed ne cum ira.

v. 3. **Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine.**

Non ait, remitte mihi, aut concede mihi, sed sana me: orat enim ut priora tollantur vulnera. Etenim ceu medico spirituum Deo accedens, naturaeque infirmitatem confitens, opem implorat; opto, dicens, sanitatem; male mihi habenti misericordia tua medere. Nam infirmitatis meae causa in hoc malum decidi. Quaenam porro infirmitas? luxata sunt ossa mea, dissoluta est ipsorum compages. Ossa autem dicit sobrias cogitationes, quae animam solidant, et rationales eiusdem animae vires, quae ipsam in intellectuali sanitate conservant; cuiusmodi sunt continentia, prudentia quae est secundum Deum, fortitudo, temperantia, iustitia, et omnino quodlibet virtutis ge-
Gr. p. 158. nus: quae si ordinatae in nobis non fuerint, id est convenienter dispositae iuxta proprias singularum facultates, prorsus turbari animam necesse est, cupiditatibus tumultuantibus. Tunc enim velut in mundanarum voluptatum tempestate valde periclitatur: nam debilitata in nobis virtute, omnino praevalet trahens in vitium voluptas. Quod autem vocabulo ossa tropice significentur intellectuales animae vires, ob quas ipsa recto in statu retinetur et confirmatur, idem David dicti sui obscuritatem interpretatur, dum praedictis addit: anima mea valde est turbata.

v. 3. **Quoniam ossa mea conturbata sunt.**

Existimo aliud quoque significari (3), dum dicitur psalmista turbationem ossium

(1) En chorus nocturnus vel matutinus Christianorum laudes divinas concinentium, quem morem ab orientalibus partibus aetate sua ad occidentem quoque transisse ait Augustinus confess. lib. IX. 7.
(2) Omisit eclogarius quae heic sine dubio pergebat argute loqui Cyrillus.
(3) Namque alium huius locutionis significatum dixit superius.

passus. Nam Deus ad immortalitatem hominem condidit: sed postquam spreto mandato ad transgressionem Adamus progenitor prolapsus est, continuo factus est maledictus. Dictum enim ei fuit: terra es, et in terram abibis. Turbata sunt itaque secundum quoque hanc rationem cunctorum ossa, quatenus in mortem caro dissolvenda est. Subierunt enim ipsam animam tumultus, consternationes, cupiditatumque tyrannis. Corruptibili nimirum corpore iam facto, corruptionis in eo pullularunt passiones, et peccati lex subintravit, quae carnis membris inest, quaeque ex adverso militat, et mentem ad absurdum quodvis captivam trahit. Facta est igitur humanae naturae medicina per humanati virtutem Unigeniti: hic enim corruptionem cohibuit, omnium ossa dispersa conligavit: a consternatione qualibet et perturbatione, ac pavoribus, cupiditatibus denique ac diabolica praepotentia liberam hominis naturam effecit.

Et tu, Domine, usque quo? v. 4.

Immo vero, si quid magis mysticum dicendum est (1), haud increpat Dei iudicia propheta, neque tamquam tardantem et opem ferre detrectantem accusat dominum universalem; sed exquirit potius adventûs Christi tempus, qui demum die hebdomadae octava resurrexit. Quandonam enim, inquit, dies aderit qui per tuam resurrectionem sanitatem nobis largietur? Denique dictio « usque quo » procrastinatam quoque paenitentiam denotat.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui. v. 6. *Gr. p.* 159.

Certe qui semel mortis vinculis captus fuerit, nulli iam virtuti idoneus erit. Non est, inquit, in morte qui memor sit tui, id est qui mandata tuà observare queat, auxilio spiritus iam destitutus.

Laboravi in gemitu meo. v. 7.

Monet nos, quod ii qui Deo placere student, haud in otio et somno atque ignavia tempora nocturna traducere debeant; id enim stolidissimum est, beluasque decet; sed in lucubrationibus potius, bonique operis vigiliis consumere. Optimum quippe est in silentio potissime ac solitudine cum Deo veluti colloqui per adsiduam orationem, et agnitarum culparum veniam postulare: insuper eum quae sunt animae utilia rogare, et canticorum melodiâ celebrare (2).

Turbatus est furore oculus meus. v. 8.

Fortasse revocat sibi propheta in memoriam, quae humanae naturae acciderunt, ob Deum sub generis nostri primordiis offensum, id est sub Adamo. Ante quam enim hic divini praecepti oblivisceretur, nitidum habuit oculum, totumque divina contemplatione et bonis cogitationibus occupatum, defaecatumque ac divino lumine collustratum.

Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem. v. 9.

Narrat quemadmodum animi laetitiam recuperaverit. Exauditam enim fuisse ait vocem fletus sui, precesque exceptas. Iamvero vocem dicit non plane illam quae labiis emittitur, verum eam potius quae per actus quodammodo ad Deum dirigitur. Sicuti enim est vox peccati, uti dictum Caino fuit *, vox sanguinis fratris tui clamat ad me, sic etiam paenitentiae est vox, cui Deus auscultat. Nec quisquam dicat, Deum a nobis exposcere vocem validam; non enim sic orare iussi fuimus. Clamorem contra dicit hoc loco preces cum labore, cuiusmodi sanctorum mos est. * Gen. IV. 10.

(1) Vides heic posteriorem tantummodo cyrilliani fragmenti partem.

(2) Laus rursus vigiliarum praesertim hominum asceticorum. Extant egregia duo *de servorum Dei vigiliis*, et *de psalmodiae bono*, Nicetii trevirensis episcopi (saec. VI.) apud Gallandium in Bibl. PP. T. XII.

v. 11. **Erubescant et conturbentur.**

Malitiae inventores magistrique daemones avertunt se et retrorsum cadunt, intolerabilem perpessi cladem. Primo quidem propter Dei servatoris repugnantiam:
Gr. p. 160. deinde quia nos resurgere a pristinis morbis volumus, atque ad domandum fortiter quemvis carnis affectum transire, mundique huius colluviem pedibus proterere, atque unice Dei placita spectare, eaque sine regressu sectari. Sic viriliter agentibus Christus aderit, qui nobis omnium bonorum dator est et auctor.

PSALMUS VII.

v. 1. **Domino propter verba Chusi filii Iemini (1).**

Tu vero animadverte, quod te tot victoriis assuetum, rursus ad alia certamina sermo hic emittit, rursus concitat tentationum incursu. Idem enim hostis, nempe ille Absalomus, tamquam ex nobis denuo natus, bellum contra nos conflat: quem tamen caedi nostrae anhelantem, nostra dispellit agendi prudentia, magis vero Dei auxilium. Certe quod nobis salutare est rectum dogma, idem fit adversario laqueus: dogma autem hoc est, ut nequitiam parem putemus, tum laedere tum laedentem ulcisci. Ipse enim sibi poenam indicit David, si forte comperiatur malum malo, tamquam alternatim, rependisse, et acceptam iniuriam iis rependisse qui fecerant.

v. 4. **Si est iniquitas in manibus meis.**

Non idcirco videatur omni se iniustitia purum David adfirmare; nam iniquus fuit in Uriam: sed hoc tantum dicit, quod in filii conspiratione ipse purus fuerit, nec ullam ansam praebuerit: neque enim illum, inquit, iniuria adfeci, neque socios eius, ita ut honestam haberent persequendi mei causam. Deinde suam quoque iniuriarum oblivionem memorat, ut Dei in se misericordiam provocet. Res patet ex sequentibus, ubi ait: si reddidi retribuentibus mihi mala.

v. 5. **Decidam utique ab inimicis meis inanis.**

Nempe ab omni honore gloriaque excidam, fiamque ut pulvis sub inimicorum meorum pedibus.

v. 7. **Exsurge, Domine, in ira tua.**

Itaque, ut dixi (2), transit sermo ad Christum, ipsumque ut consurgat precatur, haud sane adversus Absalomum; nam qui id fieri poterat, quum pro illo oraret: servate mihi puerum Absalomum? sed pro universo hominum genere consur-
Gr. p. 161. gere rogat Deum, tamquam ex antiquae patientiae quiete ad iram et commotionem contra fines inimicorum suorum. Plurimi enim sunt humani generis hostes, id est improbi flagitiosique daemones. Fines vero illorum intelligere licet potiores inter ipsos ac praesidentes, veluti Satanam ac familiares eius, nempe principes tenebrarum huius mundi. Contra hos expeditionem Christus suscepit.

v. 7. **Et exsurge, domine Deus meus, in praecepto quod mandasti.**

Heic manifeste Dei servatoris adventum nunciat (3). Antea enim patriarcharum ore salutem nobis promiserat. Et quidem redundat divina scriptura dictionibus de

(1) Nempe Chusi arachites Davidi profuit, decepto dolosis consiliis rebellante Absalomo, II. Reg. XVII. 7. Certe Arachitem intelligit Cyrillus, aliique nonnulli veteres. Alii tamen cogitare malunt de Chusi Saulis duce.

(2) Rursus hians sermo, ut fit in catenis, ubi auctores pro eclogarii libito excerpuntur.

(3) Perpetuus mos Cyrilli et patrum veterum agnoscendi passim in psalmis vaticinia de Christo. Porro heic breves aliquot particulae tribuuntur perperam in editis Athanasio, contradicente egregio codice vaticano. Alibi quoque interdum, sed raro, haec observatio facienda est.

Servatore nostro, quem prophetae sancti venturum per tempora spondent, et terrarum orbem redempturum: neque in Iudaea tantummodo insitae sibi bonitatis indicium facturum, verum etiam universas gentes visitaturum. Unde gentium spes appellatus est. Apparuit enim toti orbi Dominus, Deus scilicet verumque lumen; per quem patrem quoque ipsum agnovimus, antiquis tenebris errorum depulsis, oriente nostrae menti astro lucifero, die dilucescente, ipsoque semet attollente sole iustitiae, id est Christo. Exsurge igitur, inquit, secundum praeceptum quod mandasti, seu quod te exsecuturum promisisti. Id enim hoc loco denotat verbum mandare.

Et super hanc in altum regredere. v. 8.

Fortasse verbum regredere, aut venerandam innuit crucem, in quam Christus peccata nostra extulit: aut eius in caelum reditum; perrexit enim ad patris conspectum pro nobis. Cur pro nobis? Novam scilicet et viventem reserans viam, ut caelum deinceps pervium fieret, nosque adeo in interius velum penetraremus: huius quoque rei duce nobis illo, qui ad omnia princeps est, Christo scilicet.

Dominus iudicabit populos. v. 9.

Dictum est hoc loco iudicabit, pro ius dicet. Ius enim reapse dixit inter nos et Satanam: atque hunc quidem praepotentia mundum vexantem, de sua tyrannide universali depulit; intolerabili autem gravamine oppressos miseratus est, uti Deus, et fide iustificavit.

Iudica me, Domine, secundum iustitiam meam. v. 9. *Gr. p.* 162.

Quum nuper propheta dixisset, a Domino populos iudicatum iri, introducit nunc iudicandorum etiam personam, propriam fatentium infirmitatem, atque ita iudicari rogantium prout humanae conditionis fert modulus. Alia est enim, ut diximus (1), angelorum iustitia, quae ipsorum prorsus naturam decet: alia hominum, exigua nimirum, et naturae infirmitati respondens.

Consummetur nequitia peccatorum. v. 10.

Consummetur ergo peccatorum improbitas, id est diaboli tyrannis auferatur, et reliquarum cum ipso potentiarum: ut posthinc per rectam veluti ac planissimam semitam ad laudabilem vitam deveniat quicumque iustitiae operator est. Nam si nemo in alterutram partem stimulet, per suam iustus viam rectà omnino procedet. Vel fortasse ut consummetur in peccatoribus improbitas orat propheta, id est ut a malitia cessent, ad virtutem translati. Itaque cessationem peccandi postulat pro singulis qui infirmitate fuerint prolapsi, ut deinceps iustus recta via pergat. Prorsus enim fieri non potest, ut quispiam fortia virtutis facinora edere videatur, nisi antea improbus esse desiverit.

Iustum auxilium meum a Deo. v. 11.

Iudaeis aeque et ethnicis sermo hic quadrabit. Nam scienter peccare, manifestus contemptus est; inscienter vero id agere, facilem dat petendae veniae aditum. Errabant tum Iudaei tum ethnici; illi quidem per ducum suorum malitiam a fide suscipienda impediti, et a redemptoris agnitione: isti autem nondum divinum in mentem receperant lumen, nec quisnam esset verus ac naturalis Deus sciebant. Propterea qui cor et renes scrutatur Deus, probe animadvertebat tum hos tum illos inscitia sua peccare, quia domini voluntatem nesciebant. Ergo iustum illis suppeditavit auxilium. Debetur enim errantibus revocatio in viam, caecatis illuminatio, debilibus virium instauratio a Deo. Ideo dicit: iustum auxilium a Deo.

(1) Nempe in commentarii partibus ab eclogario omissis.

v. 12. Gr. p. 163. **Deus iudex iustus et fortis et longanimis.**

Iis qui solutam et lubricam vitam degunt, utilis est admonitio quod iustus sit iudex, universalis Deus. Idem praeterea fortis est; ipso enim aditum homini obserante, quis aperiet *? Et manum elevatam quis avertet *? Ceteroqui longanimis simul est, neque statim et recente facinore ira eius peccantes persequitur. Quamquam tamen patiens est, non ideo nobis in culpa desidendum est. Nunc denuo sermo ad Israhelem simul et ethnicos convertendus est, iisque dicendum, quod nisi propere a suae vitae ratione recedant, et hi quidem a creaturae cultu abstineant, illi autem Christi fidem suscipiant, in iudicem iustum incurrent fortemque; patientem utique, sed tamen, nisi crimina exuant, vindicem. Id enim in sequentibus docet versiculis. Etenim ne forte audientes eum esse patientem, socordiores homines fiant, addit:

* Iob. XII. 14
* Is. XIV. 27.

v. 13. **Gladium suum splendificabit, arcum suum intendit.**

Splendificabit, pro evaginabit contra vos gladium. Clemens est haec admonitio, atque a Dei bonitate iis oblata qui in morum infirmitate versantur. Non enim simpliciter quia mala operantur, gladium ipsis comminatur; sed tum demum, si haud cito converti velint, sine dubio vult eos intelligere, in graves cruciatus incursuros. Arcum quoque intendit, quem instructum habet mortis instrumentis, id est sagittis plenum, quas ardentibus, id est gehennae filiis, fabricatas dicit; qui per tempora audient dicentem iudicem: discedite a me maledicti, et reliqua. Gladio certe et arcu et sagittis et mortis instrumentis, vel varia poenarum genera denotari dicimus, vel potentias aliquas quae pro suo quemque merito ulciscantur. Mos autem est divinae scripturae, ex iis quae apud nos fiunt, figurare interdum quae non conspicue sed clam veluti et mente tantum comprehensibilia sunt.

v. 14. **Sagittas suas ardentibus effecit.**

Audiant haec tum Iudaei tum ethnici, quod nempe ineluctabiles poenas sint passuri, nisi converti malint; et hi quidem ab antiquo errore discedant, hi vero interfecti Domini crimen paenitentia abluant.

v. 15. Gr. p. 164. **Parturiit iniustitiam etc. Lacum effodit etc.**

Pergamus porro psalmodiam adhuc pervestigare. Convenienter sane dicitur de omni peccato, eum qui peccat, dolorem concipere, et iniquitatem parere. Semper enim anteeunt flagitiosis factis, malae cogitationes. Dictum hoc Iudaeorum quoque principibus congruit, qui cum dolore concipientes, id est pridem susceptis incredulitatis in Christum seminibus, quae diaboli importunitas in eis severat, pepererunt contra eundem Dominum iniustitiam. Quin adeo ipse Satanas iniustitiam parturiit, et iniquitatem peperit. Tentaturus enim in desertum venit: deinde ad tempus recessit, et susceptum ab initio consilium peregit. Namque interim Iudaeorum corda exacuit, nec non proditoris animum; qui more eius, qui sibi pater erat improbitatis, Satanae inquam, concepit adversus Christum iniustitiam, volens scilicet turpis mercedis gratia, Dominum homicidis tradere. Deinde iniquitatem quoque peperit, cum triginta acceptis denariis, illum tradidit; caedis signum, amoris symbolum, id est osculum, faciens; virtutem ipsam iniuste violans. Praeterea, veluti exempli causa, propheta loquitur de lacu aperto atque effosso. Nam statim propositae imaginis significatum declarat addens: convertetur labor eius in caput eiusdem. Laborem autem ab eo dici puto, aut effodiendae foveae vanam curam, aut invidiam quae invidentium cor liquefacit: porro iniustitiam intelligo, praepotentiam sive insidias quas proximo suo quispiam intendit. Huiusmodi quiddam ab auctore quoque proverbiorum dici comperimus *:

* Prov. XXVI. 27.

qui foveam proximo fodit, incidet in ipsam. Hoc est enim Dei clementiae officium, qui talem dedit insidiis naturam, ut insidiatores in easdem decidant. Hinc etiam Dei sapientia maxime elucet, et improbis multa fit cohibitio, salvatis autem gaudium.

Confitebor Domino secundum iustitiam eius, psallam nomini Domini altissimi. v. 18.

Vox est haec salvatorum in Christo, ceu Satana abolito, morte sublata, peccato perempto, et cognito demum vero Dei filio. Confitebor autem dicit, pro, cum cantico gratias agam, secundum insitam illi iustitiam, idest secundum aequum quod exercuit iudicium, humanum salvans a Satana direptum genus, eiusque improbis satellitibus. Magna est itaque Dei iustitia: ideoque nomini Domini altissimi psallunt gentes: nam quem non noverant olim, nunc dominum et altissimum appellant. *Gr. p.* 165.

PSALMUS VIII.

In finem pro torcularibus (1). **Psalmus Davidis.** v. 1.

Praedicitur ergo praesente cantico gentium vocatio. Inscribitur autem in finem, pro torcularibus. Et dictio quidem « in finem » adventum demonstrat, qui in fine saeculorum accidit, id est Unigeniti incarnationem (2). Dictio vero « pro torcularibus » hunc habet sensum: quidam volunt torcularia appellari tropice ecclesias Christi, ad quas veluti quosdam racemos sacri doctores comportant tum ex Iudaeorum turma tum etiam ex ethnicis credentes in Christum, et tamquam ex vinea dominica fructus coacervant. Vel torcularia aiunt esse altaria, quia illuc conferuntur ab omnibus oblationes.

Domine, dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! v. 2.

Olim quidem Dei gloria intra solam paene Iudaeam concludebatur: notus enim erat in ipsa Deus, et in Israhele magnum nomen eius. Postquam vero Deus dominus apparuit nobis, admirantur nomen eius omnes terrae incolae. Stupet itaque propheta diffusam inter homines nominis Dei notitiam: non enim iam solis notus est Iudaeis Deus.

Quoniam elevata est magnificentia tua. v. 2.

Fortasse nihil est aliud magnificentia elevata, quam ipsius incarnatio (3). Quid enim in hac est, quod magnum dici non queat? nativitas ex virgine, ambulatio in mari, incorruptio in morte, et quaevis alia his similia. Haec ergo magnificentia elevata est, sedentis videlicet in dextera maiestatis in excelsis, post factam peccatorum purgationem. Sic etiam intelligendum est, quod excelsior caelis ipse sit factus post resurrectionem.

Ex ore infantium et lactentium etc. v. 3.

Novum recentemque coetum, puerilibus veluti constare ait animabus, propter regenerationem in Christo ubique terrarum factam post Domini ascensionem. Ideo et quum ei acclamarent pueri, hosanna in altissimis *, indignantibus Iudaeis ait: numquam legistis? et reliqua. *Gr. p.* 166. * Matth. XXI. 9. 16.

Ob destruendum inimicum et ultorem. v. 3.

Nempe diabolum, qui postquam peccare coëgit, peccantes punit, gravitatem ipsis peccati ob oculos ponens. Idem quippe et ad peccatum impellit, et peccantium fit

(1) Non est absurda illorum opinio, qui ita inscriptum hunc, nec non LXXX. et LXXXIII, psalmos putant, quia fortasse canebantur autumnali tempore, quo uva et olea torcularibus supponuntur.

(2) Revera de Christo explicat hunc psalmum Paulus ad Hebr. II. 6. seqq. Item I. Cor. XV. 26. Immo et ipse Christus de se, ut infra dicitur.

(3) Semper Christus prae oculis religiosissimo Cyrillo est.

accusator. Ergo ut inimicus, peccare cogit; ut ultor, traditos sibi punit. Sic Hymenaeum atque Alexandrum quum ipse blasphemos effecisset, postea ob blasphemias
* 1 Tim. 1 20. in Deum castigavit *.

v. 5. **Quid est homo, quod memineris eius?**

Profecto haec cogitans miratur David, aitque: quamquam magnae creationes tuae sunt caelum et terra et quicquid iis continetur, quas res tu in omni aevo permanere constituisti, haud tamen magnae tibi fuerunt ad creandum, sed brevioris potentiae et quasi digitorum opera; sic enim voluit appellare minores Dei operationes. Veruntamen quae circa hominem facis, magis miror contemplans, nempe quod eius sis memor eique consulas: id quod sane non ageres, si parvum quoddam et nullius pretii animal esset. – Et alii quidem Iudaeorum principes aberrarunt, mysterium non intelligentes; ego vero, ait, mentis oculis creationem rerum contemplans, singulas tuas creaturas inspicio. Tu solem lunamque condidisti, eisque perpetuam regulam constituisti: sic enim interpretor « fundasti ea. » Et paulo post. Itaque quamvis, unus de nobis factus, et humano modulo per incarnationem circumscriptus, a quibusdam non es agnitus, ego tamen tuam non ignoro gloriam: novi summam dignitatem tuam: quamvis carne vestitum fateor te conditorem omnium, scio te dominum, et caducos prae te solem ac lunam. Porro hanc mundi partem enumerat, ut universam intelligas creaturam.

v. 6. **Minuisti eum parum quid prae angelis.**

Gr. p. 167.

Rationales quidem supernae virtutes longam et interminabilem agunt vitam. Rationalis similiter in terra homo, etsi superis non est par, aliquantum tamen infra angelorum dignitatem iacet, ob suam cum terreno corpore coniunctionem: minorque est, quatenus morti et corruptelae obnoxius, idque post transgressionem: ex hac enim, et corruptela et mors extiterunt. Imminutus itaque infra angelos dicitur Christus propter mortis perpessionem: pati enim carne propria sustinuit, quamquam in divina natura mansit impassibilis.

v. 10. **Domine, dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!**

Admirationem repetit, denuoque idem prohoemium in fine ponit, attonitus quod hominibus Deus innotuerit. Et tum ante, tum etiam post eius rei demonstrationem, eadem verba profert, et tamquam admiratione compulsus ad Dei laudationem progreditur: dilatatamque cernens per universum orbem Servatoris gloriam, propemodum exsilit, sumque sermonem resumens ait: Domine, dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

PSALMUS IX.

v. 1. **In finem, pro occultis filii.**

Inscriptio « in finem » demonstrat compositum fuisse a Davide psalmum haud de aliquibus iam peractis rebus, sed de futuris in saeculi consummatione. Porro sunt haec filii occulta, id est Christi mysterium, quod a sanctis quidem prophetis provisum fuit, Spiritu sancto revelante, propriis autem temporibus exitum habuit. Occulta igitur filii sunt ea quae occulte Servatori evenerunt: eaque multa sunt, nempe ex Virgine per Spiritum sanctum carnalis nativitas, item miracula, et mors ipsa, et descensus ad inferos, et a mortuis resurrectio, et summatim incarnationis ratio, et quae hinc mundo bona evenerunt. Haec enim omnia occulte ab eo facta sunt: namque haec ipsos mundi huius principes latuerunt: mysterium, inquit, absconditum a sae-

culis et a generationibus *. Et rursus: sapientiam absconditam Dei loquimur in mysterio, quam nullus princeps saeculi huius novit *. Latuit etiam discipulos mors Christi, et adversus mortem victoria. Erat enim hoc, inquit, absconditum oculis eorum. Merito igitur septuaginta interpretes mortem filii dixerunt quiddam esse occultum. — Continet vero hic psalmus ethnicorum vocationem, et ipsorum nomine gratiarum actionem; plenusque est incarnationis dominicae mysterio, et personarum distinctionem habet, praetereaque sententiarum alternationem ac transitum, quin tamen mens extra propositum abripiatur (1). Initium autem psalmi facit auctor persona ethnicorum assumpta, sive humanae naturae (2).

* Coloss. I 26.
* I. Cor. II. 7. Gr. p. 168.

Laetabor et exultabo in te. v. 3.

Magnae fuerunt cunctae et auditu dignae res Christi, iis certe qui viderunt et cognoverunt. Ipse harum auctor gaudium fit et causa laetitiae, et sollemnitatis publicae occasio, ita ut unusquisque dicat: laetabor in te. Id vero amantis Deum animae indicium est: nam laetari in Deo et gaudere, demonstrat aperte mentem illorum, qui in Deo laetantur, procul abesse a negotiorum huius mundi oblectatione, quam vanitatem vesaniamque mendacem dicere licet. Laetatur autem in Deo mens quae fuerit studiosa virtutis, et gloriae ab eo recipiendae cupida, et miraculorum prodigiorumque ipsius contemplatrix.

In convertendo inimicum meum retrorsum. v. 4.

Quoniam narravimus conversos ad fidem ex ethnicis confessionem fecisse, cum audimus eosdem dicentes « laetabor in te, et reliqua » probe intelligimus decere hanc vocem illos qui crediderunt, et illuminati sunt, et ad veritatis notitiam pervenerunt.

Infirmabuntur et peribunt a facie tua. v. 4.

Secundum anagogen (3) autem, facies Dei patris filius est, qui est ipsius absque ulla differentia imago. Infirmati vero ab eo sunt omnes ipsius gloriae adversarii, id est Satanas cum satellitibus suis. Ante enim Servatoris adventum saevus erat, et omnia quae sub caelo sunt vexabat, dicens *: universum mundum manu ceu nidum capiam, atque ut ova derelicta diripiam. Sed postquam similitudine nostra adsumpta, Unigenitus factus est homo, infirmatus est hostis, ceciderunt dirae et intolerandae potentiae, et sanctorum pedibus suppositae sunt.

* Is. X 14.
Gr. p. 169.

Sedisti super thronum qui iudicas iustitiam. v. 5.

Exsequitur alacriter quod dixit, docetque perspicue quid significent verba « fecisti iudicium meum. » Sedere illum in throno dicit, humano loquendi more, et rerum nostrarum similitudini conformans ea quae nonnisi intellectu capiuntur. Nam reges cum audiunt laborare urbes aut provincias ex barbarica incursione aut aliquo ausu tyrannico, throno regni inscenso, iudicium de laesa maiestate instituunt, sententiamque in reos ferunt; et malos quidem male perire iubent, iniuriam vero passos tuentur. Ita etiam Servator in throno residet: neque tamen sessionem quamdam heic significat verbum sedet, sed potestatem demonstrat, maiestatisque iudicialis gloriam.

(1) Notissimum est, ab Hebraeis in duos dividi hunc psalmum, exceptis tamen quatuor apud Bern. Rubeum codicibus. Quin adeo figurata quoque (ut appellatur) syriaca codicis ambrosiani editio, quamquam de graeco sumpta, in duas hunc psalmum dividit partes, diserte inscribendo *pars prior pars altera*.

(2) Interpolantur haec et partim recitantur tamquam Athanasii in eius editione, quae nonnisi ex catenis sumpta fuit. Contradicit tamen optimus codex vaticanus, Cyrillo omnia vindicans.

(3) Confer infra p. 110. adn. 1. Notus autem est huius vocabuli usus, nempe ut sit elevatio sensûs a re terrena sive humana ad caelestem aut spiritalem vel supernaturalem.

Ita ut sedisti ponatur pro ius dixisti, auxiliator et vindex supervenisti. – Videtur hoc loco psalmista verbo sedisti, Dei vigilantiam ad iudicandum patefacere. Vocabulo autem gentes, malorum daemonum greges appellare per anagogen, qui inter se mundi partes distribuerunt, in multiformem variumque errorem trahentes ac peccatum. Impium autem pereuntem, aut quemvis huiuscemodi intellige, aut ipsum diabolum. Ut autem Dei vires cognoscas, audi sequentia.

v. 6. **Nomen eorum delesti in aeternum.**

Non solum, inquit, infirmati sunt ac perierunt increpiti adversarii, sed et nomen eorum deletum fuit. Nomen autem hoc loco haud simpliciter dicit propriam appellationem: ea enim nequaquam destructa est; siquidem adhuc recordamur et Satanae et sodalium eius impurorum daemonum; sed deletam gloriam denotat.

v. 7. **Inimici defecerunt frameae in finem.**

Defecerunt diaboli quoque frameae in finem, id est omnino: hae autem intelligendae videntur adversariae phalanges, quibus ipse roboratur: vel tyrannicae contra nos passiones, quibus ille mortales perdomat, et impositis vulneribus, iugo suo supponit: vel insitae ipsi malitiae commenta, variaeque machinationes, quas ad huma-
Gr. p. 170. narum animarum perniciem struit. Omne enim flagitiosae voluptatis et ceterorum peccatorum genus, diabolicos esse gladios dicimus, sive immundorum spirituum tela, per quae cor transfigunt, ac mortali peccato perimunt. Sed iam frameae defecerunt; induti enim fuimus nos quoque Dei armatura, qua illas obtudimus.

v. 8. **Paravit in iudicio thronum suum.**

Ergo sempiternus rex Christus, utpote Deus, gentibus quoque dominatur; nam et ipsas evangelicis decretis suis subiugavit. Hoc significant verba, thronum suum paravisse, et iudicare orbem in iustitia, et populos in rectitudine.

v. 9. **Et ipse iudicabit orbem in iustitia, iudicabit populos in rectitudine.**

Quia mos est inspiratae scripturae verbum iudicare adhibendi pro ius dicere, vel pro ducem esse ac praeesse civitatibus aut provinciis, secundum illud: erudimini omnes qui iudicatis terram; dicendum est, fore ut deleto in sempiternum tempus nomine gentilitatis, extinctoque prorsus diabolico omni principatu ac potestate, cum iustitia dominetur regnetque Christus. Nam thronus regnum denotat, quod nemine adversante paratissimum erit, id est sine ullo impedimento fulgebit cum universali dominio. Ius enim iuste dicet Christus, populisque toto orbe imperabit. Etenim universae terrae rex est. Age vero hos versiculos alio etiam modo intelliges: nimirum destructa diaboli tyrannide, atque ab eius importunitate mundo subtracto, Christum esse venturum per tempora cum gloria patris, ut mundum aequo iure iudicet. Omne enim iudicium tradidit pater filio, nosque omnes oportet ante Christi tribunal manifestari.

v. 10. **Et factus est Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus in tribulationibus.**

Cuinam inquit pauperi? Nempe ei qui sponte et propter Deum egenus est. Nam pro voluntaria paupertate huic Deus divitias suas largitur, et pressurae tempore liberator adiutorque eius esse dignoscitur. – Sed et secundum anagogen haec intelligenda sunt: quod pauperem spiritu populum, id est inopia laborantem ante Serva-
Gr. p. 171. toris nostri adventum, non legatus, non angelus, non alia quaelibet vis aut potentia rationalis adiuverit, sed ipsemet dominus, intellectualium divitiarum dator, ipse inquam in opportunitatibus opem tulerit, id est idoneo pressurae tempore servarit per-

commode. Quaenam vero pressura haec erat? Grave peccatum, ponderis instar impositum; ita ut unusquisque eo pressus exclamaret: iniquitates meae ceu grave pondus gravatae sunt super me. Certe et ipse Satanas gravis erat, et onere quovis molestior, cum sua perversa phalange insidens. Ergo orbe oppresso et quasi eliso, opportune venit in terram Dominus, et die salutari suppetias tulit. Scelesti autem daemones, incarnationis mysterium haud suo tempore factum dicebant *: venisti huc ante tempus * Matth. VIII. 29.
ad torquendum nos. Sed hem nequissimi! aliquis heic responderet: haud certe ante tempus, sed cum maxime oportebat, pressurae nostrae auxiliatus est, factusque est refugium Servator omnium et dominus.

Et sperent in te, qui noverunt nomen tuum. v. 11.

Quinam vero sunt in eum sperantes, et nominis eiusdem gnari? Nempe qui mandatis colla subdunt. Id ipse docebit inquiens *: qui me diligit, mandata mea servat. * Ioh. XIV. 21.

Quia non dereliquisti exquirentes te, Domine. v. 11.

Adfirmat, se rem expertum cognoscere, eamque stabili veritate niti. Vere enim dicit Hieremias *: benedictus homo qui confidit in Domino, et cuius fiducia erit Dominus: eritque quasi lignum bene crescens iuxta aquas. Alius (1) quoque pariter dicit: respicite antiquas generationes, et videte quisnam umquam sperans in Domino, repulsam tulit? Aut quis cum illum invocasset, derelictus est? * Hier. XVII. 7.

Psallite Domino qui habitat in Sion. v. 12.

Si ergo dicitur Deus habitare in Sione, ne idcirco tamen putemus secundum Iudaeorum opinionem ita sensibiliter rem se habere: non enim in terrestri Sione, neque in sola Hierusalem habitat Deus; sed Sionem esse dicimus spiritalem in orbe ecclesiam, quae etiam soror supernae intelligitur. Apte autem appellabitur Sion tam illa superna, quam quae in terra est ecclesia. Nam Sionem interpretamur speculam (2); quae est reapse tam illius quam huius natura. Ergo habitat Deus in Sione non circumscriptus, etenim omnia implet, sed tamquam commorans et requiescens in ea. Gr. p. 172.
Heic quippe, ait, habitabo quoniam elegi eam *. Re vera is a Iudaeorum synagoga * Ps. CXXXI. 14.
recessit dicens *: en vobis relinquitur domus vestra deserta. Contra vero ditata est * Luc. XIII. 35.
eius praesentià ethnicorum ecclesia, cui dicit psalmista: audi filia, et reliqua, quoniam concupivit rex pulchritudinem tuam. Ergo ab incolentibus hanc Sionem, id est ab iis qui misericordiam salutemque per fidem sunt consecuti, ulterius victimas offerri non (oportet): sed quoniam ad spiritalem cultum legales ritus transiverunt, hymnos Deo cani, eique sacrificium laudis mactari, psalli quoque et enarrari eius tantummodo magnalia ac recte facta.

Annunciate inter gentes studia eius. v. 12.

Christi studia dicimus aut eius miracula, aut ingeniosum incarnationis opus. Valde enim profunda est huius mysterii ratio, et vix subtili vestigatione partim comprehendenda, et fide potius tenenda. Grande enim miraculum est.

(1) Nempe Ecclesiasticus II. 11. Observent autem hoc heterodoxi, qui huius libri divinam auctoritatem negant. Et quidem Cyrillus noster contra Iul. lib. VII. ed. Aubert. T. VI. p. 235, postquam dixit Christianos uti solere inspirata a Deo scriptura τῆς θεοπνεύστου γραφῆς, mox citat ex Eccli. I. 1. *πᾶσα σοφία παρὰ κυρίου, ὡς γέγραπται*: *omnis sapientia a Domino, ut scriptum est.*

(2) Perite צִיּוֹן *specula*, quasi a צָפָה *speculatus est.* Confer D. Michaëlium in supplem. lex. hebr. p. 2128. Ceteroqui valde arbitror Cyrillum uti solitum fuisse Philonis iudaei libro hebraicorum nominum, quorum etymologias iuxta ordinem litterarum e latere copulaverat, ut narrat S. Hieronymus; quem librum, nunc paene deperditum, marte suo idem Hieronymus refecit. Reapse in variis hieronymianis lexicis ed. Veron. T. III. *Sion* explicatur gr. σκοπευτήριον, lat. *specula*.

v. 13. **Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est.**

Quo modo? Nempe factus est homo, et similitudine nostra indutus, crucem pertulit, ut omnes sanguine suo redimeret, et diabolicis laqueis irretitos expediret.

v. 13. **Non est oblitus clamoris pauperum.**

Secundum autem anagogen (1), pauperes heic aut ethnicos nuncupat, aut sanctos qui pro illis saepe orant. Et illos quidem pauperes dicit, utpote spiritalibus opibus vacuos: nam qui verum suapte natura Deum nesciunt, quemnam spiritalem ornatum habere queant? Hos autem pauperes item appellat, utpote humilem demissamque mentem habentes. Si ergo pauperum nomine sanctos intelligi dicimus, non est oblitus clamoris illorum, quem extollunt dum saepe orant servatorem omnium Deum,
* Ps. LXXIX. 2. ut mundum visitet, et nostrarum rerum curam gerat. Dictum enim ab iis est *: qui sedes super Cherubim, appare: excita potentiam tuam et veni ad salvandum nos.
* Ps. CXLIII. 5. Et alibi *. Domine, inclina caelos et descende. Sin vero pauperes pro ethnicis dictum opinamur, quoniam voces ab iis umquam pro se missas nemo ostendere potest; quomodo enim eum invocarent, quem non noverant? superest ut dicamus, voces illorum factis magis quam verbis fuisse conflatas. Omnis enim iniquitas contra proprium
Gr. p. 173. auctorem clamare videtur, et pro laesis orat, laedentis saevitiam accusans, atque ad succurrendum invitans, si quis protegere queat. Hinc accidit ut adversus Cainum sanguis perempti ab eo fratris clamaret. Vox, inquit, sanguinis fratris tui ad me clamat.
* Hebr. XII. 24. Iam divus Paulus * Christi quoque sanguini vocem attribuit; dixit enim eum melius loqui quam Abelis. Ille enim interfectorem damnabat, et accusantis more vocem mittebat; hic autem mundo fuit salutaris, et peccatorum ei remissionem impetravit.
* I. Ioh. I. 7. Emundat enim nos ab omni peccato sanguis Christi, uti scriptum est *. Igitur ethnicorum perditio, sive ipsorum sanguis a Deo requisitus, clamoris vim habebat, et universalis creatoris iram invocabat contra ipsorum homicidas. Siculi enim Abelis sanguis clamasse dicitur ad Deum, haud sane quod propriam haberet vocem, sed quia Deus facinoris illius enormitatem detestabatur; sic etiam cogitare licet de daemonum adoratoribus. Etiamsi enim universalem Deum non noverant, proptereaque ad eum non clamabant; attamen quia daemonis violentia opprimebantur, hac ipsa quodammodo re clamabant, impense sibi auxilium deposcentes.

v. 14. **Miserere mei, Domine; vide humilitatem meam.**

Secundum vero anagogen, post memoratum pauperum clamorem, cuius Deus non erat oblitus, statim intulit psalmista quinam porro esset hic pauperum ethnicorum clamor. Tamquam enim illuminati, et resipiscentes, et daemonum detestantes fraudem, atque horum detectis demum insidiis, adeo ut iam inimicorum loco haberent, quos antea venerabantur, rogant superno auxilio potiri; seque humiliatos dicunt fuisse, haud a propria natura, nam Deus ad immortalitatem bonaque opera hominem creavit, sed illorum insidiis. Diaboli enim invidia mors in mundum introiit. Sed o Domine, ait ethnicus, miserere mei. Tu enim a mortis potes revocare portis inibi clausos. Mortis autem portae sunt malae potestates, quae suos subditos ad mortis barathrum immittunt; nec non multiplicia peccata, quibus detentos Deus solet ex-
* In gr. corr. θυγατέρα. pedire. Filiam * vero Sionis, illius caelestis primogenitorum ecclesiae, hanc terre-

(1) Ex hoc sequentibusque locis patet eum, qui Cyrilli commentarium excerpsit, praetermissis ceteris partibus, nempe historicis aut moralibus, partem fere tantummodo anagogicam seu mysticam in hoc nono psalmo retinuisse. Reapse ego quemdam quoque codicem vidi, ubi locorum anagogicorum ex Cyrillo, Maximo, aliisque patribus fit collectio.

strem appellant: ad illam enim directa est. Cura, inquit scriptura *, ut omnia per- * Exod. XXV. 40.
agas ad typi regulam qui tibi in monte fuit ostensus. Porro typus ecclesiae fuit ta- Gr. p. 174.
bernaculum. In hac ergo iam versans ecclesia, Sione inquam, tibi cantabo, laudesque tuas omnes palam sine fine nunciabo, ita ut nullam celebrandi partem omittam. Videtur autem his verbis significare, nequaquam a degentibus extra ecclesias, sed ab ingressis in eas per fidem, laudari Deum decere. Non enim speciosa est laus in ore peccatoris (1). Sed quomodo canemus canticum Domini in terra aliena? Aiunt ergo ethnici: propterea de humilitate nos excitas, ut in superna Sione chorum celebremus.

Exultabimus in salutari tuo. v. 16.

Secundum vero anagogen, gratum habent incarnationis opus ethnici, quod in Christo operatus est Deus pater, servatorem redemptoremque ipsum efficiens mundi totius. Libuit enim illi cuncta per eum instaurare, sive quae in caelis sunt, sive quae in terra: Quapropter ad fidem accesserunt, ceu quae inducere intra portas filiae Sionis potest. Salutiferum autem ubique scriptura Christum nuncupat. Quare canitur ex per-
sona quorumdam adventum eius discupientium *: ostende nobis, Domine misericor- * Ps. LXXXIV. 8.
diam tuam, et salutare tuum da nobis.

In laqueo isto quem absconderunt. v. 16.

Secundum vero anagogen, ethnicos dicere oportet impuram daemonum multitudinem, qui Servatori concinnarunt mortis, ut certe ipsi putabant, exitium. Duces enim fuerunt iudaicae vesaniae, ministro utentes discipulo furacissimo: verum ipsi magis illaqueati sunt, quam is passus ipsorum insidias. Redemit enim proprio sanguine mundum, atque a diaboli saevitia liberavit. Nam dixit, quo tempore salutarem crucem passurus erat: nunc iudicium est mundi huius, nunc princeps huius mundi
expelletur *. Et, si exaltatus fuero a terra, omnes ad me pertraham. Denique perse- * Ioh. XII. 31.
cutores id passi sunt, quod aliis fuerant machinati.

In operibus manuum eius (2). v. 17.

Secundum vero anagogen, recto iudicio peracto, poenaque reis inflicta, cognoscitur Dominus a credentibus in eum, ceu iustus, sanctus, potensque. Namque ope-
ribus manuum eius captus est peccator. Hoc dupliciter intelligere possumus: aut enim Gr. p. 175.
in Dei manus, tamquam in laqueum, incidens peccator, nequitiae suae poenas dat. Aut suarum manuum operibus irretitus capietur. Nam qui foveam proximo fodit, in ipsam decidet. Iustum vere iudicium est, ut qui homini mortem struunt, in eandem impingant, Deo fraudem contra fraudulentum convertente. Peccatorem autem heic appellat David aut absolute illum qui peccatorum reus est: namque omnino necesse est, eum qui sic vitam instituit, suis ipsis operibus compunctum puniri; suorum enim quisque peccatorum catenis vincitur. Aut peccatorem appellat iudaicum populum; et merito id quidem: mansit enim in suis sordibus, gratiae lavacrum nolens, atque in suis mortuus est criminibus. Denique peccatorem appellare Satanam quoque licet peccati inventorem, qui iusto iudicio circumventus fuit, propriis convictus operibus: insidiatus est enim, sed decidit sub sanctorum pedes.

Convertantur peccatores in infernum. v. 18.

Secundum vero anagogen, vehementi Dei amore commoti credentes, videntur iis imprecari qui Christi adventum et optatissimam gratiam negarunt, qua fieri po-

(1) En rursus citatum a Cyrillo Ecclesiasticum cap. XV. 9.

(2) Graece αὐτοῦ, quod tam de Deo quam de ipso peccatore intelligi posse ait mox Cyrillus. Quare et nos non *suarum* sed *eius* posuimus, ut duplicem sensum conservaremus.

terant regni caelorum heredes. Vel fortasse ethnici Dei obliti, daemones sunt. Hi enim nullatenus in suis actibus Dei recordantur, sed ab omni virtute bonove opere abhorrent.

v. 19. **Quoniam non in finem oblivio erit pauperis.**

Secundum vero anagogen, pauperes heic aut quosvis sanctos appellat simpliciter, qui demissum humilemque animum gerunt; aut vocatos ex gentibus, qui olim in omnium bonorum egestate versabantur (1). Horum, inquit, perpetua oblivio non erit; quorum reapse recordatus est misericors Deus; vocavitque eos per Christum ad veri notitiam, erroris veteris iugo depulso.

v. 20. **Exsurge, Domine, non confortetur homo.**

Secundum vero anagogen, illucescere mortalibus optat Unigenitum et suscitari, ut superbus ille diabolus, quem hominis nuncupatione nunc designat ob eius debi-
Gr. p. 176. litatem, et quia prae Deo hilum est, sed unus veluti de terrae filiis; ne magis attollat supercilium, aut validus videatur.

v. 20. **Iudicentur gentes in conspectu tuo.**

Secundum vero anagogen, salutare fieri de ethnicis iudicium precatur. Iudicentur enim, inquit, ethnici, non ut culparum suarum poenas dent, sed ut iniuriis potius adfecti appareant, et deinde tyranni manu erepti. Ita ut heic iudicium intelligatur, recta Dei discretio, qua misertus ethnicorum vocavit eos ad divinam sui notitiam.

v. 21. **Sciant gentes, quoniam homines sunt.**

Quod ait, huiuscemodi est. Multi huius quoque conditionis memoriam amiserunt, naturae suae obliti sunt, in vesaniam incurrerunt, semet ipsos nesciverunt. Viden, quomodo pro ipsis orat, atque eorum insaniae medicinam fieri petit? Nam se ipsum ignorare, extremi furoris ac vecordiae est, quorum alterum ad corporis coactam infirmitatem pertinet, alterum corruptae voluntatis morbus est. Secundum vero anagogen, orat ut gentibus legislator Christus constituatur; causamque huius precis addit: sciant gentes, quoniam homines sunt. Ante quam enim ad veritatis cognitionem venirent, et Servatoris iugo colla supponerent, beluinam vivebant vitam, nihil praeter carnem sapientes, pecudum instar voluptatibus ventris dediti. Adeo ut gemens
* Ps. XLVIII. 13. diceret David *: homo cum in honore esset, non intellexit, iumentis comparatus est. Sed per Christum denique ad intelligentiam homine dignam sunt translati, mandatisque evangelicis ad virtutem directi.

v. 22. **Cur, Domine, longe recessisti?**

Secundum vero anagogen, festinare illam, quae paulo post futura erat, gentium vocationem orat. Hoc autem ei desiderium iniecit diaboli fastus. Vel sic etiam explica. Cur procul abiisti, tamquam te afflictis subducens, atque eos praevalere sinis, qui res tuas diripiunt? Nec prope potius accedis per auxilium tuum, sed elisos negligis, etsi te invitat opportunitas ad defendendum? Sane misericordia non nisi afflictis debetur. Pressura igitur idoneum nunc adiutorium requirit. Non enim opus habent medico valentes, sed aegroti. Ceteroqui hic sermo humano nostro more figu-
Gr. p. 177. ratur. Non enim reapse abest Deus, qui omnia potius implet, nihilque eo caret. Quod si procul abesse dicitur, cave de locali absentia cogites; est enim incircumscriptum numen; sed quia affligi aliquem patique permittit, auxilium minime suppeditans, sic is nimirum abesse dicitur. Praeterea a nobis veluti abest Deus, ob na-

(1) Confer retro p. 110, ubi eadem sententia est.

turae differentiam. Grande enim inter Deum et creaturam intervallum est, et differentia infinita. Videtur heic ergo invitare unigenitum Verbum ad incarnationem. Sic enim qui aberat, nobis appropinquavit, quia cum Deus suapte natura esset, factus est caro. Idoneo autem tempore peractum fuit incarnationis mysterium, cum in extremum malorum mundus devenisset, inimicis ei omne genus insidiarum struentibus.

Dum superbit impius, incenditur pauper. v. 23.

Non solum in humanis negotiis damnum patitur pauper, verum etiam ad peccandum concitatur. Dum enim videt impium prospere agentem, cogitationes eius inflammantur, instigante Satana ut iniquum aemuletur. — Verus ergo hic sermo est, de superbo quovis et crudeli dictus, qui inevitabili praepotentia debiliores veluti incendit. Vere etiam alio sensu dicitur: nam qui mundanam hanc et diabolicam animalemque sapientiam excolunt, ob hanc superbiunt, et mente exiguos incendunt, id est gehennae filios efficiunt, mendacio faventes, et eloquentia sua fraudem exornantes, atque ita multos in errorem trahentes (1): qui heu tamquam laqueo quodam capiuntur decipientium consiliis circumventi: nam quod isti deliberant aut moliuntur, id infirmioribus decipula laqueusque fit. Alioquin et Satanas superbus est: qui cum sit huiusmodi, quamdiu certe hoc ei agere licuit et extolli supra mortales, incendebatur omnis pauper, id est mente exiguus, et spiritalibus viribus egens. Nam fastus improbi, pauperi populo veluti incendium fit. « Comprehensi sunt consiliis, quae agitabant. » Quinam vero consilia agitantes? Ipse peccati inventor, et ceteri mundi huius rectores, quorum consultationes atque malitia, et adversus omnes machinamenta, incautorum laquei fiunt. Vel ipsi hi praepotentes, suismet consiliis irretiuntur: quod enim machinantur, sine dubio in ipsos recidet. Ut ergo verba ad compendium conferam, tolli de medio petit superbum draconem, et consociatas cum eo potestates, quorum consultationibus incenditur pauper, ad omne nequitiae genus compulsus, dum quis sit verus natura Deus ignorat, neque divinis legibus ad honestatem dirigitur. Gr. p. 178.

Quoniam laudatur peccator in desideriis animae suae. v. 24.

Vel etiam sic (2). In tantum, inquit, nequitiae atque infelicitatis res humanae venerunt, dum effertur superbia impius, ut prorsus nemo iam recte vivendi studiosus sit; contra vero laudentur ab omnibus ii, qui sui animi cupiditatibus obsequuntur. Atque hi fortasse de re male sibi plaudunt, et se pravos esse gloriantur, quia eis nemo convicium facit, immo omnes plaudunt potius ac benedicunt.

Exacerbavit Dominum peccator. v. 25.

Potes et sic intelligere, quod Dominum nempe exacerbaverit, dum providentiam eius et iudicii eiusdem dogma irrideret. Multi enim, si quid huiusmodi audiunt, statim sibi risum excutiunt. His connectenda sunt verba « secundum multitudinem irae suae: » ut sit integer sensus hic: excerbavit, inquit, Dominum peccator, iram plurimam in se concitans. Nam « suae » de exacerbante Deum accipiendum est. Deinde dictio « non exquiret » cum interpunctione legenda: ut versiculi sententia sit: ergone hic quidem Deum exacerbat, et irae contra se plurimam inflammat? Deus vero non exquiret? Aut etiam hoc modo: exacerbat Dominum peccator, dum eum mente non retinet. Deinde

(1) Graphice Cyrillus describit sapientes illos qui compositis exornatisque speciosa eloquentia libris venenatam incautis populis, id est mente exiguis hominibus, doctrinam propinant, et gehennae filios efficiunt.

(2) Pars haec est tantum posterior cyrilliani fragmenti. Sic et infra.

interrogandum sic: quid porro? Deus non exquiret iudicii tempore, cum magnitudo et accensio irae eius erit (1)?

v. 25. et 26. **Non est Deus in conspectu eius; viae eius semper inquinantur.**

Nam qui Deum esse ignorat, ne iudicem quidem fore scit. Ergo ad homines quod attinet, sic versiculorum sententia intelligenda est: quod cuiusque peccandi studiosi, et ad malum incontinenter spectantis, atque omnifariam exacerbando Deo dediti, eo quod de praesentia eius non cogitet, inquinantur omnino viae, hoc est actiones, et
Gr. p. 179. immunditia scatent, nequitiaeque coeno foedantur, quasi de abolendis Dei iudiciis praeceptisque negotium sit. Namque omne peccatum divinorum mandatorum scopo adversatur; et quantum eius vires ferunt, ipsa virtutis moderatrix lex perimitur, et dominica voluntas evertitur. Sed de Satana quoque convenienter admodum haec dici queunt; semper enim impurae viae eius, et Dei legibus contrariae.

v. 26. **Omnium inimicorum suorum dominabitur.**

Non omnium inimicorum suorum dominabitur Satanas. Atqui cum omnes iusti, inimici ei sint, nonne omnium istorum dominabitur? Non in omni videlicet actione dominabitur, sed in aliqua. Unus enim Christus peccatum non fecit, neque inventus est dolus in ore eius.

v. 28. **Cuius os maledictione plenum est, et amaritudine ac dolo.**

Diaboli quoque (2) os amaritudine doloque redundat. Profecto obsidet pauperes, ut laqueis suis captos interimat. Quod autem sequitur « cum divitibus » quid aliud intelligatur, quam malitiâ divites? Hi quippe una cum diabolo contra pauperes spiritu conspirant. Haec de haereticis quoque intelliges. Nam sicuti horribiles rabidique serpentes vim suam omnem morsibus exserunt, ita et isti: scatent enim amaris sermonibus, detestandisque sententiis, et fraude ac dolo, et molestiam sub lingua insitam habent. Tundunt enim impiorum voces corda simpliciorum, et cum dolo ac fraude ad illicita persaepe deducunt. Sed detestabilis prae ceteris fraus dolusque diaboli: is enim ad peccatum impellit, susurrans improbe ad cor mentemque, semperque malo patrando favens; et quod amarum est, dulce mentiens, tam ipse quam nequitiae eius imitatores: quorum negotium est bonos subvertere, et occultis insidiis immerentes occidere, id est latente scelere, et velato prout potuerint malo. Nam qui volunt rectos decipere, saepe bonitatem simulant; mox inhaerentes, erroris venenum insinuant,
Gr. p. 180. sensimque menti innocentium subrepunt, ad sua illos sevocantes. Verumtamen haud contra omnes indiscriminatim id agunt, sed contra illos potissimum quorum paupercula mens est, prudentiae nimirum opibus carens. Id enim significari existimo verbis « oculi eorum in pauperem respiciunt. »

v. 30. **Insidiatur in occulto, sicut leo in spelunca sua.**

Etenim virtuti hominem deditum etiamsi parumper ad se attrahat [diabolus] nihilominus resipiscente demum et recedente eo non potitur. Verumtamen virtute pauperem et insipientem semel ac ad se traxerit, in spelunca nequitiae correptum mandit, ceu leo ovem in secreto. — Quid vero significat « insidiatur ut leo? » Aiunt leonem in montibus intra speluncam suam quietum se continere ac veluti delitescere, ne conspectu suo animalia cetera terreat, quibus ipse ali solet. Verum ubi quodpiam propinquans viderit, repente exsiliens graviter frendet, et cum horrendo rugitu irruit,

(1) Haec in aliis catenis videntur attributa fuisse, non sine interpolationibus, Athanasio, contradicente tamen Niceta in codice vaticano. Item postrema verba fragmenti primi psalm. seq.

(2) Nempe de aliis ante locutus fuerat Cyrillus.

rapitque occurrentem praedam, quam antea terrore exanimaverat. Leo rugiet, inquit scriptura *, quis non pavebit? Leoni ergo similis Satanas insidiatur, ut rapiat pauperem: contra timet a divitis virtute obstaculum. Interim mentis et spiritalium virium egenos, facillime capiens, dulcem sibi facit praedam. Plurimi autem sunt diaboli laquei, et ille praeter ceteros, si verus natura Deus ignoretur. Dictionibus autem « incurvabit se, et cadet » duplex sensus inest. Nempe vel quia dum impius potitur paupere, hic cladem passus, et sub illius tyrannidem redactus, incurvabit se et cadet, id est humiliabitur, ac veluti humi iacebit, pereuntibus in proelio similis. Vel ipse impius postquam pauperibus praevaluerit, id est debilibus, mox cadet; sicuti et Satanas post devictos pauperes humiliatus fuit.

* Amos III. 8.

Dixit enim in corde suo: oblitus est Deus. v. 32.

Existimavit autem etiam Satanas se pauperibus potiturum, quasi iam terram non respiceret Deus, sed ab ea aversus esset, neque viventium in ea curam gereret.

Elevetur manus tua. v. 33. *Gr. p.* 181.

Percutiat, inquit, manus tua, et iam attollatur, intendens peccatoribus ferulam, secundum Isaiae dictum *: in his omnibus non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius sublata. Solet enim percutientium manus extolli. Si enim ita versiculum intelligas, utique et alibi manus Domini est, quae cuncta opera eius fortiter efficit, vivens et consubstantialis virtus, id est filius, qui in altum sublatus pro nobis, et venerandam crucem passus, gloriam adeptus est. Sic enim potentiam mortis extinxit, atque a corruptela ad incorruptionem immortalitatemque hominis naturam transtulit. Nam per filium omnia operatur. Quippe sic ait quodam loco Deus pater *: ego manu mea caelum solidavi.

* Is. V. 25.

* Is. XLV. 12.

Propter quid irritavit impius Deum? v. 34.

Impius quidem sic loquitur, rapiens, opprimens, nec tamen poenas adhuc dans. Propheta vero, ut huius dogmata extinguat, de Dei patientia sermonem infert. Et ille quidem dicit, Deum faciem suam avertisse ne videat; David autem contra ait, vides, Deus, et intelligis, tum laesorum laborem, tum etiam laedentium iram: differs autem, donec ipsi in manus tuas incidant. Haud tamen nos alii in Dei manus mittunt, sed unusquisque a peccatis propriis propemodum illuc pertrahitur. Age vero dictio « propter quid » haud dubitantis est, neque causam ignorantis ob quam ausus sit impius Deum exacerbare, sed eam potius narrantis. Ergo tamquam interrogando et cum interpunctione prior versiculus legendus est, ut causae declarationem faciat posterior. Sed enim impius secum reputavit, Deum neque exquirere, neque res humanas respicere. Quod autem a veritate aberraverit, et a cognitione bonitatis et caritatis Dei procul abierit, ipsa per se facta clamabunt. Prorsus enim res mundanas Deus non neglexit, sed caelo misit filium suum ad quaerendum quod perierat, revocandum errantes, roborandum quod languebat, et quicquid contritum erat morbo expediendum.

Tibi derelictus est pauper. v. 35. *Gr. p.* 182.

Dicit de infirmo et de ope destituto, qui a te uno auxilium requirunt. Potest enim servare pauperes atque pupillos. Valde autem versimile est, illos intelligi qui nondum verum suapte natura Deum agnoverunt; qui pauperes quidem eo nomine sunt, quod divinorum sacrorumque munerum copia carent, quae videlicet manant de pia conversatione et vita secundum Christum acta: pupilli autem, quia nondum patrem nacti sunt Deum. Dedit enim filius facultatem credentibus nomini eius, ut filii

Dei fiant. Qui ergo nondum crediderant, neque ex aqua et Spiritu renati erant, pupilli omnino censebantur.

v. 35. **Pupillo tu eras adiutor.**

Non ait « es » sed eras. Antea enim quum omnes peccatores essent, tu solus pupillorum eras adiutor: nunc etiam tui [id praestant] qui legis mandata custodiunt.

v. 36. **Contere brachium peccatoris et maligni.**

Satanae tantum fuit peccatum, ut a Deo inquisitum, extrema poena dignum fuerit indicatum. Quamobrem contritum fuit et viribus cassum brachium illius, id est eius contra nos potentia. Verumtamen digna est sancto viro postulatio, et omni laude commendandum hoc precum genus. Sanctum enim est et universo mundo utile, ut cuiusvis peccatoris brachium infringatur, id est potentia: alioqui enim huic tantummodo usui eam retinent, ut pauperes conterant. Huiusce peccatoris brachium conteritur a Domino, et peccatum eius si forte quaeritur, iam non reperitur.

v. 37. **Quaeretur peccatum eius, et non invenietur.**

Si investigetur, inquit, inique agentis peccatum (1), haud invenietur, id est merito destruetur.

v. 37. **Peribitis gentes de terra illius.**

Christo quippe regnante proiicientur in ignem aeternum. Gentes autem intelligit impuros daemones, non homines quorum salvandorum post iustificationem per Christum in fide, spes erat. Cur enim optasset abire in exitium etiam ethnicos qui nondum fidem susceperant?

v. 38. **Desiderium pauperum exaudivit Dominus.**
Gr. p. 183.

Hoc erat ipsorum votum, nempe ut futuris digni fierent bonis. Ob horum enim expectationem, ad omnia patienda cor comparabant. Sed fortasse dicet aliquis: quodnam erat hoc desiderium apud eos qui adhuc in errore versabantur? Respondemus ergo, quod brachio improbi contrito, qui non iam eos, ut olim in ignorantia Dei detinebat, vocatae sunt gentes ad desiderium consequendae per Christum salutis, veritatemque agnoscendam, et paratissimo ad credendum ei corde fuerunt.

v. 39. **Iudicare pupillo et humili, ne quis ultra se iactet.**

Secundum vero anagogen, verbis « pauper et humilis » intelliguntur adhuc increduli. His optat fieri iudicem Christum, qui Satanam damnet, deceptos autem ab hoc iustificet. Hoc enim peracto, iam homo in terra non gloriabitur: sive ipse Satanas hominis nomine indigitetur, propter insitam ei debilitatem: nihil enim prorsus ipse est prae Dei fortitudine: sive vel simpliciter intelligatur quicumque homo diabolicae nequitiae minister fit, atque eius voluntatum instrumentum. Homo enim huiusmodi, iam ulterius non gloriabitur de victoria contra infirmiores. Utinam det nobis quoque Deus debellare in occultis insidiantem beluam, ut in posterum nullum hosti de damno nostro gaudium supersit!

PSALMUS X.

v. 1. **In Domino confisus sum; quomodo dicitis animae meae? etc.**

Evidens est psalmistae scopus; nam se confisum in Domino adfirmat. Qui autem sequitur versiculus varios nobis sensus suppeditat. Parit enim suspicionem, psalmistam alloqui nonnullos, et quasi increpitare dicentibus sibi: transmigra in montes.

(1) In graeco textu suppleatur ἁμαρτία, quamquam deest in codice.

Cur mihi, inquit, in Deo confidenti suadetis ut passeri assimiler, atque in altissimos montes convolem? Oportuit ergo me, inquit, in Deo confidentem nequaquam audire « transmigra in montes » sed laudari potius sententiam meam, et tamquam optima consilia secutam magni fieri. Primus itaque hic sensus est. Alter vero. Tentatione instante, et bello mox insurgente, vel spiritali fortasse vel exteriore, quomodo nos comparatos esse oporteat, sermonem in propria persona figurans, conatur docere, aitque: *Gr. p. 184*
in Domino confisus sum. Atque hactenus sermonem sistens, mox ut solent qui in discrimine versantur, pergit dicere: quomodo dicitis animae meae? id est, quaenam mihi laudabilia merito consilia suppeditatis, nempe ut migrem in montes sicut passer? Haec mihi a vobis, inquit, dicuntur. Nam qui Deo confidunt, eos intellectualiter volare decet, et in sanctis montibus commorari, id est sanctorum illorum contemplari vitas, et probati moris rationem scrutari, atque ipsorum vestigiis insistere. Sanctos autem montes dicimus sanctos prophetas ac iustos. Si qui ergo avolantis passeris more, intellectualibus his insidebunt montibus, videre hos licebit praeclaros fieri, non ob insitas ipsis vires, sed quia Deo confisi erant. Denique et alio modo eos qui Deo confidunt, veluti passerem evolare oportet in montes. Montes vero virtutes dicimus, quia nihil humi reptans habent: quos ad montes mentem nostram dirigentes, et terrenarum rerum desiderium vile expellentes, contra flagitiosas voluptates invicti permanebimus.

Ecce enim peccatores intenderunt arcum. v. 2.

Secundum vero anagogen, necessarium ait esse intellectualem in montes recessum, utpote intendentibus iam arcum peccatoribus, et proelium parantibus. His autem verbis ad fugam hortabantur aientes, nisi fugeret, fore ut illum peccatores tenebrosa in nocte sagittis appeterent, pro clam et tamquam sub hebete lunae luce. Huiusmodi enim sunt spiritalium hostium iaculationes. Nam tenebris se involvens malus daemon, in pulchrum ecclesiae corpus iacula dirigit. – Peccatores intelligi possunt etiam fidei persecutores, et qui pie vivendi studiosos palam insectantur. Id autem strenue admodum faciunt malae quoque potestates, omne insidiarum genus sanctis intendentes.

Ut sagittent in obscuro rectos corde. v. 2.

Parati sunt inimicorum in tenebris arcus. Sic enim appellavit subeuntes lunam tenebras eamque obumbrantes. Tunc ergo dimicant peccatores daemones: namque in luce ferire iustos nequeunt, sed in ignorantiae tenebris; cum socordiae superveniens *Gr. p. 185.*
nubes, lunae nostrae, id est mentis, lumen obscuraverit.

Quoniam quae tu perfecisti, ipsi destruxerunt. v. 3.

Secundum vero anagogen, manifeste demonstrat, Dei hostem Satanam et malas ceteras cum eo potestates pie vivere volentibus insidiari. Propositum enim illis est aedificium Dei evertere, et voluntatibus eius adversari. Contulit enim, inquit scriptura *, inimicus hominem in corruptelam, qui tamen ad immortalitatem creatus fuerat. * Sap. II. 23.
– Oppugnant daemones divinum propositum; et quae omnium dominus ita condidit ut bene se habeant, ipsi destruunt. Fingit enim laborem in praecepto * iniquitatis sedes, id est Satanas. * Ps. XCIII. 20.

Iustus autem quid fecit? Dominus in templo sancto suo. v. 3.

Iustum nunc Deum fatetur, id quod circa omnia quidem sed praecipue circa iustorum salutem dici putabimus. – Secundum vero anagogen, memorata diaboli perversitate, perspicue denotat eum, qui salvare valuit, atque ab illius oppressione sub-

ducere. Quum enim diabolus ea destruere adgressus esset, quae ad mortalium salutem Deus fecerat, legem suam doctrinamque tradens, quid iustus (Deus) egit, qui in proprio templo habitat, qui throni loco caelum habet, et cuius oculi pauperem respiciunt? Oportet enim versiculos connectere, tamquam si unam sententiam efficerent. Respectus autem hoc loco inspectionem significat. Deus certe inspiciens salvat, et extra laqueum statuit: respicit autem pauperem, spiritu inquam pauperem. Ad
* Is. LXVI. 2. quem enim, inquit, respiciam, nisi ad humilem et quietum *? Iam cum divina scriptura de Deo verba facit, deinde partium meminit corporearum, mens caveat audientium ne res sensibiles sibi proponat, sed ex sensibilibus tamquam verisimilibus rebus, ad intellectualium pulchritudinem conscendat, et extra omnem figuram, quantitatem, circumscriptionem, speciem, aliaque huiusmodi, quae corpora comitantur, Deum esse cogitet. Est enim reapse supra omnem intelligentiam. Humano autem more de Dei rebus loquimur, quia res nobis superiores haud aliter imaginari possumus. Palpebrae igitur, id est oculi, visualis Dei vis dicitur, quam in ipsius natura intelligimus: exquirit enim, id est accurate scrutatur, et considerat pium aeque ac impium homi-
Gr. p. 186. nem; et illi quidem auxiliarem commodat manum, et lumen menti obiicit, ne in tenebris sagittis appetatur; hunc autem effrenate currentem, per petras ac praecipitia ruere patitur.

v. 4. **Palpebrae eius examinant filios hominum.**

Iudicii tempore palpebris Deus ceu minarum indicio utitur. Namque has nos quoque solemus irati contrahere; item cum aliquid intente spectare volumus. Quare harum Salomon neque in sponso neque item in sponsa, ceu irae iudicioque magis, quam nuptiis et laetitiae idonearum, meminit. Vel denique oculus omnituentem Dei vim significat.

v. 6. **Spiritus procellae pars calicis eorum.**

Calicis vocabulo heic poenam designat, nempe veluti calicem in manu Domini unde bibunt peccatores. Secus vero iustorum calix, salutem ipsis confert, quia hila-
Ps. CXV. 13. ritatem vitamque conciliat; velut illud *: calicem salutaris accipiam. Secus autem peccatorum calix morti admovet, et inextinguibilem flammam excitat: est enim ignis, sulphur, et procellae spiritus: ut intelligamus, quod sicuti ventus in flammam incidens attollit ipsam et facit vehementiorem, sic etiam iudicis ira, procellosi spiritus instar, damnatis ad poenam incumbens, perennem fore poenam demonstrat.

v. 7. **Quia iustus Dominus, et iustitias dilexit.**

Id est aequitatem, quae tum servatur potissime et inclarescit, cum ad bona elevantur qui se propter Deum humiliaverant: et cum vicissim deprimuntur (1) ad poenam ii, quos diabolus extulerat. Hanc enim sibi propositam habet atque exercet Deus rectitudinem. – Punientur itaque iniustitiae amatores. Inspicit autem Deus hominem rectum, id est sanctum atque constantem, et qui morum suorum ac vitae regulam facit divinam legem.

PSALMUS XI.

v. 1. **In finem, pro octava, psalmus Davidi.**

Canitur hic quoque psalmus, veluti amoris erga Deum et genuinae adhaesionis continens demonstrationem. Invehitur porro David in simulatores quosdam, qui ami-

(1) In codice revera est ταπεινῶσι, sed scribendum fuerat ταπεινωθῶσι.

citiam spondebant, reapse autem inimico Sauli ipsum prodebant, et ubi lateret denunciabant. Sed psalmi verba sancto quoque cuivis conveniunt, qui puram singularemque vitam instituerit; neque propriae tantum sit sollicitus animae, sed de errantium quoque inscitia doleat, eosque pariter cupiat Deo obedientes fieri. Cantici huius argumentum est, invectio contra quemvis iniustum ac malignum, animo sententiaque inconstantem, mendacem et assentatorem, dolis ac fraudibus innutritum. Videtur etiam ethnicorum sapientiam increpare. Facit insuper Christi nostrum omnium servatoris mentionem. Continet etiam promissionem, tamquam eius qui needum ad adiuvandum venisset oppressos a diabolo. Canitur autem pro octava, quo die fuit resurrectio, et vocatio gentium, et sancti Spiritus donatio, et intellectualis id est in spiritu circumcisionis virtus. Orat propheta, ut a generatione mala eripiatur: quae quidem illa fuit ut arbitror, Christi aetate, de qua ipse aiebat: viri ninivitae generationem hanc iudicabunt. Sic autem canticum exorditur. Gr. p. 187.

Salva me, Domine, quoniam defecit sanctus. v. 2.

Tantam itaque ait David recte viventium esse penuriam, ut paene et illi in vitium trahantur qui in divina lege fuerant instituti: atque egere se dicit, id est omnes de quibus verba facit, manu tutelari, nimirum Christo; neque Iudaeos tantummodo, sed omnes sub caelo mortales. Est enim ipse expectatio gentium, uti scriptum est *. * Gen. XLIX 10.

Quia deminutae sunt veritates a filiis hominum. v. 2.

Falsa sunt omnia apud ethnicos, sapientia videlicet, sermones, et vitae ratio: nam verae rei, id est necessariae vel utilis, nihil apud eos quispiam comperiet, qui creaturam deificarunt, omisso eo qui suapte natura est Deus. Ergo apud illos deminutae sunt veritates.

Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum. v. 3.

Hoc de Iudaeis vere dicitur: unusquisque vana proximo suo locutus est, quo tempore adversus Servatorem nostrum struebant insidias. Apud ethnicos pariter poëtae et oratores sive historici, nihil de veritate solliciti, quicquid eis visum fuit, perinde composuerunt, hoc uno sibi fine proposito, linguae scilicet ostentatione (1). Gr. p. 188.

Perdat Dominus cuncta labia dolosa, linguam magniloquam! v. 4.

Secundum vero anagogen, quomodo illa non est dicenda arrogans lingua, quae ausa fuit Servatori dicere *: in qua potestate haec facis? Aut quis tibi hanc dedit facultatem? Illud quoque iudaicae audaciae proprium fuit: labia nostra apud nos sunt, quis noster Dominus est? tamquam si illi mente revolverent, posse se quicquid vellent, adversus Servatorem dicere. * Luc. XX. 2.

Labia nostra a nobis sunt. v. 5.

Nos, aiunt ethnici, politi eloquii inventores fuimus.

Propter miseriam pauperum. v. 6.

Heic consurgit deprecantium persona. Qui autem preces recipit, respondet petentibus, promittens Dei interventum et auxilii munus. Pauperes nominat, spiritu pauperes, quorum exaudiens, inquit Deus, clamorem, consurgam adiutor.

Nunc exsurgam, dicit Dominus, ponam in salutari, fiducialiter agam in eo. v. 6.

Consurrecturum se dicit. Neque vero dicimus, corporalem esse consurrectionem, sive excitationem, sed voluntatis significationem hanc esse, manum deinceps adiutricem laborantibus porrigendi. – Secundum vero anagogen, manifestum cunctis sa-

(1) Argumentum hoc latius exornat Cyrillus noster respondens quartae impii Iuliani obiectioni lib. VII.

lutare Christi constituit, et ubique inaudiendum: confidenter enim in universo orbe praedicatum fuit.

v. 7. **Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne septies examinatum.**

Casta id est castos efficientia: nullatenus enim ea male se habent, sed adeo sunt splendida et defaecata, ut argentum videantur, igne non semel sed saepissime excoctum: id enim significari arbitror vocabulo « septies. » Probata sunt ergo terrae
* Is. I. 22. incolis Servatoris oracula. – Iudaeis per Isaiam exprobrat Dominus *: argentum vestrum haud est probatum, nempe fidei doctrina adulterina est et spuria, neque verum regiae imaginis characterem retinens.

v. 8. **Tu, Domine, custodies nos, et conservabis.**

Gr. p. 189. Secundum vero anagogen, orat propheta ut eripiatur a iudaica, cuiusmodi sub Servatore fuit, gente incredula, truculenta, et adultera.

v. 9. **In circuitu impii ambulant.**

Secundum vero anagogen, ideo dicit custodies nos, quia nos undique circumstant impii, saluti nostrae insidiantes.

PSALMUS XII.

v. 1. **In finem, psalmus Davidi.**

Hunc canit psalmum peccati sui paenitens; simul nobis salutare illud nuncians, a quo normam accepimus, qua post peccatum accedere ad Deum possimus.

v. 2. **Quo usque avertes faciem tuam a me?**

Quid est quod faciem Deus a peccatoribus avertit? quia indignos aspectu suo iudicat. Quamobrem ego conscientia mea compunctus, Deique iudicium metuens, utpote procul ab eo ob peccatum submotus, per paenitentiam animi voluntariam renovor, ne forte in peccato moriar. Atque ea res mihi potissimum maerorem animi creat. Pro quo Symmachus dixit: curam in corde meo quotidie. Iam haec nostri admonendi causa scripta sunt, atque docendi quomodo oporteat a peccatis resipiscere, praedictis verbis tamquam pharmacis utentes. Vel etiam oblivionem appellat auxilii dilationem, oratque ne a divina prorsus providentia destituatur.

v. 2 **Quamdiu exaltabitur inimicus meus super me?**

Interrogat de his Deum, non quasi causam, sed quia nutu suo impedire eadem potest. – Nam si pie nobis viventibus deprimitur hostis, vicissim peccantibus extollitur. Nam Satanae elevatio est, hominum humiliatio: quia sicut Deus salutis nostrae causa efferri dicitur, ita diabolus exitio nostro extollitur (1). Sufficiat, inquit, ei semel fuisse elatum, dum ego scilicet peccato deprimerer. Cur iam diutius contra me extollitur?

v. 4. **Ne umquam obdormiam in morte.**

Gr. p. 190. Somni nomine pigritiam designavit, qua obsessi vitae phantasiis vagamur, otiosique in voluptatis lecto cubamus. Ne itaque pigritiae somnum dira mors subsequatur, illuminari oculos suos, id est animae sensus, postulat, ut videant veritatem. Vereor, inquit, ne somnus in mortem desinat, si vehementior fiat calamitatum dolor.

v. 5. **Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero.**

Sicuti athleta extra stadii sulcum prosiliens vincitur, ita christianus deperditis quae initio acceperat donis, subversus cadit. Non igitur immutemur, ne gaudium inimicis nostris creemus.

(1) Haec Nicetas ex Cyrillo recitat, quae alii nescio quomodo ad Athanasium traxerunt.

Cantabo Domino, qui bene mihi fecit. v. 6.

Hoc quoque, ut aliud praecedens, tenendum est; nempe prophetam non quia nunc nesciat cantare, his verbis uti, sed quia perfectius in posterum cantaturus sit, cum magis profecerit consummatusque fuerit. Cuinam vero cantabit? benefactori nimirum suo, qui creavit et restauravit.

Psallam nomini Domini altissimi. v. 6.

Beatus qui psallit spiritu et mente, si modo sciat cui psallat, quodque scit factis praestet! Qui hoc modo psallit, caelum penetrat, nubes transcendit; et Altissimo, cuius nomini concinit, nulla re impediente, adstat.

PSALMUS XIII.

Dixit insipiens in corde suo: non est Deus. v. 1.

Culmen omnis nequitiae hoc est. Namque opinari Deum non esse, sed fortuito cuncta esse facta, proterviae omnis, illicitique operis initium est. Ergo hic sermo ostendit, in tantam venisse homines impietatem, ut his quae existunt rebus non praeesse Deum, sed universum mundum existiment fortuitam per se ipsum sortitum esse naturam. Age vero quid significant verba « dixit in corde? » Quandoquidem alius est sermo prolatus, alius intra repositus, non de prolato sermone nunc loquitur propheta, sed de animi interiore sententia. Dixit enim in corde suo, id est cogitavit Deum non esse. Nempe omnis qui palam et cum manifesto contemptu peccat, etsi non voce, operibus tamen ipsis et vitae perversitate paene clamat: non est Deus. Nam qui ita *Gr. p.* 191.
vivere solent quasi Deus non intueretur, quique omnia sine ullo respectu agunt, operibus ipsis et factis Deum negant.

Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum. v. 3.

Haec de ethnicis quoque intelligas licet. Nam caro terrena, peccati legem ceu morbum secum gerit: mensque hominis valde prona est ad declinandum in malum iam inde ab adolescentia sua, uti scriptum est *. Merito ergo sacer de nobis conque- * Gen. VIII. 21.
ritur sermo: omnes enim, inquit, declinaverunt. Nam quum recta via progredi oporteret, atque a creaturarum pulchritudine et ordine creatorem consequenter cognoscere, et a propheticis vocibus ad veritatem perduci, contra accidit; et in sexcentas erroris et perditionis vias declinarunt, ac flagitiosis actibus inutiles evaserunt, nemoque iam bonis moribus utitur.

Sepulcrum patens est guttur illorum etc. *usque ad* **ante oculos eorum.** v. 3.

Diodorus, quidem Theodorus, Cyrillus, et Didymus, a verbis « sepulcrum patens » usque ad « in viis eorum » textum legunt; verumtamen in hexaplis haec non habentur (1).

(1) Scholion quod in graecis p. 191. posuimus, revera ita se habet in codice K, iterum a nobis inspecto; nempe recitatur ibi in margine (namque a textu abest) locus biblicus τάφος ἀνεῳγμένος usque ad verba ἐν ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν, qui tamen usque ad τῶν ὀφθαλμῶν extendi debuisset; eatenus enim fragmentum hoc in sacra critica famigeratum pertingit. Iam vero in catenis vaticanis, quibus nos usi sumus, abest id fragmentum a codicibus A. B. E. F. I. L. Legitur autem in codice C. p. 24. sine commentario. Item in codice D. p. 58. in margine sub asteriscis, et cum scholio: οὐδαμοῦ κεῖνται (οἱ στίχοι οὗτοι) τῶν ψαλμῶν· πόθεν δὲ ὁ ἀπόστολος εἴληφεν αὐτούς, ζητητέον. Denique in codice M. p. 21. b. (quem codicem serius a me inventum dixi p. gr. 450.) ita legitur ut in codice K, nempe Διόδωρος etc. ut iam scripsi in graecis, sed tamen recte et plene usque ad τῶν ὀφθαλμων αὐτῶν. Nihil dico de codicibus G. et H. qui sunt acephali. Iam vero scholia duo quae ex codd. D. K. et M. nos citavimus, vidit iamdiu in mss. etiam Nobilius ad sixtinam latinam ex graeca, p. 753. Conferatur etiam Montfauconius in hexaplis, et magnus praecipue magister olim meus Bernardus Rubeus in variis lectionibus T. V., qui non levi eruditione hanc rem illustrat.

v. 4. **Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem?**

Versiculus hic interrogative legendus est. Quoniam dixerat, omnes declinaverunt, et operantur inique, nunc ait: num ergo hi Dominum cognituri sunt, et in illum credituri? Sane multi credent: alii tamen in incredulitate perstabunt, et persequentur eos ac vexabunt qui in Christum crediderint.

v. 5. **Ibi timuerunt timore, ubi non erat timor.**

Reprehendit hos psalmista. Iudaei ergo in infidelitate constantes, vano timore expaverunt, quem gratis experti sunt. Quinam vero fuit hic stultus timor? Timuerunt, ne si forte Christum admitterent, in eumque crederent, Deum offenderent. Quamquam versiculi sensus de credentibus quoque dici potest, ita ut loci sententia sit:
Gr. p. 192. Moysis quidem lex poenam inferebat; Christi autem timor castus est; facit enim ut tamquam filii patrem metuamus. Ergo post illud tempus, quo Christi adventus fuit, timore timebunt ubi non est timor, a legis nimirum minis; quia tum erit conveniens potius liberis hominibus pietas.

v. 7 **Quis dabit ex Sion salutare Israhelis?**

Cerne quantopere Dominum discupit, et quam non tolerat futuri temporis expectationem quo salutare Dei patris, nempe Christus, exorturum erat! Dicit autem ipsum
Matth XV. 24. salutare Israhelis, quia primarius fortasse adveniendi finis Israhel fuit. Dixit enim *: non sum missus nisi ad oves deperditas domus Israhelis. Aut alio modo. Quia nempe,
* Rom IX. 4. ut divus Paulus scribit *, Iudaeorum erant promissiones, legislatio, foedus, et patres, unde factus est secundum carnem Christus. Discupio igitur adventum eius, ait

Profecto sanctus Hieronymus praef. ad lib. XVI. in Isaiam, etsi hos tres versiculos in ecclesiis legi non negat, attamen a Paulo (ad Rom. III. 13.) ex variis psalmis et ex Isaia collectos iudicat, et deinde ab alio nescio quo, ex Pauli epistola ad hunc psalmi locum translatos. Hieronymo adquiescere videtur doctissimus Bellarminus in suo ad hunc psalmi locum commentario. Immo idem vir purpuratus de verbo Dei lib. II. cap. 2. post relatam Hieronymi sententiam, diserte scribit: « dices, si ita est, cur Ecclesia in editione vulgata hos versiculos esse patitur? Nimirum ea de causa, quoniam sunt etiam ipsi sacrae scripturae partes quaedam; et quoniam sine turbatione et scandalo populi non possent auferri, cum longo iam tempore ibi fuerint: quomodo etiam patitur nonnullos errores typographorum. »

Quae quum ita se habeant, attamen ego nolo indefensam prorsus hanc rem destituere. Etenim codex omnium graecorum antiquissimus vaticanus, quem prae oculis habeo, p. 630. exhibet in psalmo hos versiculos, et quidem non in margine, ut a nonnullis temere dictitatum fuit, sed in ipso contextu, sine ullo veru, sine ullo interpolationis vestigio. Codex autem hic vaticanus iure meritoque sixtinorum bibliorum editoribus praef. p. 2. « ante tempora B. Hieronymi, et non infra, scriptus videbatur, et inter ceteros optimus iudicatus fuit. » Ceteroqui Hieronymus hunc non vidit, neque enim auctoritatem eius hoc loco neglexisset. Codicis vaticani patriam vel originem nondum ego cognovi; sed certe Georgius Syncellus in chron. ed. paris. p. 203. pervetustum quemdam memorat codicem septuagintaviralem, ex caesariensi Cappadociae bibliotheca a se acceptum, qui ex antiquiore adhuc descriptus fuerat codice, divi Basilii manu emendato. Me hercle maxime permovet, quod hi versiculi in tam insigni atque incomparabili codice recitentur, et quod testetur Hieronymus, ut iam dixi, eos a christianis ecclesiis in psalterio cantari solitos. Postremo, ut alia aliquot testimonia addam, habet hos versiculos codex etiam pervetus syriacus ambrosianus, quem item meis oculis vidi, quemque demum v. cl. Bugatius edidit. Habent vulgatus lat., arabs, et aethiops, praeter catenas vaticanas, quas supra appellavi; nam quominus vaticanorum codicum congeriem in praesenti scruter, tempore prohibeor. Legebantur in psalmo hi versiculi a graecis patribus, ut supra diximus, Diodoro, Theodoro, Cyrillo nostro, ac Didymo; quibus addo tertium patrem alexandrinum Athanasium, ex eius in psalmos fragmentis a Montfauconio vulgatis. Legebantur, observante Sabaterio, iidem versiculi a Iustino, et a latinis patribus Ambrosio, Augustino, Cassiodoro, Optato, qui omnes itala vetere ex graeco derivata utebantur. Denique mihi videtur credibilius, divum Paulum ex pleno aliquo psalterii codice, qualis est vaticanus, hos versiculos expedite recitasse, quam laboriose ex quinti, octavi, noni, trigesimique quinti ac noni psalmorum particulis, postremoque ex Isaia cap. LIX. 7., consarcinavisse. Stat ergo sua propria (ni rei nimio amore fortasse fallor) huic psalmi particulae auctoritas, quin ea ex aliis sacrorum bibliorum locis necessario conquiratur.

propheta. Quis mihi tribuet, ut Servatorem de superna Sione caeloque advenientem videam, aut ex inferiore Sione per nativitatem in carne procedentem?

PSALMUS XIV.

Quis tabernaculum ponet in monte sancto tuo? v. 1.

Mons sanctus est futuri saeculi regnum; mons, ob celsitudinem et eminentiam; sanctus, quia ibi non habitat impurus. Qui ergo in hoc mundo habitat, et praesente vita tamquam umbra et foeno transeunter utitur, hic tabernaculum ponere id est habitare futuro in regno poterit. Quisnam vero hic homo sit, et qua ratione vitam instituat, in subsequentibus psalmi partibus proditur.

Et opprobrium non accepit super proximos suos. v. 3.

Habet quamdam hic sermo obscuritatem. Incertum est enim, utrum ipse a nonnullis proximis opprobrium non acceperit; an ipse e contrario opprobrium non intulerit. Existimo ego iustitiae studiosis utrumque inesse decere. Summae enim fructus pietatis est, adeo venerabilem vitam degere, ut nemo nobis exprobrare queat pulcherrimi cuiusvis operis negligentiam; vicissimque nullum aliis convicium facere, etiamsi aliquando lapsi fuerint aut titubarint. Aegra est enim hominis natura, et in culpam facile incurrit. – Contemptus intelligitur non ex mentis superbia, sed odio potius mali et abominatione.

PSALMUS XV.

Conserva me Domine, quoniam in te speravi. v. 1. *Gr. p.* 193.

Rursus et hoc servili (Christi) formae congruens; simulque demonstrans iustificationem in fide per confessionem. – Heic communem veluti humani generis induens personam Servator, cum Deo patre loquitur non tam pro se, quam propter nos atque pro nobis, tamquam unus ex nobis. Dominum itaque appellat patrem, postquam ipse servi formam assumpsit. Conservari autem se petit propter ecclesiam, quae est eius caro. Nam revera ecclesia caro eius est: conservari autem illam, iure meritoque petit: atque ad eius personam recte refertur tum ecclesia tum conservatio (1). Causam quoque ponit, ob quam conservandus sit: propterea enim, o pater, inquit, a te conservari peto, quia in te speravi: se ipsum vero cum dicit, ecclesiam dicit.

Dixi Domino, dominus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. v. 2.

In evangelio quoque dicebat *: ascendo ad patrem meum et patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum: et nunc natura factus homo, dominum suum appellat patrem. Addens autem « quoniam bonorum meorum non eges » legalis cultus ostendit inutilitatem. Nam bona heic nuncupavit oblatas hostias, quas nequaquam iam excipere apparet: nam fidei doctrina illas abolet. Num manducabo carnes taurorum, aut hircorum sanguinem bibam *? Et rursus: sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem coagmentasti mihi *. Porro observa Dei esse solius proprium, ut nulla re egeat: ast alii, qui dicuntur domini, oblationum a subditis revera indigent, nempe servorum, agricolarum, et fabrorum, aliorumque huiusmodi. Hoc itaque Christus etiam indicium statuit, patrem suum vere esse dominum, quoniam bonorum non indigeat ab se ei oblatorum, id est a carne sua seu ecclesia. Equidem etiamsi oret

* Ioh. XX. 17.
* Ps. XLIX. 13.
* Ps. XXXIX. 7. et Hebr. X. 5.

(1) Fragmenti huius partem video Athanasio ab aliis tributam; sed frustra, ut ego iudico Nicetae auctoritate fretus.

filius, lacrymetur, obsecret, non eget pater his bonis: nam qui scit omnia, precum non indiget, neque propheticis opus est ei sermonibus.

v. 3. **Sanctis qui sunt in terra eius.**

Gr. p. 194. Sanctos dicit sanctificatos in spiritu, terram autem ecclesiam Christi. Tum verbum « mirificavit » pro demonstravit aut glorificavit, positum est. Denique vocabulo « eius » patrem designat; ut sit integra sententia: sanctificatis in fide notam fecit patris voluntatem. Quare etiam dicitur magni consilii angelus.

v. 4. **Multiplicatae sunt infirmitates eorum.**

Ethnicorum videlicet. Iesu Christi nondum manifestata veritate, multiplicata fuerant peccata et passiones. Postea illucescente salute, properaverunt homines ad illius notitiam, et peccatorum depositionem. – Nonnulli vero ethnicorum idololatrias et miserias heic significatas aiunt; a quibus conversi, facti sunt sancti Dei: de quibus ait « sanctis qui sunt in terra eius: » qui et sine mora deseruerunt idola sua, aut potius incommoditates vel miserias, ante fidem susceptam sibi haerentes, mirificatis Servatoris apud eos voluntatibus.

v. 4. **Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus.**

Si quis haec de Iudaeis dicta intelligere velit, enuntiativo modo versiculos legat, ceu si Deus causas reiecti ab se Israhelis aperte narret. Non congregabo, inquit, synagogas eorum, neque illorum nomina labiis meis diutius commemorabo. Cur? Sanguinum, inquit, causa; id est quia plurimo inquinati sunt sanguine ac caedibus. Quod si quis dicat, locum hunc de ethnicis esse intelligendum, hoc modo interpretaberis: nam quia properarunt, inquit, ad fidem, prompteque ostensum Dominum exceperunt, atque ad divinum lumen accurrerunt, nonne ego congregabo conventus eorum? Inter-
Gr. p. 195. rogativa enim cum interpunctione legendum erit: nonne colligam, inquit, ex sanguinibus? idest, postquam omnes interfecti fuere, multusque ipsorum effusus est sanguis, Satana eos perdente, daemonumque grege eosdem vastante. Utique sanguis occisionem denotat, sive exitium, quod ethnici pertulerant, dum universalis creatoris notitia carerent. Sed enim illum gregem deduci ad infernum necesse erit. Sic enim de ipso et
* Ps. IX. 13. de Satana scriptum est: qui requirit sanguinem eorum, recordatus est *. Et illud: tam-
* Ps. XLVIII. 15. quam in inferno positi sunt; mors minabit eos *. Quippe ipse mors erat, id est mortis auctor Satanas pastoris veluti vice deducens, ac veluti quibusdam stabulis, in inferni caveis concludens. Quoniam igitur multus eorum effusus fuit sanguis, et quia properarunt ad fidem, nonne ego congrua misericordia utens conventus ipsorum congregabo?

Sanctus Cyrillus versiculos hos interrogative vult legi. Quoniam, inquit, vocati ex ethnicis ad fidem properarunt, quid ni ipsorum conventus congregabo? Dictio autem « ex sanguinibus » ponitur pro « quoniam omnes interfecti fuerunt » *etc. ut supra.*
* In gr. corr. σπείσω. Aut secundum Aquilam: non libabo * libationes eorum de sanguinibus. Olim Iudaei Deo libabant, iubente lege; ethnici autem idolis. Ego vero nova cunctis mysteria tradam, et incruentam hostiam, legales in posterum respuens oblationes.

v. 6. **Funiculi ceciderunt mihi in praeclaris meis.**

* Ioh. III. 34. Funiculus mensura est, ut in Iohannis evangelio scribitur *: non enim ex mensura dat Deus spiritum. Vel fortasse mensurae nomen ad doctrinam non refertur, sed ad eum qui ipsam recipit, quia amplioris doctrinae non sit capax. Nam et pluvia eadem ubique est, sed tamen pro capacitate vasorum fit mensurabilis.

v. 6. **Hereditas mea optima.**

Prior quidem hereditas, id est Israhel, non fuit optima, immo potius Deo in-

visa. Sed enim amoris funiculis, et vehementissimo affectu copulata Christo est, portio veluti electa, ethnicorum ecclesia, quam optimam merito appellat: inest enim ei multa credulitas ac docilitas, et mentis pulchritudine elucet, omni virtute exultae. Vel fortasse funiculi haud amoris vincula denotant, sed ex geometrarum metaphora heic dicuntur: nempe, quod pater hereditatem mihi funiculis dimensus sit, et terminis de- Gr. p. 196.
finiverit, et septo circummuniverit ac protexerit, ne optima posthinc mihi et patria diripiatur hereditas, in quam ceciderunt mihi sortis datae funiculi, hoc est quae mihi sortito attributa fuit. – Hereditas rationalis naturae est, praeteriti futurique temporis doctrina. Christi autem hereditas est, scientia a Deo communicata (1).

Providebam Dominum in conspectu meo semper (2). v. 8.

Hoc simile evangelico illi Christi dicto *: solus non sum, quia pater meus mecum * Ioh. XVI. 32.
est. Quatenus intelligitur Deus Christus, ipse est omnia firmans et sustinens: quatenus autem factus est homo, decet eum etiam dicere, a dextris se habuisse Dominum, ne commoveretur. Conformat enim semet humanae naturae modulis, et eorum quae exinanitionis propria sunt non pudet eum propter incarnationem. Expectabam, inquit, quia pater meus mihi opem praestat, neque me sinit circumagi. A dextris autem dicit, pro: auxiliatur mihi; dexterae et melioris partis nomine, auxilium appellans. Tu vero mecum considera quomodo natura nostra Christo iucunda evaserit: quippe oblati sumus patris conspectui, qui pulsi eramus propter Adami transgressionem (3), habuimusque eum defensorem atque statorem. Habeamus ergo vicissim nos Deum semper prae oculis, eumque praesentem auxiliantemque cogitemus, ne ab officio depellamur, sed cesset potius ille qui a dextris nobis est adversarius diabolus: neque in nos maledictionem, quae Iudam perculit, provocemus: stet diabolus a dextris eius *: * Ps. CVIII. 6.
namque a dextris iusti stat Dominus; a dextris autem peccatoris, diabolus.

Quoniam a dextris est mihi, ne commovear. v. 8.

Quoniam dictum est, sede a dextris meis; et cum post ascensionem sedisse a dextris magnificentiae patris; cur nunc filius ait: providebam Dominum a dextris meis semper, patrem designans? Ergo dexter est patri filius, et filio pater; secundum illud: ego in patre, et pater in me est. Videtur autem apprime de humanitate loqui: certe enim quatenus est Deus, non commovetur. Non est autem inanimis caro eius: non Gr. p. 197.
enim ipsa caro dicit, habere se Deum a dextris, eumque semper spectare, ne peccet. Quippe commoveri significat motum ad peccatum.

Delectatio in dextera tua usque in finem. v. 11.

Sane decebat universalem creatorem et dominum ac Deum gaudere et laetari, ob creaturas suas in melius reformatas, et in antiquum statum a Deo patre repositas per ipsum filium. Per quem enim omnia ad existendum sunt adducta, per eundem reformationem in melius recipiunt. – Dextera patris, filius est, ob suae carnis iucunditatem formosus, qui deformem sordidamque naturam attollens, in patris dextera deificatam collocavit.

(1) Merito animadvertenda est apud Cyrillum haec humanae divinaeque scientiae definitio.

(2) Dictum de Christo hunc versiculum adfirmat apostolus Petrus Act. II. 25. Paulus autem Act. XIII. 35. aeque dictum de Christo adserit versiculum decimum. Nemo ergo christianus dubitabit psalmum hunc litterali quoque sensu ad Christum esse referendum.

(3) Perstant christianae religionis hostes originale peccatum eiusque poenam seu negando seu etiam irridendo, quo tamen dogmate nihil fere in patrum doctrina evidentius est. Ego vero Cardinalis quoque doctissimi Iacobi Sadoleti librum ineditum de originali peccato notum aliquando faciam.

PSALMUS XVI.

v. 1 **Exaudi, Deus, iustitiam meam.**

Iustitiam hoc loco haud virtutem perfectam dicit, ea enim iactantia pharisaica foret, sed iustam petitionem. Petit enim David non Saulis exitium, sed salutem propriam. Fortasse autem, quoniam nudis verbis haud auscultat Deus, sed virtuti veluti factis clamanti, docet nos propheta quomodo et nos obsecrantes exaudiemur, scilicet suffragante iustitia. Quod si forte apostolorum chorus heic orat, iustitiae dominum appellat Christum; haud illius legalis, quae non erat inreprehensibilis, sed perstabat usque ad tempus emendationis; sed verae omnino iustitiae id est evangelicae. Malentes ergo apostoli adorationem cultumque in spiritu, aiunt: exaudi nos, Domine et Deus iustitiae, non illius typicae, sed huius meae, id est verae ac spiritalis, cuius ex norma vivere volumus, quamque et aliis praedicamus. Ipsi vero Christo convenientissimum prae ceteris est, secundum humanitatem suam dicere Deo patri: exaudi iustitiam meam; ipse enim peccatum non fecit, nec inventus est dolus in
* I. Petr. II. 22. ore eius *.

v. 3. Gr. p. 198. **Visitasti nocte, igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.**

Qui ne in nocte quidem et somnis turpes et absurdas phantasias patitur, is si fieri potest ita loquatur. Adnotandum vero, verbum visitasti, extra punitionis sensum heic poni. Item sciendum est, diabolum ratione Deo contraria examinare solere: nam Deus non examinat nisi ubi praeexistentem iniustitiam compererit; quae si nulla fuerit, ab eo non comperitur.

v. 7. **A resistentibus dexterae tuae.**

Resistentes dexterae Dei daemones dicit: dextera autem Dei pius quisque et iu-
* Ps. LXXIX. 18. stus, de quo alibi dicit *: fiat super virum dexterae meae. Huius viri saluti obsistunt daemones, a quibus Deus eripit qui in ipsum sperant. – Resistunt Domino, qui est patris dextera, Iudaei et ethnici, et impurarum haereseon inventores, e quibus eripi apostoli obsecrant, et tutelam illam, quam pupillae oculi dedit natura, a Deo postulant, ne ullatenus laedatur ipsis mentis oculus, tenebrasque patiatur. Idem Servator quoque credibiliter postulat a patre, nempe ut ipsemet custodiatur, id est corpus eius, fidelium ecclesia, contra adversarios ipsius, pupillae oculi instar immaculata et recta acie cernentis. Custodiamur et nos adversus daemones obsistentes dexterae bonisque actibus nostris: qui quidem dextera Dei dicuntur, ceu a gratia ipsius et vi directi; ne umquam interiore nostro infuscato oculo, in peccati caliginem incurramus.

v. 8. **Utinam velamento alarum tuarum protegas me!**

Apostoli quoque necessariam faciunt petitionem, ut sub velamento Christi sint, dum eos affligere nituntur inimici, et omne genus insidiarum crudeliter intendunt.
* II Tim. III. 12. Omnes enim, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur *. Volebat quoque Servator filios Hierusalem congregare, quemadmodum gallina sub alis con-
* Matth. XXIII. 37. gregat pullos, sed illa renuit *. Quamobrem pro ecclesia, ceu pro corpore suo, petit a patre vim tutelarem. Fatigant nos, afflictosque et infelices efficiunt impietatis atque peccati inventores daemones; sed corda nostra et mentem custodiet Deus connaturalibus ipsi quibusdam et consubstantialibus alis, id est unigenito filio suo, et vivificante sancto Spiritu (1).

(1) Contra Arianos. Et animadverte theologicam versiculi elegantem explicationem.

Eiicientes me nunc, circumdederunt me. v. 11. Gr. p. 199.

Et unde nos eiiciunt, cum circumdare et comprehendere volunt? nempe ex lege ac praeceptis, quae pro muro et munita urbe sobriis hominibus sunt: de qua urbe comperies prophetam dicentem *: quis deducet me in civitatem munitam? Cavendum est ergo ne errore aliquo ab hac recedamus, alioqui in hostium manus veniemus – Certe et hostes sanctorum nihil aliud spectant seu cogitant, nisi hoc unum, ut nempe sanctos a suis bonis studiis avertant, et a via Dei devient atque abducant. Ubinam vero nituntur inimici abstrahere sanctos ab amore Dei? in terra scilicet, id est dum vivunt, et terrestre hoc domicilium incolunt sancti. Nam postquam hinc migraverimus, decipere diutius adversarii nequeunt. Interim sancti omne genus insidiarum ferentes aiunt *: quis nos separabit a caritate Christi? Eiecerunt et ipsum Dominum urbe Iudaei atque illum circumsteterunt, deque eius perdendi ratione prosternendique humi deliberarunt: cuius consilii exitus fuit, ut vilissimum crucis supplicium decernere praeoptarint.

* Ps. CVII. 11.

* Rom. VIII. 35.

Corripuerunt me sicut leo paratus ad praedam. v. 12.

Terribiles nobis daemonum incursiones proponit. Quid enim leone rapacius aut exitiosius? Ita reapse nobis post venationem abutuntur invisibiles inimici. Sed si nos resistamus, Petro obsequentes monenti *: sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus, ut leo rugiens, circum ambulat, quaerens quem devoret; cui si fide resistatis, statim humiliatur, fitque ut catulus in abditis iacens. Tunc verebuntur daemones adgredi quos vident validos, temporis opportunitatem observabunt; huius enim rei causa latebras petunt.

* I. Petr. V. 8.

Frameam tuam ab inimicis dexterae tuae. v. 13. Gr. p. 200.

Frameam ipsius Dei appellat hominem iustum, gladii instar daemonum agmina caedentem. Anima enim iusti, destructio peccati est: vita iusti, voluptatum mors. Idcirco (1) eripi animam suam ex impio, et ex hostium manu, id est diaboli ac daemonum, gravibus horum incursibus appetitus orat.

Exsurge, Domine; praeveni eos, et supplanta. v. 13.

Verbum « praeveni » significat, ne sinas eos propositum suum consummare, sed meum praeveniens periculum, vanum effice nequitiae illorum exitum. Verbum item « supplanta » pro, ne planam eis viam contra me currentibus des: cadant potius, tamquam alio obvio; et illorum perniciosissimum cursum inhibe.

PSALMUS XVII.

In finem, puero Domini Davidi, cum huius cantici verba locutus est etc. (2). v. 1.

Vero autem (3) mysticoque sensu, qui in Christum crediderunt de Davidis genere ortum, hi Christo hoc canticum offerunt, cunctis hostibus liberati, et huius saeculi principe, quem de sua in nos tyrannide depulit (Davidis) filius, sicuti olim Deus Saulem de regno Israhelis eiecit. Producitur autem in psalmo modo fidelium, modo Christi persona, quae humana loquendi ratione utitur. Haec est etiam tituli « in finem » vis. Continet enim psalmus descensum Unigeniti, ascensionem, victoriam de daemoni-

(1) In textu gr. scribe τοῦτο pro τοῦ.

(2) Titulus idem fere II. Reg. cap. 22. ubi item hic psalmus canitur. Paulus apostolus Rom. XV. 9. laudat eius versiculum quinquagesimum. In syriaco codice ambrosiano, dividitur ob prolixitatem suam in partes aequales duas hic psalmus.

(3) Sic loquitur, quia alia ante dixerat, quae eclogarius Nicetas praetermisit. Et nota, quod sensum mysticum dicit verum Cyrillus.

bus, Israhelis expulsionem, et gentium vocationem, quae omnia in fine saeculorum evenerunt, cum Unigenitus est incarnatus. Simus utinam et nos pueri Domini, id est servi! Et tamquam in splendido die, virtutibus operibusque lucis honeste ambulemus; atque ita de cunctis hostibus, praecipue de manu Saulis, idest de actionibus et violentia Satanae liberemur! Nam manus symbolum actionis est: ut ad finem usque victoriae pervenientes, agere gratias possimus auctori victoriae Christo.

v. 3. Gr. p. 201 **Protector meus, et cornu salutis meae, et susceptor meus.**

Haec omnia epitheta recte illi inscribuntur, de quo nos psallere ipse hic propheta docuit: te opitulante inimicos nostros cornu appetemus. Sic nimirum protector noster, ut in carne sua, tamquam in scuto tela, passionem pro nobis exceperit. Susceptor, per divinitatem quae sola ob suam impassibilitatem nos suscipere, id est sustinere cadentes, poterat. Idem cornu salutare factus est nobis per crucem: nihil enim magis quam crucem daemones extimescunt.

v. 9. **Ascendit furor in ira eius, et ignis a facie eius exarsit.**

Sicut fumus ignem anteit; accenso autem igne, et ligneam depascente materiem, carbones fieri solent; ita Dei ira coepit quidem ut fumus, crevit ut ignis, postremo in carbones redegit Davidis inimicos. Recte vero pro punitione fumus dicitur, qui lacrymas ciere solet. Nam reapse fumus in oculos incurrens stillare lacrymas facit. Nimirum irato creatore adversus daemones propter creaturae suae perniciem, antecessit ultioni fumus, nempe modica tyranni inhibitio: quam subsecutus ignis est, nempe omnimoda hostis destructio, a facie Dei, id est a Christo, qui est Dei facies, et character substantiae eius. Incarnato quippe Unigenito, incensus est ab eo ignis adversus daemones, ita ut clamarint *: venisti huc ante tempus ad torquendum nos. Iudaeis quoque in antecessum ceu fumus edita fuit a Christo comminatio. Ait enim *: quum videritis Hierusalem ab exercitibus obsessam, tunc dicite montibus, operite nos; et collibus, cadite super nos. Dein subsecuta est ceu ignis ira, quae tanta in eos exarsit, ut illos in carbones redegerit, id est consumpserit perdideritque. Scio bonum quoque esse ignem, illum videlicet quem Christus venit mittere in mundum. Atque hic demum ignis laudabiles carbones efficit: nam sancti Spiritus calore, spiritu ferventes apparent nonnulli. Ita ceu carbones accensi fuere a Deo apostoli, sua cum illo coniunctione inflammati, et mundi lumina effecti *: deque ipsis dictum fuit civitati Hierusalem: habes carbones quibus insideas: hi tibi auxilio erunt (1).

* Matth. VIII. 29.
* Luc. XXIII. 30.
* Is. XLVII. 14.

v. 10. Gr. p. 202. **Inclinavit caelos, et descendit etc.**

Descendit, ut terram caelo coniungeret, et inferioribus communionem cum superioribus elargiretur. Hoc autem minime evenisset, nisi eo modo in terram descendisset, quo recipi poterat, id est carne indutus, quam nebulam veluti quamdam pedibus suppositam appellat. Haec enim Dei in fine temporis ad nos adventum occultavit.

v. 12. **Et posuit tenebras latibulum suum.**

Tenebras heic arbitrare incomprehensibilitatis caliginem, quae mentis quoque nostrae oculis incidens, eum qui cum patre aeternus est, metiri tempore non permittit. – Tenebras intellige mysterii obscuritatem, quae carnis causa incredulis accidit: quam bene latibulum nominavit: sic enim Christus diabolum daemonesque latuit, qui videntes ipsum ne a Iudaeis quidem fidem impetrare, crucem ei compararunt, crucifixi potentiam ignorantes.

(1) Sequitur presse Isaiae alexandrinum, nunc vaticanum, textum alexandrinus Cyrillus; nam vulgatus lat. textus satis differt.

Tenebrosa aqua in nubibus aëris. v. 12.

Adeo reconditum est Christi mysterium!

Misit ex alto et suscepit me, recepit me ex aquis multis. v. 17.

Fatetur fidelium ecclesia, Servatorem dominum sibi de caelo missum a patre, ut de sole radium, seque liberatam ex aquis multis, id est adversariis potestatibus, amarisque et turbulentis vitae huius negotiis et circumstantiis. Multas vero dicit aquas, quia varia sunt tentationum genera, et malorum spirituum insidiae. Sed ex his omnibus eripuit nos Christus.

Secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. v. 21.

Consentanee manuum munditiem dices esse splendida et absque ullo inquinamento opera fidei, sine quibus fides mortua est.

Deus meus, impolluta via eius. v. 31.

Solum Dei Verbum Deus verus est; idcirco et unigenitum, quia unicum est, utpote Deus: ceteri enim omnes praesentia Dei Verbi fiunt dii. Illos quippe dicit scriptura deos, ad quos verbum Dei factum est *. * Ioh. X. 35.

Deus qui praecinxit me virtute, et posuit immaculatam viam meam. v. 33. *Gr. p.* 203.

Congruunt haec etiam evangelii ministris, quibus Servator aiebat *: « sedete apud Hierusalem, donec induamini virtute ex alto: » qua praecincti et sancto armati spiritu, haec enim erat promissa virtus, restiterunt daemonibus et persecutoribus passionibusque, viamque vitae inculpatim decurrerunt. * Luc. XXIV. 49.

Qui perfecit pedes meos tamquam cervi, et super excelsa statuit me. v. 34.

Aiunt cervos velocissimos esse, praetereaque serpentibus exitiosos, et insequentibus venatoribus ad alta contendere. Persecuti itaque Davidem sunt cum alii, tum etiam Saul, qui illum tamen non comprehendit, Deo celeritatem addente, atque ut venenatas viperas, hostes nempe calcaret, largiente. Quia vero naturalis est hinnulis perimendarum ferarum vis, halituque et cutis proprietate serpentes fugandi, recte Dominus hinnulus dicitur, utpote contrariam potentiam calcans atque consumens. Suos item discipulos naturâ quodammodo cervorum instruxit, dum ait *: potestatem vobis dedi calcandi serpentes et scorpios. Insequitur ergo serpentis instar Satanas; verum hi accepta a Servatore potestate calcandi serpentes et scorpios, intellectuales videlicet, nec non quamlibet inimici vim, non capiuntur; sed omisso humili terrestri affectu, tendunt tamquam in montem ad pretiosam virtutem. At enim non est tendendum tantummodo, sed inhaerendum est ac manendum in supernis locis, et in virtutum culminibus habitandum. Quamobrem iustum, firmis pedibus iam praeditum, non solum ad alta evehit Deus, verum et illic statuit, id est in virtute stabilem facit, ne umquam excidat. * Luc. X. 19.

Gressus meos ampliasti. v. 37.

Gressus dicit, quibus a vitio ad virtutem, et ex sensibilibus ad intellectualia, atque a praesenti saeculo ad futurum quispiam graditur. Initia igitur arcta sunt et laboriosa viam angustam terenti, et inimicorum offendicula praetergredi volenti: progredienti tamen, plana loca patefiunt.

Populus, quem non noveram, servivit mihi. v. 44.

Non est hoc inscientiae indicium, nam et illas gentes utpote Deus noverat; sed ita denotat eos qui per varia tempora ipsius familiaritatem non sunt adepti. – Dici haec possunt etiam ex Christi persona et Davidis. Quod si gentibus non imperavit David, in Christo, qui ex illo ortus est, sermonem sistamus, qui semper quidem, *Gr. p.* 204.

utpote Deus, in omnes dominatus est; post incarnationem autem voluntarium quoque credentium ei obsequium recepit. Dupliciter enim corda nostra novit, aut sciendo, aut cognoscentem coniungendo cum cognito. Priore significatu, pravos quoque cogno-
* Luc. XVI. 15. scit Deus: quibus Servator aiebat *: utique vosmet coram hominibus iustificatis, sed
* Amos V. 12. Deus corda vestra novit. Nec non apud prophetam *: quoniam omnia vestra peccata novit. Posteriore autem significatu nonnisi iustos cognoscere dicitur, novit enim Do-
* Luc. XIII. 27 minus suos. Namque improbis aiebat Servator *: discedite a me, operatores iniquitatis, numquam novi vos. Pari ergo ratione ethnicus populus, idololatricus olim et peccator, ideoque a Servatore non agnitus, postea conversus ad paenitentiam, servire ipsi dicitur. Quare non dixit « quem non cognosco: » nam qui adhuc nequiter agit, non cognoscitur. Sed quem olim non noverat, nunc patet cognoscere. Veluti est il-
* Gal. IV. 8. lud apostoli *: « sed tunc quidem ignorantes Deum iis, qui natura non sunt dii, serviebatis: nunc autem cum cognoveritis Deum, immo ab eo cogniti sitis. » Quamdiu enim ignorabant, ignorabantur: scientes autem, cogniti fuerunt.

v. 46. **Filii alieni.**

Qui appellatus fuerat primogenitus Israhel, alienus deinde ob incredulitatem suam dictus est (1).

v. 46. **Inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis.**

Pro inveterati sunt et claudicaverunt, Symmachus dixit: contumelia et pudore adficientur.

v. 47. **Vivit Dominus.**

Vivit Dominus, pro « per viventem Dominum! » habet scriptura; sicut et Iobus
* Iob. XXVII. 3. ait *: vivit Dominus qui ita de me iudicavit, et amaritudine animam meam complevit! si adhuc halitus mihi remanet, et divinus spiritus in naribus superest.

PSALMUS XVIII.

v. 2 Gr. p. 205. **Caeli enarrant gloriam Dei.**

Ethnicorum multitudo magnitudine ac pulchritudine visibilium creaturarum haud sapienter considerata, existimavit caelum, seu firmamentum, esse Deum, eique cultum exhibuit. Attamen cognoscere artificem poterat ex miro rei opificio. Nam si magna excellensque est creatura, ea non tam suam quam creatoris gloriam depraedicat. Enarrant itaque gloriam Dei caeli absque voce, et propemodum clamat firmamentum Dei manibus se fuisse constructum.

v. 3. **Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam.**

Postquam mosaicae narrationi consentaneam caeli mentionem fecit, et deinde firmamenti; exin de luce etiam diei effectrice loquitur, ostenditque posse nos ex diebus etiam ac noctibus admirari Dei gubernationem, qui ordinem illis, modum, ac revolutum circuitum, attribuit. Ipse enim noctem in mane convertit, idest cum nocte matutinam lucem commutat, auroram ac tenebras facit, id est diem et noctem. Ipse mandat ut dies diebus propria horarum intervalla cedant, itemque noctes: ita ut modo maiores sint, modo minores: ac propemodum dicit dies, puta, aestiva diei hibernali: cede mihi partem maiorem in horarum intervallis. Sic enim patriarchae videtur. Nox autem nocti indicat scientiam, nempe eam quae respicit creatorem; vel quod omnino oporteat hibernales noctes longiores esse, aestivales autem minores. Hoc significari

(1) Hoc quoque fragmentum, non Athanasio, sed Cyrillo inscribunt duo codices vaticani.

puto, dum dicitur dies diei eructare verbum, ac paene vocem emittere, partem maiorem horarum petens, noxque pariter nocti eamdem scientiam indicare.

Non sunt loquelae neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. v. 4.

Sanctus autem Cyrillus et maximus Athanasius cum interrogatione legunt haec verba: non sunt loquelae neque sermones, quorum non audiantur voces eorum: id est: nonne sunt mutorum quoque vel negotiorum vel operum voces, absque sermone aut lingua? Utique, dicet aliquis: sicut enim textoris artem variegata vestis clamat; et opificem suum navis egregie compacta praedicat; et ferrarium fabrum pariter opificium eius, sic etiam creatae res, quas nuper memoravimus, mutae quidem sunt, quia irrationales; sed tamen earum veluti loquelae sunt, admiranda constructio; vox autem, pulchritudo ipsarum et rectus ordo. Nam caelestis enarratio, et verbum a die clamatum, vox quidem articulata non est, neque oris loquela, sed tamen haec divinae virtutis magisterium fiunt iis qui auscultare sciant, etiam voce silente. Interim dum mutam dixit creaturam David, spiritu sane praeditam et rationali facultate negavit, secus ac videtur ethnicorum sapientibus: hi enim animal esse totum hunc mundum aiunt: animalia similiter partes illas ex quibus componitur (1). *Gr. p. 206.*

Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. v. 6.

Commode memorat David ordinatum solis cursum, et quod e thalamo finium terrae, tamquam pulcherrimus sponsus procedat: deinde tamquam a repagulis cursum auspicans, celerem validumque volatum faciat, et indefessus decurrat. Hoc enim significari puto verbis: exultabit ut gigas ad currendam viam.

Lex Domini immaculata, convertens animas. v. 8.

Non inutile cordatioribus est naturae spectaculum; quod contemplari volentibus, Dei repraesentat gloriam, ex creaturarum ornatu et recto ordine dignoscendam: invisibilia enim eius, ex creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur *. * Rom. I. 20. Quae quum ita se haberent, ipse quoque apparuit nobis Christus, nosque ad patrem adduxit, haud per legalem cultum, sed per evangelicam potius exhortationem. Ergo, praeter naturae spectaculum, quod fit ut diximus ex creaturarum fabrica et ordine, illius quoque lucrati sumus praedicationem. Sufficiebat sane creatura ad demonstrandum hominibus creatorem; nihilominus legis quoque adiutorium suppeditavit, quod errantes revocare posset. Socorditer ergo scrutanti psalmi verba, non videtur praecedentibus connecti hic de lege et iustificationibus sermo. Attamen multa potius consensio est. Quod ut heic breviter exponam; tres sunt, et quidem divinae omnes, leges: prima naturae simul et creationis, ob quam duce conscientia et creaturis, officium nostrum intelligimus et creatorem simul agnoscimus. Secunda lex scripta, per Moysem data. Tertia lex spiritalis et evangelica. Postquam itaque de lege creationis veluti filia satis egit David, demonstravitque caelum et firmamentum, diem ac noctem, et solem, creatorem suum annunciare, et in naturali lege illam quoque creationis complexus est, namque ipsa natura inter creatas res est, transit deinde ad reliquas, scriptam scilicet et spiritalem, atque utramque subdividit in mandata, leges, iudicia, testimonia, et iustificationes. *Gr. p. 207.*

Primo igitur evangelicam doctrinam, legem Domini dicit: non enim ab aliquo

(1) Haec ethnicorum absurda theologia eleganter recitatur apud Virgilium aen. VI. 724. seqq. *Principio caelum ac terras etc. spiritus intus alit, totamque infusa per artus mens agitat molem. Inde hominum pecudumque genus, vitaeque volantum.* En errorem ethnicum, en eiusdem constantem a scripturis sacris patribusque ecclesiasticis refutationem.

ex prophetis promulgata fuit, sed ab ipso omnium Domino. Deinde hanc immaculatam nuncupat. Nam Moysis lex non erat inculpata, ut admodum venerandus Paulus scribit *, neminem enim perficiebat. Ait vero alicubi etiam Deus *: ego dedi eis praecepta legalia non bona, et iustificationes in quibus non vivent. Nam facta comparatione cum evangelicis mandatis, haud bona est lex. Immaculata vero Christi doctrina, quae etiam animas a vitiis ad virtutem convertit, ex errore ethnico ad rectam pietatem, ex inscitia et tenebris ad lucem atque sapientiam. Porro et evangelium dicitur lex, quia singulorum actionibus quod convenientissimum fuerit decernit, commendationem bonis, poenas contemptoribus.

* Hebr. VIII. 7. * Ezech. XX. 25.

v. 10. **Timor Domini sanctus, permanens in saeculum saeculi.**

Nemo mundus sorde, etiamsi una die vixerit super terram. Verumtamen sicuti aiunt herbam esse quamdam purgatoriam sordium vestimentorum, ita timor Domini sanctus, id est sanctificans, si in mentem ceciderit humanam, omnem eius abstergit maculam. Immo et aeterna in vita hominem conservabit. Nam qui sancte hanc vitam transigit, is eodem modo se habebit etiam in futura.

v. 11. **Iudicia Domini vera, iustificata in id ipsum.**

Iudicia rursus appellat divinas de unoquoque actu sententias atque decreta. Haec autem vera sunt et iusta in id ipsum, videlicet haud discordantia neque invicem repugnantia, cognata potius et inter se convenientia. Nulla enim contradictio in Servatoris legibus comperitur. Dupliciter vero Deus iudicat, aut clementer aut districte; indulgenter quidem, veluti cum homini circa undecimam horam vocato in vineam, parem mercedem tribuit cum illis qui ante laboraverant. Districte autem, veluti cum adstantibus agnis et haedis dicet illis quidem, venite, possidete regnum; his autem, discedite a me maledicti in ignem aeternum.

Gr. p. 208.

v. 14. **Si mihi dominati non fuerint, tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo.**

Confessus iam propheta, accuratum quoque legis observatorem multa fugere, ait: o Domine, occulta [delicta] et alieni homines ne mihi dominentur, te iudice haud ea mihi obiiciente, neque in peccatum reputante! Aut: ne pravae cogitationes, quas diabolus menti iniicit, sic dominentur mihi, ut eis adsentiar! Tunc enim immaculatus fuero, et peccato actuali immunis, quod magnum vocatur, ob comparationem cum illo quod in mente tantum versatur (1). Prophetice quoque universa natura clamat ad Deum: lex quidem, Domine, corpus tantummodo momentaneis sanctificabat ablutionibus: tu vero ab occultis etiam munda me per baptismum, et praecave mihi ab alienis daemonibus: si enim hi mihi non fuerint dominati, tunc vero sine culpa ero, et incredulitate mundabor, vel etiam transgressione, quod est magnum peccatum. – Peccatum magnum appellat, illud quod actu fit, idque occultorum purgatione inhiberi ait.

PSALMUS XIX.

v. 2. **Exaudiat te Dominus in die tribulationis.**

Semper sanctorum intenditur ad Deum scopus, ad quem unum respicientes, opem eius implorant, siquando aliquis commovetur fluctus, et aspera a daemonum insidiis tempestas excitatur. Rei gnarus etiam Hieremias aiebat *: Domine virtus mea,

* Hier. XVI. 19.

(1) En confirmatur a Cyrillo quod iam diximus p. 98. adnot. 2, nempe de mentis quoque puritate necessario conservanda.

auxiliator meus, refugium meum, in die malorum meorum. Hominum quippe adiutorium fragile, tutum supernum auxilium. Propterea sancti infelicem hominem dicunt, immo et maledictum, qui spem in homine collocat, et cor suum a Domino abalienat. *Gr. p. 209.* Videtur autem nunc David diem tribulationis dicere, quo tempore Senacherimus impiam illam Rhapsacis misit epistolam *: « ne fallat vos Ezecias, quod Deus Hierusalem de manu mea liberaturus sit. » Allegorice vero passionis diem, cum aiebat Servator: « tristis est anima mea. » Orant itaque tum Ezecias ut Deus exaudiat se afflictum ob Senacherimi blasphemias; tum discipuli etiam Servatoris, ut eum Deus pater exaudiat. Discimus denique et nos non esse tribulationis tempore deficiendum, sed orandum, neque hominibus salutem nostram, sed omnipotenti Deo credendam.

* IV. Reg. XIX. 14.

Memor sit omnis sacrificii tui. v. 4.

Vel inhaerens animae ratiocinium, vel sanctus Spiritus dicere haec videntur ad maerentis solamen. Afflictum autem oportet orare, neque spem abiicere. Sic enim Deus exauditor fit (1).

PSALMUS XX.

Posuisti in capite meo coronam de lapide pretioso. v. 4.

Acie confligens David contra Ammanitas victor fuit, vique eos sibi subiecit, et Melchomi coronam cepit. Erat autem hoc Ammanitarum idolum, cuius in corona magni pretii lapidem repertum transtulit in suam. Huius nunc historiae facta mentione, ait Deo: beneficiis me, Domine, meamque petitionem praevenis: pro lapide hoc pretioso non oraveram, verum tu hunc quoque mihi dedisti, precem meam praeoccupans. Alibi etiam ante suam regiam electionem Deo benedicens, id est laudes canens dixerat *: inveni David servum meum, virum iuxta cor meum, quem regem constituam *. Praeterea: equidem incolumem ex inimicis fieri a te petii, tu vero benedictionibus, id est redundantia ac plenitudine bonitatis tuae, et victoriam mihi concessisti, et regnum, et prophetiam, et quod maximum est, Dei fieri progenitorem. Sed et Ezecias nonnisi libertatem poposcerat; adeptus est autem victoriam tantam, et summum hostium exitium: regnum quoque non expetitum recepit. Ceteroqui lapides pretiosos, Christi etiam discipulos existimare licet, et generatim fideles omnes, *Gr. p. 210.* qui ornamentum illius sunt et gloria, et quasi corona capiti eiusdem imposita. Atque ut in evangelio pater filio dicitur nuptiale apparasse convivium *, ita hoc loco propheta Deo dicit: « posuisti in capite eius coronam. » Christo autem corona fit ecclesia, animatis lapidibus caput eius circumdans. Postremo et ipsum Christum recte dices lapidem pretiosum, ceu electum videlicet margaritum, quod nobis gloriosae instar coronae Deus pater imposuit, benedicens nobis bonitatis et sanctificationis benedictione. — Ex operibus quisque suis studiisque coronatur. Certe iudex ius aequum persequens, iustitiae coronam accipiet. v. 7.

* I. Reg. XIII. 14.

* Ps. LXXXVIII. 21.

* Matth. XXII. 2.

Inveniatur manus tua ab omnibus inimicis tuis; dextera tua inveniat omnes qui te oderunt. v. 9.

Deus aliter a perseverantibus in peccato, aliter a paenitentibus invenitur; illis quidem iudex, his redemptor invenitur. Verumtamen quod nos primo Deum invenire ait propheta, et tum demum nosmet fore ab illo inveniendos, hinc patet in nostra esse facultate salutem.

(1) Fragmentum hoc diserte inscribit Cyrillo codex vaticanus, licet alii Athanasio tribuisse videantur. Et quidem in codice nostro legitur ὑπήκοος, non ἐπήκοος.

PSALMUS XXI.

v. 1 **In finem pro susceptione matutina, psalmus Davidi.**

Nonnulli matutinam susceptionem dicunt esse resurrectionis dominicae tempus: surrexit enim summo mane mortis victor. Susceptio itaque est resurrectio, utpote quae corporum corruptionem arcet, et terrenos incolas fide purificat. Nam si dixeris,
* Rom. X. 9. inquit Paulus *, ore tuo Iesus, credideris que corde tuo a Deo illum suscitatum ex mortuis, salvus eris. Sed videamus quomodo patrem tamquam homo Dominus alloquatur, pro hominum genere intercedens, nobisque se exhibens advocatum (1).

v. 7. **Opprobrium hominum, et abiectio plebis.**

Hoc aientes, contumeliam in Deum reiiciunt, quasi nequeat filium, cuius causa vult, id est quem diligit, servare. Licet autem mirari iudaicorum ingeniorum tarditatem, quod haec legentes tamquam ex Christi persona contra se dicta, non cognoverint quem crucifixum videbant, atque hanc ipsorum sceleribus congruere prophetiam.

v. 15. **Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.**

Gr. p. 211. Magistri vox, si quando viderit filios suos calamitatem pati; cuiusmodi habuit Servator erga discipulos suos compatientem affectum, corde intimo tamquam filiis condolentem. Sed et cordis dulcedo, quum instar cerae esset, eliquata est, cibusque effecta in ventrem transiit. Dicit autem cogitationes, continua meditatione sic tritas, ut ad animae nutrimentum suppeditentur.

v. 23. **Narrabo nomen tuum fratribus meis.**

* Ioh. XVII. 6. Nomen hoc loco pro gloria dicit, veluti illud *: manifestavi nomen tuum hominibus. Reapse conspicuam effecit gloriam illius, non ob id tantummodo quod eum patrem esse affirmavit et docuit, sed quia bonitatem eiusdem et gloriam nobis reve-
* Ioh. III. 16. lavit, fratribus eius iam effectis, quatenus ipse nostram adscivit naturam. Dixit enim *: ita Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum traderet, ut nemo in eum credens pereat, sed habeat vitam aeternam. Sed et aliter patris gloriam nobis manifestavit. Nam quotquot filium viderint mentis oculis, Deo dignam habentem dignitatem et om-
* Ioh. XIV. 9. nipotentiam, hi patrem viderunt cognoveruntque. Sane quodam loco ipse quoque ait *: qui me vidit, vidit et patrem. Sed et in medio ecclesiae hymnum tibi dicam. Quamnam vero intelligit ecclesiam, nisi illam prorsus quam ipse sibi comparavit filius, non habentem maculam neque rugam, sed sanctam et immaculatam? Laudat itaque patrem, dum eius gloriam palam pandit. Id enim heic significatur nominis vocabulo.

PSALMUS XXII.

Psalmus, quem adgredimur, eamdem sententiam continet, quae circa finem prae-
* Ioh. VI. 45. cedentis erat. Nam qui ex ethnicis crediderant, facti Dei docibiles, uti scriptum est *, edentes et spiritaliter saturati, salutaris cibi largitorem agnoscunt, pastoremque et nutritorem vocitant, seque adeo cum ipso unum quid esse dicunt propter fidem, atque in unico grege congregationem.

v. 2. **Dominus pastor meus est, nihil mihi deerit.**

Gr. p. 212. Gloriantur qui per Christum divinis caulis sunt inclusi, atque eius pastorali cura recti: neque unum quemvis e sanctis sortiti ducem, veluti Moysem Israhel, sed pa-

(1) Rectissime totum de Christo Cyrillus hunc psalmum explicat, cuius rei testimonia tam multa in evangeliis sunt, ut in quinta generali synodo damnatus fuerit Theodorus mopsuestenus, qui nonnisi anagogico sensu hunc psalmum Christo accommodaverat.

storum principem, et docentium magistrum, in quo sunt omnes sapientiae absconditi scientiaeque thesauri *. Cuius rei gnari, nihil sibi defore aiunt. Omnipotens enim Christus copiose largitur munera sua his qui cognoverunt adventum eius. Tribuit, enim ex sua plenitudine, donatque patris benedictiones, ipseque omnis boni fons et dispensator est. * Coloss. II. 3.

In loco herbifero me collocavit. v. 2.

Quandoquidem congrua ovibus dictio est, Dominus pastor meus est, perstant in hac sermonis metaphora ii qui sub Christo opilione sunt; adduntque provenientes sibi a pastorali cura utilitates, quas herbam aquamque nuncupant. Intelligetur autem locus quidem herbifer, Dei semper virentia oracula, sancta et inspirata scriptura, quae ad spiritale robur credentium corda enutrit: aqua autem vivens et vivifica, sancti Spiritus largitio. – Aut magis proprie locus herbifer, paradisus est unde excidimus, in quem nos Christus reducit et collocat per aquam requietionis, id est per baptismum. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non intrabit in regnum caelorum *. * Ioh. III. 5.

Nam etsi ambulavero in medio umbrae mortis. v. 4.

Quoniam vero in mortem Christi baptizamur *, dicetur et baptismus umbra atque imitatio mortis, quam timere non oportet. Intelligi etiam potest umbra mortis, naturalis et communis mors, ut eam distinguamus a voluntaria morte, animae inquam, quae non est mortis umbra, sed vera mors. * Rom. VI. 3.

Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me. v. 5.

Qui ex ethnicis ad fidem accesserunt, evangelica mensa gustata, dicunt structori eius Christo: quam nobis parasti mensam, ea contrariam rationem habet mensae ethnicorum. Nam sapientes ethnici, nihil necessarium nos docuerunt, sed vexarunt tribularuntque doctrinae cuiusvis utilis fame et inopia. Divina secus sacraque mensa, inspirata nempe scriptura, adversatur noxiae illi et ieiunae tribulantium nos, copiosaque est ac dives, et ciborum variam multamque habet exhibitionem. Multae enim in ea fiunt salutaresque exhortationes, quae veram bonae vitae rationem monstrant, et ad spiritalem sanitatem provehunt. Fortasse etiam loquuntur fideles sic: parasti nobis spiritalem mensam, ut cibo validi effecti, possimus cum persecutoribus nostris, quum opus fuerit, congredi. Nam spiritalis bona nutritio animam roborans, facit eam et impuris spiritibus et errorum magistris resistentem. Immo vero et MYSTICA MENSA, CARO DOMINI (1), fortes nos adversus cupiditates daemonesque praestat. Timet enim Satanas eos qui pie mysteriorum fiunt participes. *Gr. p.* 214.

Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitae meae. v. 6.

Abundans prorsus et perpetua continget illis alacritas, qui in Christo sanctificati eiusque charismatibus digni fuerint, ut et sacrae mensae accubuerint, et oleo caput impinguaverint, nec non de optimo calice ad ebrietatem usque biberint. Id enim iudico significari cum dicitur Dei misericordia persequi quodammodo aliquem cunctis vitae diebus. Non enim aufertur data semel a Christo sanctis gratia; et sine paenitentia sunt dona eius et vocatio *. Scribit itaque divus Paulus his ita muneratis, regnum immobile eos recepisse *; neque enim a datis bonis excidere queunt: firmissima quippe et inconcussa est sanctorum spes. Enimvero prisca etiam lex, quamquam umbram et typos non rei veritatem tenebat, fidei sanctorum immutabilitatem oblique innuebat: mandabat enim ut in sabbato nemo tabernaculo suo prodiret, verum inibi * Rom. XI. 29. * Hebr. XII 28.

(1) Animadverte veram domini nostri Iesu Christi carnem in eucharistico sacramento, eiusque salutares effectus.

potius subsisteret, ibique paratis cibis frueretur; quo aenigmate significabatur sanctorum perpetua in supernis sedibus mansio (1): inde enim exulant dolor, maestitia, et gemitus. Iure ergo meritoque aiunt qui spem suam in Christo fixerunt, et supernas obtinere sedes expectant, comitem sibi in perenne tempus misericordiam fore. Quidam
Gr. p. 214. vero Dei misericordiam ipsum Christum intelligunt, qui per suam incarnationem ita persequitur, quoad omnes qui salvandi sunt comprehendat. Prorsus autem, quia non tam ex operibus contingit nobis iustificari, quam ex gratia (2) et misericordia Dei, ideo fideles recte Dei misericordiam implorant, atque ad eius clementiam confugiunt.

PSALMUS XXIII.

v. 1. **Psalmus Davidi in prima sabbati.**

Superiore psalmo inducebantur laetantes ac veluti gloriantes ii qui fuerant ethnici, propterea quod a Christo per fidem vocati fuissent, et eius munerum effecti participes. Praesente autem psalmo procedit persona sanctorum praedicatorum, vel ipsius etiam sancti Spiritus nuncians, universum orbem in sagenam Christi per fidem transisse. Sciendum vero est, Christi resurrectionem heic praedici verbis « prima sabbati. » Sic enim evangelia diem dominicam nominant. Vaticinatur etiam de ascensione (3) Domini; atque insuper docet, quo pacto fideles caelestibus digni fient mansionibus. Sed age videamus magnam hanc sacram et miram praedicationem.

v. 2. **Ipse super maria fundavit eam, et super flumina praeparavit eam.**

Praeparavit super flumina, exornavit significat. Oportebat enim creatam iam terram, et super abyssum mire suspensam, plenam potabilibus aquis a Deo fieri, ut suos nutrire incolas posset. Spiritaliter autem vocabulo « flumina » intelligi queunt apostoli, qui intellectualibus fluentis orbem inundant, et supernum verbum caelo in terram devehunt. Allegorice demum mundum existimare licet ecclesiam; maria, tentationes; flumina vero, Spiritus dulcia munera; atque ita dicere ecclesiam, in qua Deus habitat, tentationibus potissimum ab eo in fide fundatam et confirmatam; idoneamque Spiritui sancto excipiendo effectam, a quo, veluti ex fonte flumina, donorum varietas effluit.

v. 4. **Innocens manibus, et mundo corde.**

Gr. p. 215. Interrogationi respondet sanctus Spiritus, cum qui velit in intellectualem Domini montem conscendere, oportere corpore simul et spiritu esse innocentem: manibus quidem innocuum, id est rebus agendis inculpabilem; opus enim significat manus. Corde denique immaculatum, nempe cuius externis actibus, interior mentis ac spiritalis serenitas respondeat. Psalmistae igitur sermo in Dei montem hominem deducit, qui neque sententia, neque cogitatione, neque actibus constanter animam suam sordidaverit, in vitiis perseverans.

v. 8. **Quis est iste rex gloriae? Dominus fortis et potens.**

Ob exantlatum scilicet bellum, relatumque in humana vita a se suscepta triumphum. Hinc cognoscimus, non omnibus caeli potestatibus manifestum fuisse Christi mysterium; sed illis tantummodo quae ad rei ministerium fuerant delectae, cuiusmodi fuit Gabrihel, et reliqui qui in Domini nativitate dixerunt: gloria in excelsis Deo: namque hi Unigenito etiam in humana forma visibili, famulatum exhibebant. Postquam vero peracto incarnationis susceptae opere, ad patrem in caelos cum unita sibi

(1) Pulchrum testimonium de beata in caelis quae iustos expectat aeterna vita.
(2) Rursus testimonium de gratiae divinae necessitate.
(3) In codice gr. revera est ἀντιλήψεως, sed tamen ibi substituendum est ἀναλήψεως.

carne ascendit, obstupescebant rei novitate intellectuales illae potestates numquam antea viso tali spectaculo. Mox audito quoque Spiritu dicente: attollite portas, et introibit rex gloriae; fortasse disceptabant, quisnam hic quantusque est, homo quidem apparens ex carnis natura, sed tamen gloriae rex praedicatus? Quid ergo illis Spiritus? Dubitatis ne, et quisnam hic sit, intelligere avetis? Audite ergo: hic est rex gloriae.

PSALMUS XXIV.

Facit etiam utilem cunctis hominibus adhortationem. Congruit autem potissimum hic psalmus ex gentilitate vocatis, multamque habet cum praecedente connexionem. Namque in illo memorabatur gentium vocatio, et per sanctum Spiritum initiatio, docens quibusnam ascendere licebit in supernam civitatem, nempe manu innocentibus, et corde puris, et quod Christus dux sit futurus humanae naturae ad iter in superna, qui praecursor noster iam in caelum conscendit. Praesente autem psalmo persona vocatorum inducitur, nempe omnium qui per fidem spiritali unitate coaluerunt. Ea inquam persona, a Deo qui se vocavit, postulat ut ad rei utilis ac necessariae adeptionem dirigatur, et gratam sinceramque se fore promittit. Audi iam, quid fideles, post reditum ab errore, unus veluti chorus effecti dicant. *Gr. p. 216.*

Vias tuas Domine demonstra mihi, et semitas tua doce me. v. 4

Haec mutatio dexterae Altissimi. Nam qui olim diaboli vias decurrebant, nunc vias Domini quaerunt, id est mandata evangelica, et vitae quae sanctos decet rationem. Hae sunt enim viae Domini. Et lex quidem umbram habet veritatis et speciem; evangelium autem est ipsa veritas, ad quam se a Deo deduci petunt. Et Christus veritas est, atque ad eum pater deducit illos qui ipsum per fidem quaerunt. Sic enim aliquando Iudaeis aiebat *: nemo potest ad me venire, nisi qui misit me pater traxerit eum. Fortasse legis quoque doctrina, via et semita Domini dicitur ad veritatem, id est Christum, deducens; de hoc enim Moyses scribebat. Notas ergo mihi fac veritatis umbras, quae nempe veritatis imaginem repraesentant. Petit etiam David cognoscere vias Dei, id est providentiae rationem qua is cuncta gubernat: atque ad veritatem se deduci orat, ne forte huic mendacium incautus anteponat. * Ioh. VI. 44.

Delicta iuventutis meae, et ignorantias meas, ne memineris. v. 7.

Audiverant enim ex gentibus vocati, Christum dicentem *: dic tu prior peccata tua, ut iustificeris: ideoque accedunt fatentes habere se iuventutis peccata, sive corporalia sive mente concepta (1), id est amentiae: omne enim peccatum ab amentia oritur: et quamvis aliquis in senectute peccet, hoc ipsum iuveniliter atque amentissime facit quod peccat: quare et iuvenis hic dici solet; veluti ille in evangelio prodigus, qui et ipse iunior filius appellatur. Obliviscere igitur aiunt, o Domine, eorum quae peccavimus idololatriae tempore, quae manifesta amentia fuit. Quumque rei simus, et obnoxii poenae atque ultioni propter plurimos nostros lapsus, dignare potius meminisse nostri; haud sane ob nostra opera, quorum causa iuste utique puniendi eramus; sed propter tuam tantummodo bonitatem dignitatemque; quia cadentium misereri soles, qui tuam exquirunt erga homines caritatem. Tu enim dixisti *: non vestri gratia id ago, sed nominis mei. Reputa vero, peccatis nos irretiri, partim quia divinam ignoravimus legem, partim quia involuntarii ad violandam Dei voluntatem coacti fuimus (2). Idcirco et David clamabat: delicta iuventutis meae et ignorantias ne me- * conf. Luc. XVIII. 14. *Gr. p. 217.* * Ezech. XXXVI. 22.

(1) Confer quae diximus p. lat. 98. adn. 2, et p. 132. adn. 1.
(2) Recole dicta pp. lat. 16. et 18. in adnotationibus.

mineris. Iobus autem Deum et bonum, et naturae nostrae infirmitatem haud ignorantem, prope incusat quasi morosum et detrectantem peccata remittere. Atque ita
* Iob. VII. 21. ait *: cur iniquitatis meae non es oblitus, et peccatum meum non abluisti?

v. 10. **Cunctae viae Domini misericordia et veritas.**

* II. Cor. III. 18. Qui credunt, arcana quoque intelligere valent, iuxta illud *: nos autem revelata facie gloriam Domini contemplantes, in eamdem imaginem transformamur, de cla-
* Is. VII. 9. ritate in claritatem. De infidelibus contra dictum fuit *: nisi credideritis, non intelligetis (1). Sic indocti permansere Iudaei: quamobrem velamen super eorum cor po-
* II. Cor. III. 15. situm ait sacrosanctus Paulus *, cum Moyses legitur. Vocati itaque ex gentibus per fidem, veluti iam Spiritus illuminatione edocti, et evangelicae doctrinae probe gnari, aiunt vias omnes Domini misericordiam esse ac veritatem, non autem severitatem et umbram, ceu Moysis lex erat. Neque enim clementiam experiebantur, qui Moysis legem violavissent, sed absque ulla misericordia sub duorum vel trium testimonio necabantur. Neque sane legales ritus vera res erant, sed umbra ac typus lex fuit. Ergo fideles ex ethnicis facti, quasi distinguentes mosaica a christianis, Christi vias aiunt esse misericordiam et veritatem. Quid ni enim sint misericordia, siquidem ad peccatorum remissionem vocant Christi mandata, liberantque oppressos peccati Satanaeque tyrannide? Verum autem cultum exhibent, qui Christo credunt, non cruentas fumosasque victimas, prout mos legis erat, adducentes, sed spiritali potius et Deo placita vita viventes, et bonorum operum odorem exhibentes. Sed enim viae Domini quibusnam sint misericordia et veritas, declarant dicentes: quod iis nimirum, qui exquirunt
Gr. p. 218. testamentum Domini et testimonia eius, id est qui Deo adhaerent, eumque amare decreverunt, per praeceptorum eius observantiam; non autem inobedientibus, et imposita a Christo mandata recusantibus: denique ne iis quidem qui aeque ac Galatae,
* Gal. V. 2. 3. post susceptam fidem umbras adhuc legis consectantur. Quibus Paulus scribit *: « si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. » Et rursus: « alienati estis a Christo, qui in lege iustificamini, a gratia ob id excidistis. » His, inquam, viae Domini non sunt misericordia et veritas, neque ullum inde emolumentum capient.

v. 21. Gr. p. 150. **Quoniam sustinui te, Domine.**

Ita dicit pro: expectavi, nempe ut mihi adiutor fieres. Nam verbo sustinere ita utitur divina scriptura (2).

PSALMUS XXV.

v. 1. **Iudica me, Domine, quoniam in innocentia mea ambulavi.**

Persona quae heic introducitur iudicari postulat, sed non de peccatis. Neque enim verisimile est, hominem natum, multaque laborantem ad peccandum fragilitate, et lapsibus omnino non immunem, audacter dicere: iudica me Domine. Non ergo de peccatis iudicari petit, sed potius quod Iudaeis non consenserit Christi cultum aversantibus. Bona nimirum conscientia fretus, quod et sinceram mentem habeat, et a Iudaeorum pravitate prorsus alienam, dicit: iudica me, Domine, quoniam innocentiae viam sectatus sum: innocentem se dicens, quia Iudaeorum pravitati et vecordiae non communicaverit. Oportet enim qui in Christum credunt haud fieri malignos scru-

(1) Isaias VII. 9. Gr. οὐδὲ μὴ συνῆτε *non intelligetis,* ut Nobilius in sixtina, et multi latini patres apud Sabaterium. Vulgati lectionem *non permanebitis* sumpsit a Symmacho S. Hieronymus. Vide rursus Sabaterium.

(2) Additamentum hoc est ex codice M, cuiusmodi pauca alia infra dabimus.

tatores (1), cuiusmodi erant illi qui de Christo dicebant *: unde huic signa et sapientia haec? quomodo hic litteras scit, quum non didicerit *? Vel: cur tu, qui homo es, Deum te facis *? Verum hic simplici fide de semet ipso loquens, in innocentia ambulavi, ait. Sic etiam scriptum est: recte de Deo sentite, simplicique corde eum exquirite (2). His enim se conspicuum ostendit Christus, veluti illi a nativitate sua caeco *. Ergo fides in Christo, sine ulla malitia et sincero cum corde, cuiuslibet boni ministra est.

* Matth. XIII. 54.
* Ioh. VII. 15.
* Ioh. X. 33.
* Ioh. IX. 37.

In Domino sperans non infirmabor. v. 1.

Non cunctabor, non tergiversabor; firmam faciam postulationem, in te fiduciam collocans: habeo enim te robur meum. – Qui in se ipso vel alio quopiam spem ponit, facile nutabit; qui autem in Domino, non commovebitur. Si animi affectus scrutaberis, in sola tua misericordia mentis meae universum studium defixum comperies: quod dum facio, gratus tibi fiam, qui tuam diligo veritatem.

Gr. p. 219.

PSALMUS XXVI.

Psalmus Davidi priusquam ungeretur. v. 1.

Congruet praesens quoque psalmus personae novi populi, qui per fidem in Christo perfectus est. Namque huc introducitur spiritaliter iam factus adultus, et cuiusvis boni spem in Christo reponens, studensque maxime ne laboribus cedat, orans ut Christi legibus dirigatur, et in rectam viam deducatur. Conveniet idem psalmus non sine causa etiam divi Davidis personae, a quo et compositus fuit ante quam in regem ungeretur. Praevidens enim futura, ob sancti Spiritus illuminationem, probeque sciens se electum iri Israhelis regem, et sine dubio incursurum in insperatas tentationes, bella, proelia, atque alios vicissitudinum fluctus, multi enim illustribus adeo viris licenter insidiantur, latus quodammodo accingit, et veluti iam praesentia spectans, quae erant futura, atque ad patientiam cor suum praeparans, armaturam invictam reputans Dei auxilium, et se ab adversariis suis superiorem discessurum sperans, precem exorditur.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum meorum protexit me etc. v. 5.

Accommodandi sunt versiculi etiam vocatis per fidem, dicendumque incumbente calamitatum persecutionumque mole, tunc Deum, ut ait Moyses *, aquilae instar nidum suum protegere, expansisque alis illos ad se recipere, neque sinere ut adversarii dominentur ipsorum. Hoc enim denotari puto verbis « tabernaculo, et tabernaculi occultis. » Non solum autem, inquit, abscondit me et protexit, verum etiam in petra exaltavit me. Petram autem heic dicimus vel immotam et solidam mentis constantiam in perferendo, vel Christum in quo omnes nitimur: est enim ipse omnium fortitudo, et inconcussum fundamentum: cui impositi, per fidem et sanctificationem extollimur: nihil enim in Christo humi repit; sed eius mandatis sublevantur in altum dilecti ipsius; in culmen dico virtutis, quia nihil sancti abiectum habent, uti scriptum est *, quod Dei fortes e terra valde elevati sunt (3).

* Deut. XXXII. 11.
Gr. p. 220.
* Ps. XLVI. 10.

(1) Nominatim contra scrutatores extant egregii S. Ephraemii sermones nonaginta (syr. lat. T. III.) quae est eximia pro fidei christianae dogmatibus panoplia adversus priscos incredulos aut cavillatores, qui ab hodiernis non differunt.

(2) Sap. I. 1. Adhuc observa laudatum a Cyrillo Sapientiae librum.

(3) De hac lectione suo loco deinceps dicemus.

PSALMUS XXVII.

Canit praesentem psalmum David in persona credentium Christo, prece sua Dei adiutorium exposcens; simulque Iudaeorum vesaniam accusat (1), seque ab illorum societate abstrahit, Christo se spiritaliter adiungere satagens.

v. 2. **Ad te, Domine, clamavi.**

Clamorem hoc loco, haud elatam magnamque vocem dicimus; indecorum quippe sit sanctis ita orare: sed mentis vigorem, et fiduciam immobiliter in Deo fixam. Excipit enim huiuscemodi precantium voces, cum sanctas extulerint manus orationis tempore. Ceteroquin insolitum Iudaeis est manus inter orandum extollere (2) sed commune inter christianos, qui manuum extensione venerandum salutaris crucis signum efformant (3); ipso actu dedicatos se Christo profitentes, atque eius cruce gloriantes. Tamquam enim participes facti passionum eius, suam quisque crucem baiulantes, eumque sequentes, ut ipse dixit *, hoc crucis signum figuramus. Verum haud in angulis platearum iudaico more * oramus, quo ab hominibus conspiciamur, sed in sancto Dei templo brevi tempore manus attollimus, precesque offerimus. Mea enim domus, ait Deus per prophetam *, domus orationis vocabitur.

* Marc. VIII. 34. * Matth. VI. 5. * Hier. VII. 11.

Ad psalmum 28. nihil est in codd.

PSALMUS XXIX.

v. 8. **Domine, in voluntate tua praestitisti decori meo virtutem.**

Corporis pulchritudo in facie aestimatur. Plurimae vero partes ad unius pulchritudinis perfectionem concurrunt, veluti oculus, supercilium, genae, et reliqua. Eodem
Gr. p. 221. modo pulchritudinem quoque spiritalem aestimemus; una est enim ex multis ita conflata virtutibus ut cohaereat. Age vero loco oculi ponimus fidem; sicuti loco oris, prolatum sermonem, et analoga ratione reliqua. Ceterum, ut pulchritudo animo accedat virtusque quicquid officium postulat efficiendi, divina ad id gratia indigemus (4). Sicut itaque superius dixit, vitam esse in voluntate eius, ita nunc Deum exaltat gratiis agendis dicens: in voluntate tua praestitisti decori meo virtutem. Pulcher, inquit, natura eram; sed debilitatus fui, postquam insidiante serpente mortem peccati incurri (5). Pulchritudini ergo meae, quam a te prima in creatione acceperam, adiecisti virtutem officio implendo valentem. Pulchra est igitur omnis anima, quae non absque suarum virtutum symmetria spectatur: nam et formositas corporis, membrorum symmetriâ constat. Et qui huiusmodi in se virtutem experitur, eucharisticam hanc vocem emittit. Curanda itaque nobis haec pulchritudo est, ut Verbum, sponsi nomine assumpto, dum nos recipit, dicat *: tota pulchra es, proxima (6) mea, et macula non est in te.

* Cant. IV. 7.

(1) Hactenus nonnulli ad Athanasium verba haec traxerunt, reclamante Niceta qui ex Cyrillo omnia recitat in praestantissima ad psalmos catena vaticana codicis A.

(2) Dicit hoc propter versiculum 2: *dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.*

(3) Humanum corpus crucis figuram quamdam exhibere, acute iam observaverant Iustinus apol. I. 55. et Tertullianus ad nat. I. 12. Christianos autem expansis manibus orantes passim videmus in Romae subterraneae monumentis, et quidem in insigni pictura ad Titi thermas reperta sanctae martyris Felicitatis, cuius accuratum exemplar apud me religiose conservo.

(4) Dogma denuo de gratiae necessitate, contra Pelagium.

(5) En originale peccatum, nec eius poenam tantummodo, ut cacodoxi volunt.

(6) Sequitur alexandrinam, nunc vaticanam, lectionem πλησίον Cyrillus. Ceterum cum alexandrinas lectiones nomino, non veterem patriam codicis vaticani dico, quae incerta est, sed septuaginta virorum translationem alexandrinam, quae in praedicto codice legitur.

Num confitebitur tibi pulvis, aut annunciabit veritatem tuam? v. 10.

Simul ac quisque mortuus est, cessabit ilico a dicendis Deo laudibus, nihilque omnino praeteritis addet operibus: manet potius in eo quo deprehensus est merito, et generalis iudicii tempus expectat (1). Qui ergo vivunt, recteque agendi facultatem adhuc retinent, quum bene eis fuerit, laudabunt te, sicut et ego. Oro itaque ut ex voragine eruar; quia non confitebitur tibi pulvis; quia laudandi tui, officium viventium est; qui autem in pulverem dissoluti abierunt, quo id pacto poterunt? Videtur etiam David pro se ipso sic Deum alloqui: num quid emolumenti capietur ex corruptione mea?

PSALMUS XXX.

In te, Domine, speravi; non confundar in aeternum. v. 2.

Vox est tentati, nondum tamen lapsi, id est vigore carentis, sed tamen metuentis, ne persecutori inferior fiat. In te, inquit, speravi: nisi enim tu opem feras, inutilis ad salvandum est murorum circuitus. Beatus itaque qui omnem mundanarum rerum spem abiicit, eamque in uno Deo reponit! Sicut enim maledictus homo qui sperat ab homine *, ita benedictus qui Domino confidit. Neque enim dubia est spes in Deum: neque vult Dominus plenum suum illi suppeditare auxilium, qui modo opibus et gloriae potentiaeque in mundo confidit, modo Deum spem suam esse dictitat: sed revera opus est Dei solius adiutorio adquiescere, ut cum Davide dicat: in te, Domine, speravi, non confundar in aeternum. Peccando confusus sum, oro te ne diutius ignominia mihi adhaereat, propter meam erga te fiduciam. Ne igitur meum respicias peccatum, sed persecutorum potius meorum nequitiam. Quamquam enim rex erat David, divitiisque affluebat, et victoriis de hoste relatis clarebat, attamen nihil horum prodesse sibi ad tutelam putabat, praeter solam in Domino spem: idcirco orabat quominus hanc amitteret. Ille pariter qui finem sanctis propositum consecuturum se sperat, scit se in aeternum non esse confundendum.

Gr. p. 222.

* Hier. XVII. 5.

In tua iustitia libera me, et salvus ero. v. 2.

Nempe in Christo libera me a diaboli servitute, simque gehennae cruciatu immunis. Est enim Christus iustitia nostra, neque est aliud nomen datum hominibus, in quo nos oporteat salvari *. Ait enim: ego sum via, et ianua; et sine me nihil potestis facere *.

* Act. IV. 12.

* Ioh. X. 9. XV. 5.

Et propter nomen tuum deduces me, et enutries me. v. 4.

Cohaerent haec cum praecedente doctrina. Nam cum robur perfugiumque suum esse dixisset universalem Deum, nunc exponere pergit quod propter nomen suum, id est gloriam, eos deducit ut enutrit qui pura mente et caritate constante ei subsunt, et quae eidem sunt placita, cogitare et agere decreverunt. Admodum vero egregie dicit deduces me et enutries me; non enim aliter virtus quam duabus rebus prospere acquiritur, scientia videlicet et fortitudine spiritali. Modeste demum agit, dum hanc non viribus suis sed per Dei nomen consequi petit.

Gr. p. 223.

In manus tuas spiritum meum commendabo. v. 6.

Sensus est: qui animae illius insidiabantur, in peccato eum deprehenderunt. Multi enim sunt vitae laquei usque ad ultimum spiritum. Ergo in anima bellum patiens, corporis enim exiguam sancti curam gerunt, et a deceptoribus vulnerari timens,

(1) Nempe ut corpus simul cum anima praemium poenamve recipiat.

spiritum Deo commendat, providentiam eius manuum vocabulo indigitans. Et quidem praesente dicto Servator quoque in cruce fixus usus est. Spiritum autem quandoque

* I. Cor. VII. 34. pro cogitatione ponit scriptura; veluti cum dicit de virgine apostolus *, ut sint sancta

* Iac. II. 26. corpore et spiritu. Quandoque autem pro anima, veluti apud Iacobum *: corpus absque spiritu mortuum est. Quandoque demum pro insita animo conscientia; velut il-

* I. Cor. II. 11. lud *: quis videt propria hominis, nisi qui in ipso est spiritus? Praesens certe textus triplici hoc modo intelligetur. David quidem ab hostibus captus, a Deo se redemptum dicit; et quia spes sua eum non fefellit, Deum peculiariter veritatem appellat.

v. 9. **Statuisti in loco spatioso pedes meos.**

Si spatiosus locus idem est quod lata via, id est voluptaria vita, gratias Deo iustus agit, quod terreno in loco versans, in quo ob latentes improbitates periculose vivitur, firmitatem nactus sit quominus hac et illac a cupiditatibus suis deferatur. Quod si latitudinem laudabili sensu dicit, gratiam habet quod pressus non constringitur, sed angustiis expeditus labores sustinet.

v. 10. **Miserere mei, quoniam tribulor.**

Videtur quodammodo non magnopere consonare superiori versiculo praesentis sententia. Dicet enim fortasse aliquis: qui in loco spatioso constitutos ait pedes suos, quomodo heic premi se dicit, veluti antea dictorum oblitus? Quid ergo respondebimus? Sentit utique gratiam Christi, miratur auxilii rationem; sed quasi illud nondum adeptus, ruminat veluti narrationem suam, et ante gratiam meminit malorum, ut tanto maior salvantis gloria sit. Quaenam porro sit haec tribulatio, prolixius mox exponit.

v. 12. **Apud omnes inimicos (1) meos factus sum opprobrium.**

Si haec de eo, qui hoc in psalmo confitetur, intelligantur, multam sane tum praecedentia dicta tum etiam praesentia demonstrant ipsius calamitatem. Factus sum, inquit, apud inimicos meos opprobrium, ceu qui me ipsum frustra fatigem; nec non notis meis proximisque timor, dum metuunt ne forte iam peream, propter eam quam ex mea confessione agnoscunt infelicitatem, et ob eum quem prae me fero paenitentiae excessum, sacco et cinere memet vexans, noctu diuque lugens, tamque gravibus me laboribus atterens. Et qui me spectabant, longe a me recesserunt, meam tamquam mortui desperantes salutem; fortasse etiam me insanire dicentes, neque iam vitae desiderio teneri. Quare et omnia mea paene oblivione obruerunt, meque ceu vas inutile et perditum arbitrati sunt. Namque iis diffugientibus, quasi mortuus oblivioni sum traditus. Visus sum denique ceu infimae ignominiae vas proiectum nulloque pretio dignum, ideoque nec requirendum.

v. 13. **Oblivione deletus sum, tamquam mortuus, a corde.**

A corde, id est a mente ac memoria.

v. 14. **Quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.**

Fortasse quod audierit vituperationem multorum, ea causa fuit superiora dicendi; quasi vero nunc dicat: non frustra memet affligebam, sed quia invisibiles hostes, me

(1) Ex commentario apparet Cyrillum legisse παρ' ἐχθροῖς, *apud inimicos*, non παρ' ἐχθρούς. Et quidem Nobilius in sixtina discrte adnotat heic verti posse *apud omnes inimicos;* atque ita cl. Bern. Rubeus magister olim meus interpretatus est in sua italica psalmorum editione. Utique et nos in hebraicis studiis ac philologia, praesertim sub tanto duce, iuvenilium annorum partem consumpsimus, cuius certe laboris numquam paenituit. Nunc tamen in edendo Cyrillo ne paratis quidem iamdiu nostris ad psalterium commentationibus uti volumus; primo, quia in graeco, non in hebraico, textu versamur; iterum, quia nihil praeter Cyrilli sensum declarandum suscepimus.

in peccatum prolapso, ut animam meam laniarent conspirarunt; ideo multa meimet afflictione Deum ad misericordiam flectebam.

In manibus tuis sortes meae. v. 16.

Vel (1) sortes apud Deum, de quibus divus loquitur David. Sperata, intelliguntur bona piis promissa; quae et illis annuet tempore constituto.

Ostende faciem tuam super servum tuum. v. 17.

Respectu dignatur Deus modestum ac docilem hominem, et divino timore cohibitum. Contra aversatur indocilem et repugnantem, quique nullam divini beneplaciti habet rationem. Nemo autem cordatus dubitabit, superiores fore cuilibet tentationi vel oppugnantium insidiis, eos qui Dei patrocinio utentur. Sicut enim sole oriente, solvuntur tenebrae; terram subeunte, succedit nox, qua suis antris silvestres ferae prodeunt, nec non maleficiorum auctores homines; ita cum Deus a quopiam se avertit, mox animae hostes consurgunt. Apparente autem divinitatis eius luce, quam Dei faciem appellat scriptura, diffugiunt omnes qui digna tenebris faciunt: quam rem ut impetret, orat etiam propheta, non propter actus suos sed ob misericordiam Dei. Haec est mihi, inquit, salutis ratio, si tuum ostendas vultum.

Domine, ne erubescam, quoniam te invocavi. v. 18.

Atheos decet, inquit, non me, erubescere. Certe id pati digni sunt impii, qui nempe te non agnoscunt, neque tuam fatentur deitatem et excelsitatem; sed daemoniis potius domini nomen imponunt, et omnium rerum principatum Satanae attribuunt, quibus etiam suae vitae sortes permittunt. Hos oportet ad orci domum pergere, et cum ibi conclusis submergi, quos etiam proprios sibi deos adsciverant.

Quanta est abundantia bonitatis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te! v. 20.
Operatus es sperantibus in te coram filiis hominum.

Vocabulum « abscondisti » repugnare quodammodo videtur alteri dictioni « operatus es. » Nam si bonitatis copiam abscondit, quomodo vice versa operatus eam est coram filiis hominum? Igitur « abscondisti » intelligendum est pro, reconditam id est reservatam familiaribus suis solis bonitatem tenuit; nihilo tamen minus coram filiis hominum, id est nemine insciente. Quis enim ignorat bonum esse omnium rerum creatorem, non tamen indiscrete erga omnes, sed erga illos potius qui divinum in animabus suis retinent timorem? His quippe abscondit, id est reservavit, ceu sortem quamdam, bonitatis suae ubertatem. Neque in spe sola res illis est, sed et illam saepissime operatus est, factis videlicet conspicuam reddidit. Veluti, tenebrae incubuerunt Aegyptiis profundae per triduum; sed bonitas eius, qui devotos sibi servabat, tenebris immunem praestabat Israhelem. Perierunt Aegyptiorum primogeniti una nocte; apud Israhelitas autem ne canis quidem ringi auditus est, sed erant extra caedem omnes, Deo angelum exterminatorem arcente. Viden, ut in conspectu filiorum hominum, id est libere et palam operatus est bonitatis suae copiam erga sperantes in ipsum? quam simul etiam quodammodo abscondit, quia non omnibus illam participare licuit: reservata enim solis, ut dixi, fuit timentibus eum. Neque caret successu spes in Deum, immo vero salutis ab eo venientis conciliatrix est, multamque sperantibus infert utilitatem. Abscondis igitur, inquit, bonitatem tuam, id est reservas, metuentibus te; quia et ipsam idcirco operatus es, ut in te sperantibus praestes: quam immo palam exhibebis, ut omnes videant, ubi retributionis tempus aderit, eam dignis

(1) Sic loquitur, quia alia ante dixerat, quae eclogarius omisit.

concedi. Alio demum sensu, copia bonitatis Dei absconditam habet utilitatem; et nondum (1) satis clare videtur, sed ventura saecula expectat, ut tum denique manifestetur.

v. 22. **Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam in civitate munita.**

Suam ad Deum precem bono conclusit fine, Deum benedicendo, qui bene ipsi fecerat. Per me enim, inquit, Deus gloria est auctus; quia innumeris contra me consurgentibus bellis, magnaeque instar urbis animam meam expugnare conantibus, defensor meus septo me circumdans, miram ostendisti misericordiam tuam; haud secus me conservans quam valido muro munitam civitatem. Vel potius civitatis munitae nomine filium suum Deus denotat, qui abscondit sanctos ac veluti operit tabernaculo, extra hominum tumultum et linguarum contradictionem. Vel etiam fortasse ecclesiam suam appellat sanctorum civitatem, Satanae inexpugnabilem et numquam capiendam, magnum, tutum, et inexpugnabilem murum. Nam portae inferi adversus eam non praevalent. Veramtamen misericordia haud extra sanctam civitatem datur, sed intra eam manentibus (2); quippe quia in ipsa dictum est illam mirificari. Erat sane munita muris civitas, imperturbata Davidis anima; sed enim impassibilitatis muro destructo, inimici eius cum Bersabea ad Davidem penetrarunt. Cuius rei causa in quinquagesimo psalmo orat Dominum ut aedificentur muri Hierusalem (3).

PSALMUS XXXI.

v. 1. **Psalmus Davidi intelligentiae. Beati quorum remissa sunt peccata!**

Multis suis commemoratis David aerumnis, quas paenitentiae tempore pertulit, beatos dicit eos qui absque ulla vexatione veniam impetrarunt per regenerationis lavacrum (4). Intelligentiae autem inscribitur psalmus, quia hac maxime indigent homines, qui cum sint valde ad passiones inclinati, equis et mulis assimilati sunt. Aut ad intelligentiam (5) hortatur, quia multa psalmus habet recondita, atque intelligentia opus est legenti.

v. 2. **Beatus vir cui Dominus peccatum non imputaverit.**

Tertia est haec peccantium classis, quorum actus non est laudabilis, sed mens inculpata. Primus ergo versiculus, congruet utique iis qui per sanctum baptismum reconciliati fuere; namque horum remissa sunt peccata. Secundus autem iis, qui paenitere volunt; namque horum operiuntur culpae a paenitentia, quas veluti oblivione obruit benignus Deus, ita ut nolit diutius eas intueri. Nam peccantibus post remissionem, nequaquam alteram remissionem, sed opertionem peccatorum exhibet. Posterioribus enim bonis actibus, operire praevia peccata concedit (6). Tertius demum versiculus congruit peccantibus quidem, sed absque malitiosa pravaque voluntate.

v. 7. **Tu es refugium meum a tribulatione quae comprehendit me.**

Valde interest non magnopere sibi confidere, sed eum agnoscere potius, qui

(1) Cod. habet οὔτω, *sic;* sed videbatur emendandum οὔπω, *nondum.*

(2) Egregium Cyrilli testimonium de necessitate communionis cum ecclesia catholica, qua super re noti sunt grandes verissimique S. Hieronymi sonitus in epistola ad Damasum. Opportunius autem id scribit Alexandriae Cyrillus, qua in urbe variae grassabantur haereses. Atque ita facit etiam S. Sophronius, a nobis editus, in sua alexandrina lucubratione de miraculis SS. Cyri et Iohannis, id est mirac. 12. 36. 37. 38. 39.

(3) Animadverte sensum pulchrum anagogicum, quem Cyrillus repetet infra suo loco; quin opus sit suspicari illo loco de temporibus captivitatis babylonicae, quod nonnulli faciunt.

(4) Athanasius quoque aliis verbis demonstrat se in hoc psalmistae loco agnoscere baptismi virtutem.

(5) Aliis videtur *psalmus qui dat intelligentiam,* id est didascalicus.

(6) Recole Eulogii fragmentum apud nos p. gr. 104. adn. 2.

potest nos liberare, cum appetimur curis et angustiis, quae pietatis nostrae causa, fulminis instar in nos irruunt ac perturbant.

O exultatio mea, libera me a circumdantibus me. v. 7.

Haec ait tamquam in persona cupientium eam, quae per Christum fit, salutem; cuius beneficio antiquae maledictionis depulimus anxietatem, recuperavimus autem hilaritatem atque laetitiam, morte et peccato erepti. Quid ni enim? quandoquidem caelestia bona consecuti sumus. Obsident autem sanctos, non homines tantum impii et flagitiosi, sed ipsa quoque perpetuae malitiae dedita daemonum agmina.

Intellectum tibi dabo, et docebo te viam hanc meam qua gradieris. v. 8. *Gr. p.* 228.

Petenti liberationem ex inimicis, respondet Deus directurum se promittens in rectam viam: dabo enim tibi, inquit, intellectum, viamque monstrabo, qua pergens, beatissimum terminum consequêris: tuarumque rerum curam geram, ut splendidis radiis illuminatus viam cernas, quam terere iussus es.

Camo et freno maxillas eorum constringe. v. 9.

Ad Deum veluti dirigit sermonem. Dicit autem: qui resipiscere nolunt, eos tu, ceu freno quodam, disciplina ad te ipsum converte, et desultoriis motibus ac ferocia compressa, durique oris contumacia domita, iugo tuo subde; neque hos sinas frena mordentes in praeceps barathrum ruere; sed manu cervicem illorum flectens, in salutarem dirige viam. Nam si quis a malo recedat, atque ad dignum homine intellectum rediens, vale dicat beluinis cupiditatibus, fiatque sapiens et cordatus vir, tunc demum spem perfugiumque habebit ad eruditorem suum Deum: tunc ipsum misericordia et clementia circumsistent, manusque Dei proteget qui salvare et scit et valet.

Laetamini in Domino, et exultate iusti. v. 11.

Quam scita est cantici conclusio! Deterret enim quominus re qualibet mundana gloriemur, atque ut in Deo potius laetemur, hortatur. Intelligit nimirum spiritalium donorum collationem, et praemiorum spem. Ceteroqui haud omnibus laetari in Deo congruet, sed iustitiae potius amatoribus. Horum est in solo Deo laetari, et eodem gloriari, prout divus monet apostolus: qui gloriatur, in Domino glorietur *. * I. Cor. I. 31.

PSALMUS XXXII.

Psalmus Davidi, sine titulo apud Hebraeos. v. 1.

Cantari hunc psalmum dicimus tamquam in beati Davidis persona; sive in honorem laudemque Christi, qui etiam David nominatus est ob suam in carne nativitatem: etenim de Iessae et Davidis sanguine ortus est. Habet autem praesentis carminis continentia primo quidem invitationem quamdam et adhortationem; quia nempe sanctos oportet laudes dicere, et eucharisticos hymnos ad Deum extollere qui salutem orbi contulit, atque omnia in Christo restauravit caelestia simul atque terrestria, qui nos omnes diaboli tyrannide nequitiaque eripuit. Post haec, sermo statim incipit mystagogicus, quo docemur Christi manum esse invictam, voluntatem efficacissimam, potentiam universalem, gloriam Deo dignam, celsitatem supermundialem. Namque eum rerum omnium creatorem ostendit psalmista. Verbo enim, inquit, Domini caeli firmati sunt. Praeterea docet, ipsum esse omnium inspectorem, atque omnituentem oculum terrenis cunctis intendere, et uniuscuiusque semitas explorare. Porro utilem quamdam necessariamque praecedenti doctrinae imponit coronidem; demonstrat enim putrem fragilemque esse spem in hominibus collocatam; nec quempiam terrestrium saluti propriae posse consulere, nisi Deus auxilietur. Sic autem esse vult animatos eos *Gr. p.* 229.

qui Deum diligunt, ut ei morem gerant, eiusque nutibus obsecundent, ipsique confidant; sibique plane persuadeant, ipsum omni tentatione expedire solere, et sibi fretos facile salvare. Sic ergo canticum exorditur.

v. 1. **Exultate iusti in Domino.**

Ergo mente in Domino defixa, et pro viribus mirabilia eius contemplantes, ex hac ipsa consideratione cordibus nostris laetitiam comparemus. Atque ut summatim dicam, hoc est exultare iustos in Domino, ea sola nimirum velle quae ipsi iucunda sunt et grata; et bonam quidem disciplinam appetere, a mundanis autem recedere cupiditatibus et huius vitae colluvie.

v. 2. **Confitemini Domino cithara, psalterio decem chordarum psallite illi.**

* Ps. LIII. 8. In aliis scribitur psalmis, modo quidem voluntarie sacrificabo tibi *; modo au-
* Ps. XXVII. 7. tem ex voluntate mea confitebor illi *: unde significatur non esse invite neque cum tristitia et segnitie preces faciendas, sed bona cum mente et hilari animo. Id heic quoque demonstrari dicimus, facta veluti exempli causa mentione eorum, qui cithara et psal-
Gr. p. 230. terio uti solent. Neque enim melodiam, quae pulsu chordarum fit, imperat Deus (1); neque mundana crepundia attingere mandat eis qui mentis rectitudini student; sed cum digna sanctis laetitia celebrari se laudibus iubet. Apparet autem, psalmistam priscis se moribus accommodantem, organorum mentionem fecisse. Usitatum quippe Iudaeis fuit et lyram pulsare, et cymbalis atque nabliis aliisque huiusmodi instrumentis uti, hymnosque in ipsorum templo concinere. Vide porro sis, quomodo bonum sacrificium sanctis, id est rectis non imperat, neque, thus incendere, sed hymnos potius, et incruenta sacrificia offerre, quae christianae vitae tessera est. Repudians enim cruentas victimas, quoniam dixit Israheli: non accipiam de domo vestra vitulos, ne-
* Ps. XLIX. 9. 14. que e gregibus vestris haedos *; ad hymnos cantusque adhortatur dicens: immola Deo sacrificium laudis.

v. 3. **Cantate Domino canticum novum, bene psallite ei cum vociferatione.**

Hinc quoque cognoscere licet, nequaquam ad eos, qui legis mosaicae cultum sequuntur, verba fieri a Spiritu per os psallentis, sed ad christianae vitae adseclas, et qui iustificationem a Christo per fidem sunt consecuti. Sunt autem hi, de quibus initio praecedentis psalmi aiebat: beati, quorum remissa sunt peccata! Quibusnam enim remisit Deus peccata, nisi iis qui ad novitatem vitae sunt reformati per sanctificationem in spiritu, qui et quamlibet maculam per sanctum baptismum eluerunt? His canere mandat, neque id quomodolibet, sed certa et insueta maioribus nostris ratione. Opus enim esse ait cantico novo; quod manifeste demonstrat, finem mosaicae legi fuisse impositum. Psallere autem bene iubet, id est ut decet sobriam conclamationem. Porro conclamationem proprie esse dicimus victorialem clamorem, quem exercitus post depressum hostem extollit.

v. 7. **Qui posuisti in thesauris abyssos.**

* Iob. XXXVIII. 10. Sic alibi de mari ait *: constitui ipsi limites, claustris portisque impositis; eique dixi: hactenus pertinges, nec transgredieris, sed in semet ipsos fluctus tui refringen-
* Hier. V. 22. tur. Alibi item ad priscos quosdam per unum de sanctis prophetis ait *: ergone me
Gr. p. 231. non metuetis, inquit Dominus, neque faciem meam verebimini, qui limitem mari harenam constitui, mandatum aeternum quod numquam ab eo violabitur? Nam quod terram olim aquis obrutam, Dei nutus initio detexerit, significavit Moyses tamquam

1 Adnotabunt hanc Cyrilli sententiam ii, quibus paulo laetior et resonantior musica in christianis templis non placet.

in persona Dei dicens: congregentur aquae in stagnum unum, et appareat arida. Ergo abyssum, quae universam terram absorbere poterat, divina vis circumfusa utris vice continet; et quasi retrahens, haud patitur praeter adsignatos ipsi locos excedere.

Timeat Dominum omnis terra. v. 8.

Quod non frustra, immo vero utiliter, et pro communi bono necessariaque salute, haec de Dei gloria et in omnibus praeeminentia nobiscum verba fecerit, praecedentium tenore nobis fit exploratum. Hortatur enim mundum universum, ne posthinc cultum daemoniis exhibeat, sed divino se exornet timore, atque in mentem recipiat eum qui omnia potest, qui verbo suo cuncta ad existendum vocavit, caelos firmavit, omnium rerum subsistentiam ac integritatem conservat, per sancti Spiritus operationem. Ideo enim de divina gloria sermonem intulit David, ut nos insitae in ineffabili Dei natura präeeminentiae magnitudinem edocti, abiiciamus perniciosam rectis operibus exsequendis segnitiem: tum ut suscepto in cordibus nostris Dei timore, studeamus omni rei bonae, atque ita ad familiaritatem eius perveniamus. Nam quod salutaris sit Dei timor diligentibus eum, docet nos sacra scriptura * (1): timor Domini, inquit, cor delectabit, dabitque laetitiam et gaudium et longaevitatem. * Eccli. I. 10.

Ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem. v. 8.

Audita, inquit, doctrina eius, mundi incolae homines, a priore sua quam tenebant statione, id est idololatria, commoveantur, creatori proprio obtemperantes. Nam commoveri, non corporalem motum heic innuit aut aliam huiusmodi concussionem; sed inspiratae scripturae, nobisque adeo hic mos est, ut siquando aliquid insigniter fiat, dicamus factam commotionem. Veluti cum iumento insidens Iesus, pueris hymnum ei canentibus, ascendit Hierosolymam; tunc sollemnem, inquam, ingressum exponens evangelista scripsit, eo ingrediente Hierosolymam, universam civitatem esse commotam; nempe ut diceret, neminem latuisse, omnesque eum admiratos. Ita et hoc loco intelliges commotos omnes mundi incolas, attonitos videlicet et mirantes, ut iam nemo Dei gloriam ignoret, et celsissimam insitae illi potentiae praeeminentiaeque dignitatem. *Gr p.* 232.

Quoniam ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt. v. 9.

Fuit enim ipse et est, nos autem creati per vivens eius et consubstantiale Verbum, quod est eiusdem sapientia ac virtus. Iam et vocabulum « mandavit, » ne humano more aestimes; sed reputa potius, quod etiam illiberalium artium periti, cum aliquod notum sibi opificium machinari volunt, mandant propemodum peritiae propriae et arti, dum id volunt operari: mentisque ad opus faciendum propensio, vim mandati spontaneique motus habet. Ceterum in hominibus insubstantiva per se est cuiusque sapientia, et vis; in Deo non item. Subsistit enim Verbum, per quod omnia facit, per insitam nempe illi virtutem atque sapientiam. – Videsis autem, quod duobus dictis prioribus, nempe timeat omnis terra, et commoveantur omnes in habitantes orbem, duo superaddit: ipse dixit et facta sunt; nec non, mandavit et creata sunt. Nam quia compositus est homo ex terreno plasmate, et inhabitante corpus anima; terra quidem id dicitur, quod de terra formatum est; incola autem orbis, ea quae in corpore sortita est incolatum anima. Convenienter itaque terrae, id est plasmati nostro

(1) Animadverte, librum Ecclesiastici appellari a Cyrillo *sacram* scripturam. Idem Cyrillus in oratione Ephesi habita ante quam a Comite comprehenderetur eundem Ecclesiasticum citans (II. 1.) *divinam* scripturam appellat. Libenter haec adnoto, oblata occasione, propter heterodoxos qui nondum sibi huius libri divinam auctoritatem persuaderi patiuntur.

ex terra formato, vocabulum « factum est » refertur: animae autem ad imaginem Dei creatae, vocabulum « creatum est. » Quoniam vero creatio saepenumero dicitur etiam
* Ephes. II. 15. pro reformatione, atque in melius restitutione, ut illud *: siqua nova in Christo crea-
* II. Cor. V. 17. tio est. Et illud *: ut duo crearet in unum novum hominem; fortasse vocabulum « factum est » de prima hominis existentia dicitur; secundum « creatum est » de secunda eius per Christi gratiam regeneratione. Quantum autem differt a simplici sermone mandatum Dei, tantundem inter creationem ac facturam interest.

v. 11. **Consilium autem Domini manet in aeternum.**

* r. p. 233. Revertitur ergo hoc loco ad cogitandum de Unigeniti vita in carne, et quid ab eo sit egregie factum considerat. Nam ille qui credebatur Deus esse huius saeculi, nec non et daemonum populus, amara nobis moliebantur: plurimae enim erant mortis decipulae, et peccati laquei passim extenti. In via hac, inquit, qua gradiebar, ab-
* Ps. CXLI. 4. sconderunt mihi laqueum *. Neque illorum nequitiae artificia vitari poterant. Homines quippe adorabant hos ipsos impuros spiritus, et quidem etiam ligna, et lapides, et mundi elementa; nec quisquam erat qui bene ageret, ne unus quidem, dum adeo gravi morbo premerentur omnes, nemoque collum ab illorum praepotentia subducere valeret, qui nobis dominari volebant. Sed dispersit Deus consilia principum, eripuit nos servavitque, captivos redemit, et tyrannicis expeditos laqueis, iugo suo alligavit. Instauravit enim omnia in Christo, atque ab universali principatu Satanam depulit. Neque nos aliquamdiu, id est dimenso tempore, ita futuri sumus, sed in longa et infinita saecula extenditur gratia eius. Nam quod Deus sanctus decrevit, inquit, quis
* Is. XIV. 27. dissipabit *? Ergo Domini consilium manet in aeternum, et cogitationes cordis eius in generationem et generationem. Neque sub alio deinceps erimus, sed ipse ac solus
* Ps. XLVII. 15. nobis dominabitur Christus: regnabit enim in aeternum: atque, ut psalmista ait *, ipse pastor noster erit in saecula.

v. 12. **Beata gens, cuius est Dominus, Deus eius!**

Beatus populus, qui nullum iam agnoscit falsum Deum aut nominat, sed dominum ac Deum sibi adscivit eum qui naturaliter ac vere Deus est, eique animam suam addixit! atque ita semet secrevit, ut hereditas quodammodo et patrimonium Dei evaserit.

v. 13. **De caelo respexit Dominus.**

Idem hoc existimo alicubi ab uno sanctorum prophetarum dictum, veluti nobis
* Luc. I. 78. in Christo vocatis ad iustificationem: « et respiciat nos oriens ex alto *. » Audio rursus divum psalmistam Davidem dicentem ei, qui in caelis est patri Deo: visita nos
* Ps. CV. 4. in salutari tuo *. Porro salutare Dei patris nuncupatur vereque est, filius. Reapse misit
Gr. p. 234. ad nos Deus pater de caelo, tamquam aliquod lumen et lampadem, iustitiam et salutare suum, videlicet filium: iustificati enim fuimus in ipso, et divinum intellectuale vidimus lumen. Sequitur ergo ut Verbi incarnatio credatur merito visitatio Dei patris, nempe quae hoc loco respectus dicitur.

v. 14. **De praeparato habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram.**

Praeparatum habitaculum divina scriptura caelum solet nuncupare, sive habitantes in caelo angelos; propterea quod, ut arbitror, non est laborandum supernis virtutibus, secus ac nobis, ut purae fiant, sed adeo sunt sanctae ut in eis requiescat Deus. Sumus et nos habitaculum Dei, et quidem templa eius; verumtamen non ex abrupto ad hoc pervenimus, sed gratia donoque Dei iustificati, labore nempe ac sudore nostram purgantes mentem, ut sancti effecti, incolam habeamus eum qui omnino purus vereque sanctus est. – Animadverte, dicit David, factum de caelo respe-

ctum non super Israhelem tantummodo, sicut olim Moyse sapientissimo interveniente, sed super omnes filios hominum inhabitantes orbem. Vocata fuit enim ad salutem per communem nostrum servatorem Christum gentium multitudo universo orbe diffusa. Namque omnino universalis ad quamlibet gentem genusque hominum, per communem nostrum servatorem Christum, gratia redundavit.

Qui finxit singillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum. v. 15.

Vere utique Deus est filius, qui et corda nostra novit quae singillatim fecit; simulque omnia mortalium opera scit; non quod aliquis ei nunciet, sed ipsemet mentes introspiciens, et corda videns, et arcana cognoscens. Nam lux cum eo est, uti scriptum fuit *, immo vero ipsemet lux est. * I. Ioh. I. 7.

Fallax equus ad salutem. v. 17.

Erit autem fallax ad salutem equus, id est equestre agmen. Excidit enim interdum spe sua, qui illa fretus erat; et dum superiorem fore se putat, in hostium ma- *Gr. p.* 235.
nus decidit. Nam virium suarum copia quisnam salvabitur? siquidem ne rex quidem, vel equestre ut dixi agmen. Recte enim utrilibet e praedictis versiculi sensum accommodabis. Deus igitur est virtutum dominus, atque ab eo victoria conceditur: liberat enim facileque salvat confidentes in ipso: quibus etiam ore unius e sanctis prophetis alicubi ait *: qui vos tetigerit, tamquam si pupillam oculi ipsius tetigerit. * Zach. II. 8.

Ecce oculi Domini super timentes eum. v. 18.

Ostendit, Deum curam gerere eorum qui ad ipsius familiaritatem pervenerunt, spiritalem scilicet; et quod benivolo suo dignans eos respectu, extra omnem calamitatem collocat. Profecto dum dicit « ecce » rem veram esse demonstrat, et ipsa experientia exploratam. Oculi Domini super timentes eum. Ecquid aliud tanti est ad felicitatem? Vel quidni omni gaudio abundent, quibus a Deo respici contingit? Quo fit, ut ea re carere necessario timeant, qui Dei amore dependent: qui non sibi ipsis magis confidunt, quam clementiae Dei, spei loco habentes misericordiam eius.

Ut eruat a morte animas eorum. v. 19.

Inspicit enim, ait, ut eruat a morte animas eorum; neque vero carnis mortem intelligit, sed spiritalem. Animae vero mortem dicimus, si quis diabolicis laqueis capiatur, et in peccati coenum mergatur: itemque, si aegre se gerat in tentationibus, et in rei agendae delectu labascat. Scopus itaque respicientis sanctos Dei est, ut morte liberet timentium se animas, eosque in fame alat.

Ut alat eos in fame. v. 19.

Replet enim animas spiritaliter et religiose, panem ipsis de caelo dans, id est vere vivificam salutaremque doctrinam, et sancti Spiritus consolationem, qua ad omne opus bonum perficiendum corroboramur. Neque enim fame perire animam iustam Dominus patietur. Ideo dixit dum spiritalem nobis mensam exhiberet *: manducate * Cant. V. 1.
et bibite atque inebriamini, o proximi.

Anima autem mea sustinet Dominum. v. 20.

Gr. p. 236.
Sustinere Dominum, nihil aliud esse dicimus, nisi propositum quicquid patiendi ob caritatem eius, et utiles non recusandi sudores ut illius placita exsequamur. Patientia enim vobis opus est, inquit, ut voluntatem Dei facientes, rem promissam consequamini *. * Hebr. X. 36.

Quoniam adiutor et protector noster est. v. 20.

Num igitur ita loquuntur ceu suis tantummodo uniceque viribus freti, et de se gloriose sentientes? Minime vero; sed sciunt potius protegi se a Deo, eumque habere

defensorem, vires salutemque praebentem. Propterea addunt: quoniam adiutor et protector noster est. Idcirco sustinebimus, aiunt, et omni constantia probatissimos nosmet exhibebimus, atque ita fidelitatis corona cingemur, tamquam Dei adiutorio et protectione utentes.

v. 22. **Fiat misericordia tua, Domine, super nos.**

Subsequatur misericordia tua, id est adsit sperantibus in te. Hoc etiam germani amoris valde evidens indicium est. Nam ceu familiares eius, et in eo solo laetantes spemque repositam habentes, misericordiam postulant.

PSALMUS XXXIII.

v. 1. **Davidi, cum immutavit vultum suum coram Abimelecho, a quo dimissus abiit.**

Titulus hic nulli e praecedentibus similis est. Nam neque canticum, neque psalmum scriptum hoc appellavit. Videtur itaque eucharistici hymni rationem habere Deo oblati, tamquam in persona quidem divi Davidis; sed neque ceteris inutilis, qui Dei beneficio tentationibus evaserint, eodemque adiutore gravissimas persecutorum insidias vitaverint. Quandonam vero vultum suum immutaverit, quis fuerit Abimelechus, et quomodo hic Davidem dimiserit, necesse est nos dicere ex sacris litteris contexentes
I. Reg. XXI. 1. historiam *. Persecutionem illo tempore patiebatur a Saule beatissimus David: palam
Gr. p. 237. autem se illi opponere nondum valens, quia nutibus eius obsequebatur cuncta vis militiae Israhelis, confugere decrevit ad Achim Gethaeorum, seu alienigenarum regem, consilio ad id Ionathae usus. Mox in itinere occurrit Abimelecho sacerdoti in oppido Nomba: quem quidem fugam suam celavit, missumque se dixit a rege, et Goliathi quoque gladium petiit. Neque se Davidem illum esse fassus est, qui manu divi prophetae Samuelis unctus in regem fuerat, sed ut gregarius quispiam panes ab eo postulavit: a quo responsum ei fuit, nullos esse praeter panes oblationis a mosaica lege imperatae. Quumque hos ipsos dari sibi beatus David posceret, sacerdos autem exquireret num forte famuli contaminati essent; respondit, a feminis abstinuisse iam triduo qui cum eo erant in itinere omnes. Acceptos igitur panes comedit. Ergo quum aliud dixerit, aliud in mente habuerit, immutasse eum vultum nonnulli interpretes dicunt. Deinde ad Gethaeos profectus, timens illic hostium insidias, insaniam simulavit; quo etiam tempore, uti scriptum est, salivam demittebat in barbam, et portabatur gradiens ceu mente captus et furens. Atque hoc pacto saluti suae consuluit. Huius diserte históriae meminit titulus. Sciendum autem, dominum quoque nostrum Iesum Christum dixisse Pharisaeis nonnullis discipulos accusantibus quod spicas confricantes manducarent in sabbato: nonne nostis quid fecerit David quando esuriit ipse et comites eius? quomodo sit ingressus aedem Dei, panesque oblationis comederit,
* Matth. XII 3. quibus vesci non licebat nisi solis sacerdotibus *? Ergo salutem adeptus divus David, et ex omni bello incolumis, gratiarum actionem recitat dicens:

v. 2. **In Domino laudabitur anima mea.**

Nemo qui carnis legibus vivit, sed si quis potius spiritalium rerum vitaeque honestissimae genuinus amator est, dicet: in Domino (1) laudabitur anima mea. Nam qui animales terrenosque affectus habent, ii gloriam in ignominia sua habent. Porro nequaquam opus a volente homine, sed a gratia dirigente perficitur.

v. 3. **Audiant mansueti, et laetentur.**
Gr. p. 238.

Gaudeant mansueti utilibus animae sermonibus, et delectentur illis. Nam qui sa-

(1) Cod. reapse τῷ κυρίῳ, sed videtur corrigendum ἐν τῷ κυρίῳ.

piente corde sunt, sapientia verba libenter audiunt, sententiasque ad bonum impellentes absque ulla cunctatione (1) recipiunt.

Magnificate Dominum mecum. v. 4.

Quoniam una mens, et unius hominis meditatio, ne tantillum quidem valet ad magnalium Dei comprehensionem, cunctos simul mansuetos ad huius rei agendae communionem assumit.

Accedite ad eum, et illuminamini. v. 6.

Qui aliquid volunt de divina supremaque natura dicere, nihil abiectum aut humanis rebus consentaneum, vel genitae factaeque naturae quomodolibet simile, cogitant de illa vel dicunt, sed quaecumque potius sublimia sunt, et alii nemini communia. – Quaeritur Deus non localiter, quoniam haud loco divina natura continetur, sed extra omnem circumscriptionem omnia implet: devotione autem quaeritur, et sana cultus ratione: invenitur enim virtutis exercitio, et dogmatis rectitudine, ab eo qui iudicium iustitiamque exsequitur. – Quamdiu aliquis pravis moribus utitur, et coeno carnalium cupiditatum retinetur, nondum ad Deum accedit, sed ab eo potius recedit. Mox ubi fit servus Dei, et rectitudinem optat, et omnigena virtute imbutam mentem prae se fert, tunc demum Deo appropinquat. – Sedentes in tenebris et umbra mortis hortatur accedere ad Dominum, et ad eius divinitatis radios, ut ob hanc propinquitatem, gratia illuminationum ipsius illustrati resipiscant.

Dominus exaudivit eum. v. 7.

Si quis est modestus, huic Deus aurem suam patefacit, et libenter admodum petitionibus eiusdem annuit, donec eum adversitatibus cunctis expediat.

Castrametatur angelus Domini etc. v. 8.

Sanctis tentatis apponit Deus angelos (2) qui acuant ad fortitudinem, quique violentas ab eis incursiones arcere queant. Sola enim mens hominis tanto inimicorum incursui resistere nequit.

Beatus vir qui sperat in eo! v. 9. *Gr. p.* 239.

Quid enim copiosius est bonitate et caritate eius, qui omnia largitur diligentibus eum? Certe qui in eo spem suam collocaverit, beatissimus quaquaversus erit. Etenim melius est sperare a Domino, inquit scriptura *, quam a principibus a quibus non est salus. Putris enimvero et fragilis spes est quae collocatur in homine; tuta vero et omnimode stabilis quae in universali Deo. * Ps. CXVII. 9. et CXLV. 2.

Timete Dominum omnes sancti eius. v. 10.

Sanctis iam et bona mente praeditis, et universalem Deum agnoscentibus, recte inclamat: timete Dominum omnes sancti eius. Sed fortasse dicet aliquis: cur vero, oro te, iam sanctificatis dicit: timete Dominum? Num enim fieri potest ut quipiam sancti sint, qui timorem Dei nondum habeant? Quid ni hoc stulte dicatur? Namque homines antea timent, postea sancti fiunt. Certe rerum ordo hanc habet necessario rationem. Quid ergo nos dicemus? Verbum timete, hoc loco ponitur pro admiramini, id est stupete. Prorsus uti propheta Abbacumus Servatoris nostri res in incarnatione gestas admirans, Domine, inquit, audivi auditionem tuam et timui: consideravi opera tua, et obstupui *. * Abac. III. 1.

(1) In cod. μεληισμοῦ, quod ob iotacismum visum erat legendum esse μελισμοῦ. Nunc malo emendare μελλησμοῦ.

(2) Observa testimonium de spiritali hominum custodia angelis a Deo commissa, qui opem in tentationibus praesertim ferunt, quibus solius naturae vigore posse nos resistere, negat Cyrillus.

v. 11. **Divites eguerunt et esurierunt.**

Labuntur aliquando res humanae, et insperatas habent mutationes, ita ut heri dives, mox in extremam inopiam decidat; et qui luxuriabatur, exiguo pane careat. Nihil enim firmum in rebus humanis est.

v. 12. **Venite filii, audite me.**

Eruditionem gentium adgreditur, cuius primum ait esse caput timorem Dei; secundum, fratribus non obtrectare; tertium, quemvis dolum labiis suis ablegare; quartum, omni malo abstinere, et cuivis bono studere; et super haec omnia, pacem sectari; pax autem Christus est. Rerum harum studium, vitam appellat et dies bonos (1).

v. 13. **Quis est homo qui vult vitam?**

Quis est homo? nempe quis est rationalis et prudens, qui quidem velit mansuram infinitis saeculis vitam lucrari, longaque et sine fine felicitate frui? Accedat hic ad audiendos sermones meos, explicet legis volumen, salutarem doctrinam ediscat. Parata sunt regularis vitae amatoribus, quae nec oculus vidit, nec auris andivit, neque in cor hominis ascenderunt. Modo is opera faciat, qui eruditus fuit. Nam qui, cum didicerit, mox nihil bonae frugis agit, similis est ineptae et uliginosae terrae, quae semina quidem ab agricolis recipit, nihil tamen omnino parit. Secus vero, sermonum auditor, et factor operum, fructuosae fecundissimaeque terrae merito comparabitur. – Quis est homo caelesti indole praeditus et cordatus, qui vitam optat, non sane communem hanc, quam etiam bruta animalia appetunt, sed veram vitam quam mors non amputat? Est autem vera vita Christus; quo fit ut nostra quoque in ipso conversatio, vera sit vita.

(Gr. p. 240.)

v. 14. **Prohibe linguam tuam a malo.**

Fores imponere linguae, neque sinere ut sermones indecori a nobis procedant, id demum recte factum, bonusque fructus sapientis et sanctae animae est. – Oportet apprime vitare maledicta, periuria, mussitationes, obtrectationes, convicia, turpes vanosve sermones, scurrilitates: benedicere potius non maledicere, linguam divinae hymnodiae attemperare, veraciter cum proximo loqui, labia a dolo cohibere. Dolus autem sunt mendacium, fraus, calumnia, criminationes quae veritate carent.

v. 15. **Declina a malo, et fac bonum.**

Quoniam inchoatio boni est, recessus a malo; contingit aliquando, ut aliquis male quidem non agat, necdum tamen bene.

v. 16. **Oculi Domini super iustos, et aures eius in preces eorum.**

Inspicit iustos Dominus, et superna observatione dignatur eos qui suam conformant cum ipso voluntatem. Aurem quoque ad preces eorum reserat. Simul autem vultum convertit ad nequitiae operatores, non ut aspectu suo illis prosit, quod de iustis diximus, sed ut deleat de terra memoriam ipsorum; de terra, inquam, non hac pedibus nostris supposita, sed illa potius de qua dixit Servator *: beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Non enim gradibilis iniquis est superna civitas, neque sanctorum sors attribuetur cuiquam qui peccato sit deditus: nulla quippe participatio fideli cum infideli, sicuti scriptum est *. Spectat itaque, inquit, iustos Dominus hilari oculo, veluti filiorum amans pater, cavens ubique ne in diaboli offendicula incurrant, id est ne capiantur laqueis illius: sed ut potius gratia sua vegetati, totum virtutis cursum absque labore conficiant. Vertit autem vultum etiam ad improbos, torvum sae-

(* Matth. V. 3. — Gr. p. 241. — * II. Cor. VI. 15.)

(1) Locum hunc alii dant Athanasio; repugnante codice optimo, olim Reginae svecae, nunc vaticano, ubi Cyrilli nomen inscribitur.

vumque defigens oculum et veluti ipsis comminans, quod non nondum, id est statim, extremas dederint poenas.

Ex omnibus tribulationibus eripuit eos. v. 18.

Non ex una sed ex qualibet ipsorum pressura eripuit eos. Facit enim ad bene agendum perquam alacres, et laborum perferendorum cupidos.

Prope est Dominus. v. 19.

Vult hoc loco demonstrare, haud abesse a sanctis Deum, sed cum eis semper versari. Sum enim, ait, Deus appropinquans *. * Hier. XXIII. 23.

Multae tribulationes iustorum. v. 20.

Semper nequitiae auctores dentibus frendent adversus evangelicae sectatores vitae, ferinoque ritu saeviunt. Hortatur etiam Satanas ut pressuras sanctorum cumulent; ex quibus tamen eripiet hos Dominus.

Custodit Dominus omnia ossa eorum. v. 21.

Ossa dicit pro animae viribus ad omne bonum praeclarumque opus. Nam sicut absque materialibus ossibus humanum corpus consistere nequit, ita ne anima quidem viri boni quicquam aget, nisi facultates suas validas habeat, et nullatenus luxatas. – Namque in peccati voluptatisque amatoribus, et huius vitae tumultu implicatis et fractis, quî fieri potest ut animae ossa iam subsistant? Ossa vero sanctorum custodit Dominus ut nihil ex iis confringatur, sive dum malos diaboli insultus patiuntur, sive *Gr. p.* 242. dum scelesti homines perturbationes illis et angustias persecutionesque suscitant. Vae enim, aiebat Servator, mundo a scandalis! quae tamen evenire necesse est.

Et non delinquent omnes qui sperant in eo. v. 23.

Numquam omnino peccare, nemini mortalium eveniet: in multis enim offendimus omnes, et a sorde nemo mundus est, ne si uno quidem die in terra vixerit. Laus haec uni omnium servatori Christo reservata fuit, qui Deus erat in specie nostra. Verumtamen nos quoque absque peccato futuri sumus, modo gravia et intolerabilia atque ad mortem deducentia peccata vitemus. Etenim non omne peccatum mortem adfert (1).

PSALMUS XXXIV.

Expugna impugnantes me. v. 1.

Animadverte quomodo illum oppugnant, et ne sit Deus ac Dei filius, quantum in ipsis est, prohibent. Praeterea illum maximorum miraculorum operatorem videntes, traducere audebant, quasi ope Beelzebuli daemonia eiiceret. Et neque ipsi volebant credere, et alios simul impediebant. Aiebat itaque Christus *: vobis quoque * Luc. XI. 52. legis peritis vae! qui scientiae clavim sustulistis, et neque vos ingredimini, neque alios ingredi sinitis. Illi vero turbis de eo dicebant *: daemonium habet, et furit; cur ei * Ioh. X. 20. auscultatis?

Confundantur et revereantur, qui quaerunt animam meam. v. 4.

Postquam adeo acerbum, et quantum in ipsis fuit, inevitabilem Servatori laqueum tetenderunt, pudore ignominiaque perfusi sunt, cum eversa, utpote Deus, mortis potentia templum suum excitavit. Revixit enim a mortuis, atque ad Deum patrem suum in caelos conscendit. Tunc enimvero confusi sunt et pudefacti, ut dixi, ac retro etiam cesserunt.

(1) Peccatorum venialium distinctionem a mortalibus habemus apud tridentinam synodum sess. VI. Namque omnia peccata esse aequalia paradoxum fuit Stoicorum, quod Cicero in philosophicis suis exponit.

v. 4. **Convertantur retrorsum.**

Quandoquidem fidem non admiserunt, immo contra exquisiverunt animam eius,
Gr. p. 243. conversi sunt retrorsum: reiecti enim fuerunt, et execrabiles Dei gratia exciderunt, nullum ex Servatoris adventu bonum perceperunt, praetereaque omne atrocis cala-
* Abd. 15. mitatis genus experti sunt. Peractum est, quod de ipsis scriptum fuerat *: sicut egisti,
* Is. III. 11. ita erit retributio tua quae in caput tuum recidet. Et rursus *: vae impio! malum ei secundum opera manuum eius eveniet. Nam quae Iudaeis mala perpeti contigit, scientibus supervacaneum puto narrare. Confundi autem et pudefieri accidit, immo et retrorsum converti impuris spiritibus, atque in primis Satanae, cuius ducatum sequentes Iudaei cruci tradiderunt vitae auctorem. Dicet, ut reor, aliquis haud proposito aberrans, haereticis maxime praesentium versiculorum sententiam congruere (1).

v. 5. **Et angelus Domini opprimens eos.**

Quodque gravius est, angelo in ipsos irruente, et omne calamitatis genus cumulante, extrema mala patientur. Sic interfectos dicimus Aegyptiorum primogenitos; sic Assyriorum centum octoginta quinque milia, cum Rhapsaces absurdas illas voces inclamavit, et adversus divinam maiestatem impia audacia locutus est. Processit enim,
* Is. XXXVII. 36. inquit, angelus Domini, interfecitque in castris alienigenarum milia CLXXXV. *

v. 6. **Fiat via illorum tenebrae.**

Comperiemus saepissime dominum nostrum Iesum Christum in evangelicis praedicationibus, adventus sui, nempe in hunc mundum, utilitatem palam nunciantem at-
* Ioh. XII. 46. que dicentem *: ego lux in hunc mundum veni. Discredentes ergo Iudaei veritati, et suae mentis oculo conniventes, manserunt in tenebris. Atque hoc nobis propheticus
* Is. LIX. 9. olim inclamaverat sermo *: sustinentibus ipsis, inquit, lux conversa in tenebras est; expectantes solis radium, in crepusculo ambulaverunt. Sustinentibus autem dixit pro expectantibus.

v. 6. **Et angelus Domini persequens eos.**

Cespitantes igitur in tenebris ambulant, angelo quoque Domini eos insectante.
Gr. p. 244. Neque enim favent iis, ut dixi, intellectuales sanctae potestates, sed adversantur potius ceu Christo invisis, et ab eius familiaritate repulsis.

v. 7. **Quia gratis absconderunt mihi interitum laquei sui.**

Quum nihil dare crimini possent, in tantam animi nequitiam, ferociam, impiumque ausum venerunt, ut exitiosae mortis laqueum ei tetenderint; ceteroquin dicenti:
* Ioh. VIII. 46. quis ex vobis arguet me de peccato *? Si veritatem dico vobis, cur mihi vos non creditis? Iamvero ubi culpam comperire non datur, ibi sine dubio persecutorum odium est inexcusabile. Nullo fundamento aut basi, id est causa, caedis amor innititur.

v. 7. **Sine causa conviciati sunt animae meae.**

Nonne enim gratis, nonne absque causa animae eius conviciabantur, modo eum samaritanum, modo vini potatorem adfirmantes, modo etiam daemone obsessum, plebis seductorem, immo et Beelzebuli virtute patrantem miracula? Ergo vere frustra et sine causa turbas agebant Iudaei, et Christo conviciabantur, obloquentes Deo iniu-
* Ps LXXIV. 6. ste, cornuque extollentes, ut psalmista loquitur *.

v. 8 **Et captio quam absconderunt apprehendat eos.**

Captio quam Christo latenter paraverant, comprehendit eos, et in proprium laqueum incurrerunt. Capti enim fuerunt, ut dixi, et ultoribus traditi, atque in divinae

(1) Nempe infelicem haereticorum exitum memorat Cyrillus etiam in sermone suo de S. Deipara quem nos ex vaticano codice edidimus.

irae rete inciderunt. Ut enim ait proverbiorum auctor *, non inique (1) tenduntur avibus retia. Namque ipsi homicidae, mala sibi parant, finis autem virorum iniquorum calamitosus. Denuo scriptura *: qui volvit lapidem, ab eo revoluto opprimitur. * Prov. I. 17. * Prov. XXVI. 27.

Anima mea exultabit Domino. v. 9.

Oportet eorum meminisse verborum quae sub initiis psalmi feci. Dixi enim, Christi personam introduci increpantem Iudaeorum impietatem (2), neque iniquitati illi convenientia verba detrectantem, et humano magis quam divino more loquentem saepissime propter adsumptae carnis mysterium. Ecce enim et heic in salutari patris laetari se ait, ut ab eo nimirum servatus. Quin adeo apostolos quoque, qui et spectatores et ministri verbi fuere, sacraeque doctrinae genuini conservatores, hos inquam comperiemus dicere, ipsum a Deo patre fuisse suscitatum, gloriamque et dominatum accepisse, subiectis eidem inimicis suis. *Gr. p.* 245.

Omnia ossa mea dicent etc. v. 10.

Quum aliquid humano more Christus dixerit, id nos ad utilitatem nostram trahimus. Quid porro ait? omnia ossa mea dicent, Domine, Domine, quis similis tibi? Quod perinde est ac si diceret: omni conatu ac viribus, et intimo medullarum vigore confitebor. Nempe incomparabilem bonitatem et erga homines caritatem universali domino regique adscribit.

Eripiens inopem de manu fortiorum. v. 10.

Generalis sermo est, et verus usquequaque. Nam pauperem spiritu, modestaque mente praeditum, atque in Deo omnem spem reponentem, urgent atque diripiunt, saevorum barbarorum more invadentes, viri flagitiosi, diabolicorum consiliorum ministri, et daemoniaco furore pleni: quibus sociatur crudelissima quoque impurorum spirituum multitudo. Dentibus enim infrendent adversus boni propositi homines, qui divinis docilem cervicem supponunt legibus. Ceterum, non quem ipsi volunt, negotium finem sortitur: servat enim iustos omnipotens Dei Verbum.

Insurgentes in me testes iniqui, quae ignorabam, interrogabant me. v. 11.

Heic manifeste iudaicam impietatem memorat Christus, et iniuriarum quibus adversus se debacchati sunt, facit catalogum. Calumniati sunt ipsum coram Pilato adductum Iudaeorum principes. Nonnullos etiam advocarunt falso testantes: hic dixit posse se templum Dei dissolvere, et tribus diebus restituere. Tum ipsi causam rogati quamobrem postulantes clamarent, tolle tolle, crucifige eum; mentiti sunt dicentes: hic vetat tributa Caesari pendere, et turbas commovet. Immo et ante crucis supplicium calumniati eum varie fuerant: nam subditis sibi turbis aiebant: si hic homo esset a Deo, sabbatum non violaret. Affirmabant etiam eum esse daemoniacum, et furere, cibi vinique appetentem, denique vi Beelzebuli patrare miracula. *Gr. p.* 246.

Retribuebant sterilitatem animae meae. v. 12.

Mos est divinae scripturae filios nominare, ob disciplinae meritum, magistrorum discipulos. Et quidem divus Paulus quibusdam scribens aiebat *: nam in Christo per evangelium ego vos genui. Galatis autem *: filioli, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus. Nominabantur filii quoque prophetarum ii, qui affectu et disciplina illorum lateri adhaerebant. Nam quod fieri quemquam Christi discipulum prohiberent iudaici populi principes, facile et hinc cognoscitur. Vociferabantur enim apud turbas, quod daemonio esset obsessus, et insaniret; cur eum auditis? Verbe- * I. Cor. IV. 15. * Gal. IV. 19.

(1) Ita est graece, et ita etiam latine ss. Hilarius, Hieronymus, et Paulinus, apud Sabaterium.
(2) Deest haec commentarii pars, qua psalmi argumentum exponebatur.

rabant etiam sanctos apostolos non semel in synedrio, crimini dantes Christi discipulatum.

v. 13. **Oratio mea in sinum meum convertetur.**

Oratio, inquit, mea in sinum meum convertetur, id est haud inefficax neque futilis fuit apud Deum, immo vero acceptabilis, et veluti in sinum meum coniecta. Solemus enim veluti sinu excipere quae nobis adferuntur dona. Quod autem sanctorum preces Deus admittat, quis dubitet? palam ipso dicente, modo quidem *: clama ad me, et ego te exaudiam; modo autem cuilibet oranti *: adhuc te loquente, dicam: ecce adsum. – Vel contrario sensu hoc dicitur a psalmista pro: orans reiecta recepi a Domino postulata, quibus sinum meum replevi. Id porro innuit, perseverasse illos in peccato: nihil enim impetrarunt, inquit, ob vesaniae excessum; oratione veluti in ipsorum sinum reflexa.

* Hier. XXXIII. 3. * Is. LVIII. 9. Gr. p. 450.

v. 15. Gr. p. 216. **Dissipati sunt, nec compuncti.**

Id est, rigida mansit et inexorabilis mens illorum. Verumtamen ego ignorabam. Quid vero ignorabam? Causam scilicet, ob quam flagella consumebantur, quin tamen ipsi compungerentur. Nihil enim, ut dixi, habentes quod crimini darent, Christo nihilominus irascebantur. Attamen is palam dixerat *: quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, cur mihi vos minime creditis? Itaque peccati, inquit, nullius conscius eram.

* Ioh. VIII. 46.

v. 16. Gr. p. 247. **Tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione.**

Qui evangelica scripta leget, hoc etiam ausos Iudaeos comperiet adversus vitae nostrae auctorem, nempe Christum. Sexcentas enim malas cumularunt ei tribulationes, ac persaepe accesserunt, magistrum quidem eum appellantes, sed decipulas laqueosque intendentes. Miserunt una cum propriis discipulis ad eum Herodianos dicentes: scimus te viam Domini cum sinceritate docere, neque tibi quemlibet curae esse; non enim faciem hominis revereris. Licet ne Caesari dare tributum, nec ne? Interdum legales quaestiones proponentes, et discendi voluntatem prae se ferentes, nitebantur aliquid venari ex ore eius, sicuti scriptum est. Sed responsum tunc retulerunt: cur me tentatis, hypocritae? Non enim fieri poterat ut eum laterent qui cor videt ac renes, et occulta novit. Quod vero illum etiam subsannaverint, haud aegre cognoscitur ex iis quae de eo scripta sunt. Namque universalis Servator ac dominus dixerat: amen, amen, dico vobis: qui sermonem meum audit, creditque ei qui me misit, habet vitam sempiternam; addiditque: neque mortem videbit in aeternum. At illi duri ac superbi, ob suum pingue ingenium, dictum non intelligentes adversati sunt dicentes *: Abraham mortuus est, prophetae item mortui sunt; tu vero ais: si quis sermonem meum audierit, non videbit mortem in aeternum. Quem te ipsum facis?

* Ioh. VIII. 52.

v. 17. **Restitue animam meam a malignitate eorum.**

Iudaeorum ubique memorata impietate, diuque de salutari passione psalmista locutus, necessario intulit, ob priorum intelligentiam, de resurrectione quoque illius a mortuis sermonem. Gratiâ enim Dei, pro omnibus mortem gustavit, uti scriptum est *; haud tamen mansit in morte captivus. Ergo etiamsi pater eum redintegrasse dicitur, attamen id ipsum per filium fecisse adfirmamus, qui sapientia Dei, et patris virtus est.

* Hebr. II. 9.

v. 17. **A leonibus unicam meam.**

Leones dicit aut malas et contrarias potentias, quae adversus Christum quodammodo irrugierunt, vel ipsos quoque fortasse Iudaeorum principes. Sic enim ipso-

rum meminit voce Hieremiae (1) dicens *: facta est hereditas mea mihi tamquam leo in saltu; edidit contra me vocem suam: ideo odi eam. Unicae quidem nomine animam suam designat, scribens unicam pro dilecta: semper enim summo amore diligitur unicus filius (2). * Hier. XII 8. Gr. p. 248.

Confitebor tibi in ecclesia magna, in populo gravi laudabo te. v. 18.

Ecclesiam heic magnam appellat illam quae ex ethnicis congregata fuit; idque admodum recte, ceu innumerabili florentem multitudine, populumque idcirco iudaicum superante. Magna et alioqui est, ceu in Christo habens iustificationem, et vitae evangelicae genere ad summam sanctitatem evecta. Excedit certe cultum legalem spiritalis, et umbras veritas: quo fit ut magnitudo tum quod ad numerum tum etiam quod ad virtutem adtinet intelligatur. Gravis autem populus appellatur, ceu qui a iudaica levitate recesserat, neque iam instabilis et omni vento rapiendus erat, sed potius solidus, et firmitatem in fide tenens: unde accidit ut usque ad cruentum agonem pro Christo iam antea martyrium passo decertaverint; scriptaeque admonitioni paruerint: usque ad mortem decerta pro veritate (3).

Non supergaudeant mihi qui me oderunt iniuste. v. 19.

Quodnam superfuisset Iudaeis gaudium de Christo, aut quam habuissent occasionem contra ipsum iactandi, si apud mortuos mansisset? Nempe si ipse aeque ac alii intra mortis portas captivus substitisset? Prorsus nullus de eo sermo iam esset, post exantlatam in cruce passionem.

Qui oderunt me gratis, et innuunt oculis. v. 19.

Sine causa Dominum insectabantur, quippe nullam ansam habentes adversus eum, ob quam liceret videri iratos eos qui oculis innuebant. Frequentantes enim, ut dixi, illum et magistrum appellantes, viamque Dei cum sinceritate docere dictitantes, ironice omnino inter se loquebantur, hypocrisim prae se ferentes, quasi defensionem, quod nihil viderentur verum dicere, dum eum magistrum nuncupari volebant.

Quoniam mihi pacifica loquebantur. v. 20.

Accedentes enim, ut dixi, omnium nostrum Servatori Pharisaei aliquot, et discendi studium simulantes, bona verba fingebant, ac blandissimis ipsum alloquebantur sermonibus; reapse tamen haud laudantes, sed ut eum illaquearent, et ex ore eius venarentur aliquid, uti scriptum est. Sed mox a Christo his verbis coarguebantur *: quid me tentatis, hypocritae? Gr. p. 249. * Matth. XXII. 18.

Vidisti, Domine, ne sileas. Domine, ne discedas a me. v. 22.

Petit a patre, ut contra illos, qui in se debacchati fuerant, ultio commoveatur. Ac propemodum adiurat dicens: vidisti Domine, ne sileas. Vult enim ne diutius ferat eos patienter Deus pater; sed ut consurgat quodammodo, omissaque longanimitate, poenas reposcat patratorum iniuste contra se facinorum. Attamen hoc dicit, non quasi interim nihil ipse operetur; nam pater potius neminem iudicat, sed omne iudicium filio commisit. – Dum autem ait, ne discedas a me, manifeste declarat, maximum esse salutis praesidium, si quis protectorem defensoremque habeat universalem Deum. Nam qui id consecuti fuerint, inimicis sine dubio suis fient superiores, et oppugnantium incursibus fortiter resistent, neque umquam illis succumbent.

(1) In codice, quem denuo inspexi, scribitur *Isaias* pro *Hieremia*. Equidem librarii id mendum credendum est. Ceteroqui recole dicta a nobis de pari mendo apud Cyrillum pag. gr. 37. adn. 1.

(2) Hunc locum retulerunt alii ad Athanasium; sed in vat. codice inscribitur nomen Cyrilli.

(3) Adhuc citatur Ecclesiastici auctoritas IV. 28.

v. 24. **Iudica me, Domine, secundum iustitiam tuam.**

Sanctum de filio protulit Deus iudicium: non enim sivit ut incessanter molestiam huic impii crearent, sed risum potius illorum extinxit. – Iustum veluti indicium postulat, patris aequitati convenientissimum, ut ne interfectoribus suis gaudio exultare concedat, neque de patiente laetari, praesertim sine fine.

v. 25. **Non dicant in cordibus suis: euge euge animae nostrae. Nec dicant: devoravimus eum.**

Idcirco extinxit Iudaeorum risum Deus pater, ne in cordibus suis dicerent: euge euge animae nostrae. Nam si in crucifixione ac morte Christus perseverasset, merito dixissent interfectores eius: euge euge animae nostrae. Itemque: devoravimus eum. Sed quia ipsi omni genere calamitatis obruti fuerunt, igne ferroque tota eorum regione vastata cum incolis suis; contra vero patiens Christus a Deo patre glorificatur
Gr. p. 250 dicente: postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae; atque insuper: sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum; post haec, inquam, concidit Iudaeorum supercilium, prostrata superbia fuit, neque ulterius de eo laetati sunt, neque dicere iam potuerunt: devoravimus eum.

v. 27. **Exultent et laetentur qui volunt iustitiam meam.**

Nihilominus harum sententiarum sensus quemlibet spectat, qui velit iustitiam illius, et cum eodem pacem fovere. Quibus etiam gaudium et laetitiam impertiri vult,
* Is. LI. 11. datam videlicet per ipsum a patre Deo. Scriptum est enim de omni iusto *: laus in capite eorum, et laetitia eosdem corripiet. Ceterum quaenam sit iustitia, de qua nunc loquitur, disquirendum superest. Sane illa per angelos dictata priscis hominibus lex, mediatore sapientissimo Moyse, magistra nobis iustitiae videbatur, non tamen satis
* Hebr. VIII. 7. perfectae. Quamobrem et divus Paulus *, non usquequaque inculpabilem ait ipsam fuisse, sed secundae typum, christianae scilicet, quae evangelicis mandatis continetur, et est perfectissima. Hanc itaque qui volunt iustitiam, exultent utique ac laetentur.

v. 27. **Qui volunt pacem servi eius.**

Siqui de stirpe Israhelis magni aestimarunt (1) pacem cum eo habere, hi desertis typis legisque umbris, ad veritatem transierunt, quae est iustitia. Hoc docet sacro-
* Gal. II 15. sanctus Paulus his verbis *: nos natura sumus iudaei, et non ex gentibus peccatores: cum tamen agnoverimus non iustificari hominem ex operibus legis, sed per fidem tantummodo Iesu Christi, nos quoque in Christum Iesum credidimus, ut in ipso iustificaremur. Quod si autem ethnica origine censebantur fortasse vocatorum nonnulli, hi nihilominus pacem optarunt cum domino nostro Iesu Christo, derelicto qui eos arcebat errore, sublata inimicitia, remotoque quod interiacebat obstaculo. Quibus sa-
* Rom. V. 1. pientissimus quoque Paulus ea verba inclamabat *: iustificati ergo ex fide. Iam quod servum se Christus nominat, nemo conturbetur; sed reputet, eum servi forma adsumpta, et habitu inventum hominem, semet ipsum humiliavisse.

v. 28. Gr. p. 251. **Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam.**

Videsis denuo ex his humanitatis speciem in Christo egregie efformatam. Nam quia tamquam unus ex nobis factus est, ideo convenientissime, servili se continens modulo humanam iustitiam perficere dicitur. Opus vero iustitiae nostrae est, curam gerere ut semper Deo decens ac debita laus tribuatur. – Dicitur etiam Christus, spi-

(1) In graeco textu legatur ποιοῖντο pro ποιοῦντο

ritalis instar victimae patri offerre, glorificandi causa, quotidie laudem suam. Atqui posteris Israhelis, siquando eucharisticum vellent offerre, praecipiebat legis umbra, boum aut ovium mactationes, aut turturum vel pullorum columbinorum oblationes, aut placentas et similam oleo perunctam. Sed enim in Christo perseverare typos non oportebat.

PSALMUS XXXV.

In finem, servo Domini Davidi. v. 1.

Quod hactenus diximus, ad historiam potius pertinet (1). Altiore autem sensu, criminatur psalmus iudaici populi superbiam, eiusque coarguit perversitatem: continet etiam iustorum iudiciorum laudem, quibus mundum Deus salvavit: praetereaque gratiae aguntur patri ob ea quae per filium largitus est beneficia: denique precibus sibi cavet psalmista, quominus in superbiam incidat (2). Iam dictio « in finem » quid significet, multoties iam dictum fuit, molestumque fortasse est crambem recoquere. Quod autem in titulo scribitur « servo Domini Davidi » id demonstrat decere quidem ut hoc canticum personae divi Davidis attribuatur, utpote qui sanctus fuerit, et mentis suae cervicem divino supposuerit iugo. Dixit enim de eo Samueli Deus *: inveni Davidem, Iessae filium, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Quod si quispiam alius erit Dei famulus, sanctumque vitae genus sectans, hic pariter huiusmodi ad Deum prece utetur. Namque huius precis tenor vituperationem continet illorum qui toto animo ad peccandum declinaverunt. Deinde Dei placiditatem dignis laudibus ornat psalmista, studiumque munificentiae eius apud eos excitat qui constanti more illi deserviunt, suamque eidem vitam consecrant. Tum circa finem, quid peccatoribus eventurum sit declarat. Ubique autem tum se tum lecturos omnes ad sanctam irreprehensibilemque vitam hortatur. Sic autem precem exorditur.

* Act. XIII 22.

Gr p. 252.

Dixit iniustus ut delinquat in semet ipso: non est timor Dei ante oculos eius. v. 2.

Hoc est, neminem existimat cogitationes ipsius videre. Simul ac peccare proposuit, procul oculis suis Dei timorem ablegat. Dicimus porro iniustum, qui divinis legibus omnino vale dixit, ita ut eas ne esse quidem vellet, et omnino proterve dissoluteque vivit, sine ulla resipiscentia ad inferi barathrum mortisque laqueum pergens. Huiuscemodi vitam agentium meminit alicubi sacra scriptura, ita de singulis loquens *: dicit autem Domino, recede a me, vias tuas cognoscere nolo. Hic caecutit, inquit, et prae mentis oculis timorem Dei non habet, a quo tamen ad bene agendum fervide impulsus fuisset, invictamque et insuperabilem ad honestam vitam sectandam accepisset alacritatem. Nam qui Dei timore carent, ii nullum genus iniquitatis recusant: quamquam id saepe pavore aliquo aut pudore circumstantibus prodere cohibentur.

* Iob. XXI. 14

Ut inveniat iniquitatem suam, et odio habeat. v. 3.

Si prae oculis, inquit, suis timorem Dei haberet, profecto iniquitatem suam com-

(1) Manifeste patet deesse heic Cyrilli partem illam commentarii, qua sensum huius psalmi historicum exposuerat. Quamnam vero in hoc psalmo, ceteroqui morali, historiam Cyrillus agnoverit, divinare fortasse licet ex aliis antiquis interpretibus, quos inter est Theodoretus, qui Saulis malitiam heic describi putaverunt, et clementiam Davidis, qui illi in castris dormienti pepercit.

(2) Hactenus nonnulli tribuerunt Athanasio fragmentum, contra tamen codicis vaticani auctoritatem, in quo etiam tantum prosequitur. Nescio enim quomodo in catenis duo hi alexandrini patres Athanasius atque Cyrillus ab amanuensibus interdum confusi fuerint; quos tamen accuratissime codices nostri vaticani discernunt. Certe ego nullam uspiam Cyrillo partem attribuo, nisi diserte Cyrilli nomen in codicibus gerat.

perisset, eamque odisset, ut omisso vitii curriculo, ad bene agendum converteretur, atque e malorum abysso ad bonae frugis vitam emergeret.

v. 4. **Noluit intelligere, ut bene ageret.**

Magnum adiicit crimini pondus, si quis ne discere quidem velit qua ratione bonus fieri bonorumque operum sectator queat: manifestumque indicium est, cum in infimam nequitiae foveam esse prolapsum, si ne summo quidem, ut ita dicam, digito sacras doctrinas attingere velit, a quibus cuique licet scientiam haurire, quae ad optimam vitam ducat. Rudis est ergo homo iniquus, et salutarium vitaliumque disciplinarum expers.

v. 4. Gr. p. 253. **Verba oris eius iniquitas et dolus.**

Haud utitur sapiente vel prudente lingua, quae fores seramque habeat; sed effrenis est, et perversos undique iactat sermones; nequitiaque redundat ac dolo; nequitia quidem, ut Iudaei, ob illatas Christo iniurias; dolo autem, quia ut illum illaquearent, blando cum sermone accedebant.

v. 5. **Iniquitatem meditatus est in cubili suo.**

Qui sacris morem gerunt legibus, et quae sanctos decent studiis gloriantur insistere; qui splendidam et omni censura carentem vitam degunt, hi demum convenientibus quoque laudibus communem Servatorem celebrant. Media, inquit, enim nocte exsurgebam ad confitendum tibi super iudicia iustitiae tuae *: nempe divinis operam dantes scripturis, spiritali omnimodo odore mentem suam replent, et omnes virtutum scrutantur vias, seduloque exquirunt quonam ipsi pacto fiant meliores, denique pietatem simul sanctisque splendidam exemplis vitam sectantur (1). Secus vero flagitiosi exlegesque homines quietis nocturnae tempus lustris consumunt, atque omni vitiorum genere cor suum commaculantes, illucescente demum ut ita dicam die, perversarum suarum voluntatum fructum referunt. Insistunt enim viae non bonae.

* Ps. CXVIII. 62.

v. 5. **Adstitit viae non bonae.**

In tantam venit mens eorum nequitiam, ut a peccato numquam abhorreant. Neque enim absurda quaevis aversantur, qui legem passim violare solent. Nam certe id non agerent, quod odio haberent.

v. 6. **Domine in caelo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes.**

Nonnulli his auditis verbis « veritas tua usque ad nubes » ansa hinc erroris arrepta, sublunaria omnia destitui Dei providentia pronunciaverunt; in quorum numero est Aristoteles (2). Alii vero sensus historici densitatem vitantes, ad tropologiae subtilitatem se attollunt, et caelos dicunt esse angelos, nubes prophetas, montes Dei intellectuales celsasque potentias, aut virtute in altum sublatos homines. Atqui in re praesenti haud idonee haec cogitantur. Non enim in solis sanctis angelis misericordia
Gr. p. 254. versatur Dei; neque rursus in solis sublimibus virtute hominibus iustitia Dei conspicitur; sed ad omnes homines divinae bonitatis gratia redundat. Porro dicit psalmista in caelo esse misericordiam Dei, eiusque usque ad nubes veritatem esse sublimatam, iustitiam insuper eius montibus comparandam, ut ex his nempe dictionibus, excel-

(1) Laus iterum sacrarum vigiliarum precumque nocturnarum.

(2) Hanc Aristotelis impiam opinionem refert Theodoretus in sermone de providentia sub initio: ὁ δὲ γε Νικομάχου μέχρι σελήνης ὑπείληφε τὸν Θεὸν πρυτανεύειν, τῶν δὲ μετὰ ταύτην ἁπάντων ἠμεληκέναι: *Nicomachi filius luna tenus putavit Dei providentiam res moderari; at ea quae infra lunam sunt, omnia negligere.* Contrarium tamen et insignem recitat Aristotelis locum Cicero de nat. D. II. 37. Operae vero pretium erit legere eumdem Ciceronem praedicto in libro cap. XXIX. et seqq. ab iis verbis: *proximum est ut doceam, deorum providentia mundum administrari* etc.

sitatem, sublimitatem, absolutamque eminentiam intelligamus. Quid enim excelsius montibus, nubibus, atque caelo? Loci autem sententia haec est: misericors, inquit, Deus, et verax, et iustus, non misereri tantummodo novit, verum etiam quatenus verax est, odit eos qui dolum mente fovent, et fraudibus sunt assueti. Quatenus vero aequitate pollet, quae altissimis montibus aemulatur, bonis quidem congruum gratiae munus conferet, perversis autem meritam poenam.

Homines et iumenta salvabis, Domine. v. 7.

Huic loco similis est alius Pauli, cum duorum populorum salutem exponere nobis voluit, qui appellationibus hominum ac iumentorum denotantur; hominum quidem, Iudaeorum ceu lege ad distinctionem boni malique eruditorum; iumentorum autem, irrationalium, ethnicorum. Nam mysterium a lege et prophetis Iudaei edocti, nihilominus exciderunt; ethnici autem, qui nil huiusmodi audierant, assumpti sunt. Ob eam rem David ait: iudicia tua, abyssus multa, id est incomprehensibilia prorsus et inscrutabilia. Namque ea curiosius scrutari velle, quae mentem excedunt hominis, periculosum noxiumque est. Quamobrem scriptum est *: altiora te ne quaesieris (1). * Eccli. III. 22.
Et rursus *: neque superflua sapias, ne forte obstupescas. – Dei summam placiditatem, et incomparabile bonitatis culmen vel hinc rursus cognoscere licet. Etenim benignitatem suam creatis omnibus a se rebus impertiri dignatur, neque hominibus tantum, sed etiam animalibus ratione carentibus. Nempe dixit alicubi * divo quoque Ionae: tu quidem cucurbitae compateris, cuius augendae causa molestiam nullam laboremve tulisti, quippe quae una nocte exorta est; ego vero Ninivae non parcam urbi magnae, quam plus centum viginti hominum milia incolunt, qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram suam, et iumenta multa? Quin etiam psalmistae lyra Deum admiratur, ceu qui foenum iumentis, et herbam servitio hominum facit exoriri *. Et quidem sabbati quoque dum legem conderet, causam edisserens ob quam nihil omnino operari liceret, ut requiescat, inquit, servus tuus, et ancilla tua, et subiugale tuum, et quodvis iumentum tuum *. Quod si forte praedictis adversari videatur Pauli vox dicentis: num de bobus cura est Deo *? respondemus, consentaneum fuisse, ut legis umbrae quae veritatem parturiebant cessarent; neque idcirco existimandum esse, omnium creatorem clementia carere.

* Eccle. VII. 17. * Ion. IV. 9. * Ps. CIII. 14. Gr. p. 255. * Exod. XXIII. 12. * I. Cor. IX. 9

Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus. v. 8.

Quo tempore Dei Verbum terrae incolis illuxit in hominum similitudine, et pro omnium salute mortem pertulit, in carne videlicet, tunc cumulata est misericordia Dei. Non enim solum iam Israhelem, veluti olim per Moysen, redemit, sed ad omnes homines salutis gratia manavit, sagenae instar attrahens per fidem ad veritatis naturalisque Dei cognitionem, Deoque patri per sanctificationem proximos faciens.

In tegmine alarum tuarum sperabunt. v. 8.

Ergo sub alis degimus, id est sub tegmine Christi, ita ut verba dicamus cantici canticorum *: umbram eius expetivi, et sedi. Quin et ipse Servator ait: ego uti iuniperus condensa (2) *. Versantur itaque sub alis eius [electi.] Cumulata denique misericordia fuit, iuxta dictas nuper rationes.

* Cant. II. 3. * Os. XIV. 8.

(1) Denuo Ecclesiastici auctoritas apud Cyrillum. Meditentur autem haec illi, qui humanae rationis viribus plus aequo nituntur. Saepe enim non in lucem sed in profundissimas errorum vel etiam incredulitatis tenebras incurrunt.

(2) Ita est in graeco, et sic quoque Nobilius in sixtina. Porro Cyrillus hunc Oseae locum de Christo intelligit etiam in commentario ad praedictum prophetam.

v. 10. **In lumine tuo videbimus lumen.**

Si lumen de patris lumine filius est, quandonam in patre lumen ipsius non fuit? Sicut enim lucere inseparabile est ab igne, sic a patre lumen ex ipso genitum.

v. 11. **Praetende misericordiam tuam scientibus te.**

Orat pro diligentibus Dominum, et qui adventum eius cognoverunt, quos in omni egregio opere versari par est, et divinis donis affluere. Ergo agnoscentibus Dominum praetendi misericordiam rogat: rectis autem corde iustitiam imprecatur, cuius causa id quo quisque dignus fuerit, attribuetur. Neque futurum est ut diversa ratione agantur secundi et primi, id est scientes et recti. Dei quippe notitiam subsequitur mentis
Gr. p. 256. rectitudo distortae nullatenus. — Qui notitiam tantummodo habent, id est fidem, misericordia iustificantur et salvi fiunt. Qui autem operum quoque rectitudinem habent, hi iustitiae idest sanctae sententiae recipiunt coronam.

v. 12. **Non veniat mihi pes superbiae.**

Extra passionem fieri petit. Quasi diceret: si tu praetendas misericordiam tuam mihi te agnoscenti, et iustitiam id est rectam animi sententiam optanti, numquam ad tam laevam mentem deflectam, ut turgere fastu et superbe incedere velim, et adeo lubricam viam terere. Ne porro me a proxima tibi statione dimoveat actio prava.

v. 12. **Et manus peccatoris ne concutiat me.**

Manus peccatoris, diabolica operatio est. Manus peccatoris, aviditas est. Manus peccatoris, munerum corruptionis causa datio et acceptio. Manus peccatoris, sacerdos est qui indignos altari admovet. Ab hac manu quominus concutiamur, id est subvertamur, nos quoque oremus. Oportet enim firmos et immobiles in iustitia, etiamsi alii peccent, frugi homines perseverare.

v. 13. **Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem.**

Ibi dixit pro huius rei causa, id est propter superbiam. Vel etiam pro ubi positum fuit, ut sententia sit: ne sim illic, ubi concussi cadunt, et post casum expelluntur, et expulsi iam redire non poterunt. Vel ibi significat in futura vita; veluti
Luc. XIII. 28. illud: ibi erit fletus *.

v. 13. **Expulsi sunt nec iam poterunt stare.**

Oportet itaque eos qui ad Deum accedunt, bonae rei petitionem facere, deprecari etiam animae infirmitates, et ne in diabolicam manum incidant, quae illos etiam concutit qui stare videntur, siquando socordes inveniantur, quaeque illos consistere prohibet qui ob plurimam impietatem a Deo fuerunt repulsi. Id quod carnali Israheli contigit, postquam intolerabili audacia adversus omnium servatorem Christum debacchatus fuit.

Gr. p. 257.

PSALMUS XXXVI.

Psalmus Davidi.

Moralis est psalmus, salutaremque animae nostrae doctrinam continet, docens novum populum abstinentiam a malo, et studium recti; duplicique suasione utens, nempe et spe bonis proposita, et parata improbis poena. Accommodabitur autem Davidi tamquam rectitudinis amatoribus accinenti, eosque hortanti ut prompte ab illaudata vita recedant. Opportune autem id agit; namque in praecedente psalmo plurima fuit cuiusvis iniqui obiurgatio: in hoc autem admonitionem nobis praebet, quae et ab impiorum imitatione nos retrahat, et ad meliora perducat.

Ne improbos aemuleris, neque zelaveris inique agentes. v. 1.

Neque rursus imiteris aut beatos praedices huiusmodi homines, si prospere agentes videris; nam brevi florentes tempore, mox exarescunt; omnis enim caro foenum. Quid ergo invidendum habent, qui postquam breviter floruerint, cras in clibanum coniiciuntur, ut ait Servator *? Numquam ego dignam existimabo invidia apud eos, qui sancte vivere volunt, momentaneam improborum felicitatem: cogitare potius oportet, quem finem capiet susceptum ab his consilium improbe vivendi atque a Deo discrepandi. Ne igitur hos aemuleris, neque ad peccantium imitationem conciteris. Etiamsi deliciari nunc videantur, etiamsi impium bene rem gerere cernas, fuge pares mores, futurum spectans. Non enim in eodem semper statu erunt. Ideo addit:

* Matth. VI. 30

Quoniam sicut foenum velociter arescent. v. 2.

Hortatur fugere iniquitatem, cuius finem esse ait boni cuiuslibet amissionem. Quid autem tam facile flaccescit ut foenum agri, et oleris natura? Quippe haec brevi florida, ilico marcescunt. Sic alibi dicit de splendidis mundi rebus: fiant sicut foenum tectorum *: nam foenum in tectis natum quia radice caret infructuosum est, ideoque ad marcescendum proclivius. Non est ergo his invidendum, qui partim ad ignominiam proiiciuntur, partim igni traduntur, brevi cessante prosperitate, velut herbae aut olera, quae nullum praeter quam in herbescendo usum habent. Namque his humana felicitas, propter suam putrem caducamque naturam similis est; quam gehennae ignis expectat. Digna vero sanctis est aemulatio eorum, quos subsequetur perpetua Dei nutu gloria, egregiorum facinorum splendori par.

* Ps. CXXVIII. 6.

Gr. p. 258.

Spera in Domino, et fac bonitatem, et inhabita terram. v. 3.

Id est ama probitatem, opta sacrorum donorum adeptionem, stude iis quae sanctis sunt reservata atque in thesauro Dei reposita. – Vel vocabulum inhabita, pro inhabitabis posuit. Terram autem illam dicit mansuetis promissam, ad quam cum veneris, divitiis eius frueris. Divitiae autem terrae mansuetorum, sive civitatis supernae in caelis, divinorum donorum copiosa largitio est et quaquaversus absoluta. Fortasse autem habitaculo comparat brevem hanc vitam, eaque nos uti vult ceu tabernaculo hospitali, ita ut ei nos dominemur, non viceversa obnoxii simus, eoque ad utilitatem non ad voluptates utamur. Sic enim a bono pastore regemur. Quantum copiae inter homines est divinorum dogmatum, eo fruamur, ita ut dicere liceat: Dominus regit me, et nihil mihi deerit *.

* Ps. XXII. 1.

Delectare in Domino. v. 4.

Qui autem Christo delectantur, eiusque muneribus plenam mentem gerunt, bonas eius voluntates opere perficientes, limpidam patentemque Deo exhibent viam suam, id est vitae rationem.

Revela Domino viam tuam, et spera in eo etc. v. 5.

Sit, inquit, exploratum, te placita Deo via incedere: id est nudam atque explicitam Deo exhibe vitae tuae rationem. Quid porro ipse faciet? In futuro vicissim saeculo te illustrem et quodammodo undique conspicuum ostendet, latere haud sinens rectae vitae tuae pulchritudinem. Erit enim cunctis manifesta iustitia tua, lucis instar resplendens, lucis inquam meridianae; nam meridies nominatur diei pars mediana; teque luce eiusmodi dignum iudicabit.

Gr. p. 259.

Subditus esto Domino, et ora eum. v. 7.

Ipse quidem te luce dignum in futuro saeculo ostendet, tu vero interim illi subditus esto. Duo autem digna sanctis et egregia atque invicem cohaerentia proponit,

nempe Deo subiici, et ipsum orare: quod utrumque, tum sanctorum supplicationes, tum homines bonitatem sectari solitos decet. Nam Deo subesse, cuiuslibet mandati complementum est. Cedit enim Dei legibus, mollemque et docilem cervicem supponit is qui dominicis voluntatibus obtemperat, neque pervicaciae notam incurrere patitur. In oratione vero ad Deum, laudatio intelligitur, et harmonicis canticis mixtae preces, puritate interim operum intellectualis instar thymiamatis feliciter ad Deum ascendente. Subiectionem ergo heic dicit, abstinentiam a malo; nemo enim peccans, Deo subditum semet praebet.

v. 8. **Desine ab ira, et derelinque furorem.**

Utile hoc praeceptum, et Deo subditis convenientissimum. Oportet enim mites esse et bene compositos, atque imperturbata mente praeditos, et tranquillitatis quae patientiae fonte manat amantes, denique irae fluctibus minime abripi. Scriptum est
* Prov. XV. 1. * Prov. XI. 25. enim, irâ pessum dari etiam prudentes *. Rursusque: vir iracundus non est decorus *. Profecto passiones aliquot in multos minime cadunt, immo nonnulli aetate aut virtute progrediente eas abiiciunt; sed irae detestanda passio prudentiae quoque fama pollentes perturbat; neque hunc utique, alium secus; sed ausim prope dicere cunctos homines, excepto perfecto, si quis tamen inveniri perfectus potest.

v. 8. **Noli aemulari ut maligneris; maligni enim exterminabuntur.**

* Phil III. 1. Haec a Davide, paria Paulo, scribuntur, nempe *: eadem dicere, mihi quidem non est taediosum, vobis autem tutum. Non enim creatur studiosis satietas, si ipsorum saepe menti de argumento eodem sermones utiles obtrudantur. Id nunc etiam
Cr. p. 260. facit psalmista, sus deque sapientem hanc dignamque auditu versans sententiam; videlicet: noli aemulari, ut maligneris, ne funditus de terra pereas: nam maligni in saeculo exterminabuntur, nempe futuro. Exterminari autem, excidere a Deo est. Sane malignitas peculiare prae ceteris peccatum est; quo fit ut egregie scriptura alium dicat
* Ps. X. 15. peccatorem, alium malignum: veluti: contere brachium peccatoris et maligni *. Definiunt vero malignitatem non absurde nonnulli voluntariam malitiam: aliud enim est inscienter male aliquid agere ac paene victum, aliud vero id ipsum male agere velle: quae nimirum malignitas est, ob quam diabolus vulgo audit malignus.

v. 9. **Sustinentes autem Dominum, ipsi hereditabunt terram.**

Quia solemus plerumque ab improbitate abstinere, poenae timore ad meliora compulsi, ac Dei munerum spe ad bene moratam vitam perduci, ideo psalmista post demonstratum improborum exitiosum finem, addit fore ut qui Dominum sustinuerint, id est qui constanter atque patienter probatum vitae cursum tenuerint, terram hereditent; quae non utique pars huius telluris est, maledicto subiectae, quam dolens quotidie comedit qui eam excolit, sed illam possidebunt terram quae sanctis est praeparata. Horum enim est patrimonium pulchra sanctorum civitas sacra et caelestis. Illic enim angelorum choris intererunt, sine fine laudantes datorem huius sortis Deum, et ineffabilium donorum largitorem. Iam quemadmodum Servator, sapientia, verbum, pax, et iustitia dicitur, sic etiam expectatio. Scriptum est enim: et nunc quae est ex-
* Ps. XXXVIII 8. pectatio mea? nonne Dominus *? A quo contingit id omne haurire et accipere, quod apud scripturas dicitur Christus. Nam sicut eius participatione, iusti evadimus, sapientes, atque pacifici, ita eiusdem quoque participatione sustinemus. Quiesce itaque sustinens et expectans Deum, neque instantibus rebus perturberis.

v. 10. **Et adhuc pusillum, et non erit peccator.**

Brevi mox tempore, iam peccatorem subsistere non videbis: nam vitae finem

nanciscetur, simulque cum carne perdet haec quae possidere videbatur bona. Revera brevis admodum hominis aetas est, et vivendi in corpore tempus artatum. Igitur ne *Gr. p.* 261. ipse quidem, qui vita excesserit, locum suum videbit, namque omnino in infernum transibit, neque viventes ceteri locum eius deinceps scient. – Qui mundana sapiunt, et praesentis vitae tumultui mentem suam implicuerunt, laqueisque execrandae voluptatis sunt irretiti, semper fere oderunt eos qui castam probamque vitam sectantur, atque inimici loco habent virtutis cultorem.

Mansueti autem hereditabunt terram. v. 11.

Prudentissime David opponit impiorum poenis, sanctorum praemia. His enim acuit ipsos ad spiritalis studium fortitudinis, qua omne genus virtutis praestabunt. Ideo dicit: mansueti hereditabunt terram, supernam scilicet.

Et delectabuntur in multitudine pacis. v. 11.

Quinam sit hic pacis cumulus mansuetis promissae, operae pretium est cognoscere. Dicimus ergo, viventes adhuc et corporibus gravatos in hoc mundo sanctos, plurimum pati bellorum incursum, partim ob insitam infirmae carni legem peccati, quae spiritui semper repugnat: (haec quippe invicem adversantur: condelector enim, inquit, legi Dei secundum interiorem hominem; sed video aliam legem repugnantem legi mentis meae *:) partim vero principibus huius saeculi bella semper pugnasque * Rom. VII. 22. multiplicantibus: partim denique impiis haereticis adversantibus. Itaque quamdiu in hac vita versantur sancti, multos habent oppugnatores: cum autem ad paratam mansuetis terram pervenerint, pacis copia erit. Intellige vero pacis copiam, animae tranquillitatem, cum rerum quae vere existunt notitia.

Observabit peccator iustum, et stridebit super eum dentibus suis etc. v. 12

Docet his verbis psalmista, fore ut hominem iustum observet peccator: id est impium odio imbutum, tempus fortasse observaturum, quo insidiis capere iustum queat. Stridet certe dentibus semper in eum. Sed ridiculum Dominus eum ostendit: scit enim supremum eius diem venturum, quo morte irretitus evanescet. – Vel im- *Gr. p.* 262. piis fortasse grave est ac molestum quod a iustorum virtute condemnari videntur, ceu qui non aeque ac hi optimas partes secuti sunt. Dentibus vero stridere, haud plane de corporibus intelligas velim, sed vocis potius silentium, in corde autem clamorem mala (1) machinantem adversus iustum. Sed enim dum peccator iustis irascitur, Deus irridet ipsius insidias, probe sciens a se constitutum diem, quo aliis quidem aeternam vitam, aliis vero aeternam aeque poenam retribuet. Hoc de diabolo quoque dictum accipere commodum est. Ipse enim est peccator, dentibus contra sanctos infrendens, qui tamen risui patet; etenim a iustis victus illuditur: veniet autem dies, qua in paratum ipsi ignem mittetur.

Ut deiiciant pauperem et inopem. v. 14.

Propositum peccatoris est, non ut aliquem sibi iniurium ulciscatur, vel omnino quemlibet a quo laesus fuerit, iustasque belli inferendi causas obtulerit: sed ut pauperem inopemque prosternat, et recto corde praeditos interficiat. Pauperem vero inopemque dicit pro pio ac modesto, iactantia alieno, et corde humili. Huiusmodi hominem Servator quoque pauperem spiritu appellavit, dignumque regno caelorum censuit. Sane contra pauperes potissime sycophantae militant. Praetereaque adversus iustos, qui sincera lingua utuntur, iniqui homines, illorum iustitiae invidentes, calumniis ceu gladiis armari solent.

(1) In codice πονηρὰν, sed πονηρα videtur corrigendum.

v. 15 **Gladius eorum intret in corda ipsorum.**

Id passi, inquit, sunt maligni daemones, quod contra sanctos moliti fuerant. Sine dubio sanctis irascuntur peccatores, et invidiae contra ipsos arcum intendunt, et improbitatis suae gladium evaginant, nullum insidiarum genus praetermittentes, et omnibus impietatis viribus sanctas oppugnant animas. Quomodo autem propulsandi
Gr. p. 263. sint, iisque resistendum, hinc discemus. Arma nostra non sunt carnalia, et quamquam in carne versamur, non tamen carnaliter militamus. Sed neque peccatorum nequitiam imitabimur: neque ut ipsi, arcum nos quoque intendemus aut gladium evaginabimus: sed hostibus superiores evademus, et meliore consilio uti videbimur, si ad Deum confugiemus, et omnipotentis invictique opem implorabimus; dicemusque de frustra nos oppugnantibus: gladius eorum intret in corda ipsorum.

v. 16. **Melius est modicum iusto, quam multae peccatorum divitiae.**

Egregie et nunc sermonem subnectit. Invicem enim et tamquam ex adverso ponit iniustorum casus, et iustorum bonos successus, ubique virtutem fructuosam demonstrans, inutiles vero vanasque mundi curas et vitam execrandam. Profecto ditescit, inquit, interdum peccator, et terrenis deliciis spatiatur, fragilique gloria superbit, carnem saginans, nullaque re magis quam his terrenis gaudens. Secus vero pauper corde, et iustitiae amator, his omnibus vale dicens, piam modestamque paupertatem amat. Sed hoc illi melius est, quam divitiae peccatoris multae.

v. 17. **Quoniam brachia peccatorum conterentur; confirmat autem iustos Dominus.**

Inutiles immo perniciosas peccatoribus divitias accidere, iustorum vero frugalitatem utilem esse Deoque placentem, hinc cognoscitur. Nam fructus divitiarum hominis impii, contritio est, et omnium virium amissio; id enim significat, ut puto, brachiorum contritio. Frugalitatis autem fructus est, sustentari a Deo, qui revera iustos fulcit, stabilemque ipsis tribuit alacritatem; quo fit ut immobili felicitate utantur, quin valeat quispiam eos infirmare aut in contrariam fortunam transferre. Nam
* Is. XIV. 27. manum elevatam quis avertet? sicuti scriptum est *.

v. 18. **Novit Dominus vias immaculatorum.**

In scripturis sacris Dominus bona tantummodo agnoscit, mala ignorat, ceu cog-
Gr. p. 264. nitionis suae indigna. Ideo novit Dominus suos, novit vias immaculatorum, utpote honestas. Quamobrem « cognoscit » heic dictum est pro adprobat, in pretio habet, amat, seu respicere dignatur. Alioqui cui non sit exploratum, peccatorum quoque vias Deum cognoscere, nihilque clam eo esse? Ergo in his cognitio, necessitudinem quamdam et familiaritatem significat. Namque et nos invisis dicere saepe solemus, non novi te; non quod omnino eos ignoremus, sed quia ab amore nostro et convictu exclusos volumus. Novit ergo Deus sanctorum vias et actus, id est eos libenter aspicit; sunt enim boni, et omni laude ornati.

v. 19. **Non confundentur in tempore malo.**

Malum hoc loco appellat tempus persecutionum, et angustiarum seu tentationum. Sic enim alicubi sapientissimus etiam Paulus quibusdam scribit, modo quidem: quia
* Ad I. Cor. VII. 29? tempus malum est *; modo autem: redimentes tempus, quia mali dies sunt *. Cum
* Ephes. V. 16. ergo in malum tempus inciderint, inquit, non adficientur ignominia, id est in peccatum non decident, neque decentem ipsos ornatum amittent. Donabit enim illis omnium Deus optimae cuiusque rei matrem altricemque constantiam et patientiam. Vel fortasse intelligendum: hereditabunt promissiones homines iusti, et iudicii tempore non pudefient, cum alii ad vitam resurgent, alii ad ignominiam pudoremque aeternum.

Et in diebus famis saturabuntur. v. 19.

Id quoque intelligimus isthoc fere modo. Videtur hic sermo subobscure innuere, fore ut iusti pressurarum tempore supernae felicitatis consequantur latitudinem. Nam diebus famis satiari, eiusmodi quiddam significat. Verum si quis malit aliter versiculi sententiam interpretari, illud reputabit: nempe in sacris lectionibus comperiemus universalem Deum saepissime a peccati amatoribus semet avertere, et sacrarum doctrinarum famem illis immittere. Dictum igitur ab eo fuit intolerabiliter peccantibus Israhelitis *: ecce ego adducam famem in terram, non famem panis, neque aquae sitim, sed famem audiendi verbi dominici. Iniecta est igitur peccatoribus sacrarum doctrinarum fames, non tamen divinorum praeceptorum studiosis; nam deficientibus persecutionum tempore magistris, ipse Dominus spiritu suo credentes in ipsum enutriet.

* Amos VIII. 11.

Gr. p. 265.

Quia peccatores peribunt: inimici autem Domini simul ac honorificati fuerint et exaltati, deficientes sicut fumus deficient. v. 20.

Rursus opponit iustorum honoribus ea quae peccatoribus tempore suo eventura sunt ab ira divina; illa nimirum, ut arbitror quae ipsos in extremam calamitatem coniectura sunt. Nam etsi videntur aliquando prospere agere praesenti tempore, deliciantes videlicet, et omnium laudibus coronati, et mundanarum dignitatum potentia elati, nihilo tamen minus peribunt: etenim vitae illorum finis exitio ac perditione concluditur. Porro inimicos Domini eos quoque dicimus, qui illi quidem per fidem subiecti fuerant, sed tamen eidem contumacia sua restiterunt, praeceptisque eius continenter sunt adversati. Inimici item sunt cultores daemonum, et qui opera manuum suarum adorant, qui nempe creaturam pro creatore colunt. Praeterea haereseon inventores, quippe qui mendacium solent verorum dogmatum rectitudini opponere. Hi brevi florentes, et mox foeni instar marcescentes, in mortem incident, et culparum suarum poenas dabunt, inimicis Domini debitas, ac veluti fumus evanescent. Sunt autem ignis reliquiae fumus, deficientis nimirum et extincti, et in cineres favillamque desinentis. Fumo igitur comparantur, quia sicuti extincto igne fumus desinit, sic mortuis peccatoribus universa ipsorum gloria perit.

Mutuum accipit peccator, et non reddet; iustus autem miseretur et tribuit. v. 21.

Non reddit, inquit, peccator gratiam beneficiis Dei; nec si quis ei bene fecerit, melior fiet: neque ex his quae sibi acciderunt, misericordiae viam discit: neque demum illos a quibus adiutus fuit, remunerari studet: sed quicquid sibi datum fuerit, more furis praedam suam esse putat, nihilque praeter lucrum pensi habens, mutuantem sibi gloriatur molestiis adfligere. Sed enim iustus misericordiam retribuit, dominum suum imitans: et etiamsi nihil receperit, nihilominus est munificus, neque a liberalitate desistit. Imitatur enim patrem suum Deum, qui solem oriri facit supra pravos ac bonos, et supra iustos aeque atque iniustos pluit. – Singuli nos a Deo recipimus plurima et maxima beneficia, materialia haud minus quam spiritalia. Verumtamen qui peccatis est deditus, et voluptati sine freno indulget, suamque in mundanarum rerum colluviem mentem demergit, multis a Deo acceptis (1), nihil reddet, id est obedientiam non praestabit, iugo eius haud subiiciet cervicem, voluntati eiusdem morem non geret, virtutis fructum non germinabit, neque veluti usuram quamdam Deo pendet morum modestiam, neque dogmaticae doctrinae studiosus erit, sed durus infructuosusque manebit. Sed enim quamquam hic ita se habuerit, iustus tamen et bonus, id est Deus, misericordiam non contrahet, quominus illi gratiam suam

Gr. p. 266.

1) In graeco videtur dicendum πολλὰ παρὰ θεοῦ λαβών. Sed λαβὼν revera deest in codice.

* Rom. II 4. conferat, ut eidem postea dicendum sit *: an divitias bonitatis eius, ac patientiae, et
longanimitatis contemnis? et reliqua.

v. 22. **Quia benedicentes ei hereditabunt terram.**

* Gen. XII. 3. Similiter dictum fuit Abrahamo *: benedicentibus tibi benedicam, maledicentibus
tibi maledicam. Ergo, siquidem Deus est qui miseretur ac donat, utique qui eum ob
id glorificant, id est ei benedicunt, promissae sanctis terrae heredes fient, recipient-
que bonam et spatiosam terram, centri terminique nesciam. Summi autem exitii dis-
* Exod. XXIII. 22. crimen incurrimus, si iusto maledicamus. Ait enim iusto Dominus *: inimicus ero ini-
* Matth. XXV. 35. micis tuis, adversabor adversantibus tibi. Et sicuti ait *: qui hunc nutristi, memet
nutristi; ita consentaneum est dicere: qui huic convicium fecisti, mihi fecisti. Maledi-
cunt autem Deo, qui se ad extremum punitum iri ab eo ignorant, qui contra eius
maiestatem contumeliosas aliquando iactant voces; praeter quam quod ne ab aliis qui-
Gr. p. 267. dem ob accepta beneficia reddi eidem gratias sinunt. Christo itaque benedicunt gentes,
ideoque regnum obtinent; Iudaei contra blasphemi, funditus destruuntur et pereunt.

v. 23. **Et viam eius volet.**

Melius fortasse est intelligere, fore ut Deus viam hominis velit, id est lubentem faciat et acceptam. Sicut enim animo aversatur transgressorum vias, ita lubentes sibi reddit illas quas probae vitae homines terunt. Quod autem Deo placet, id procul dubio egregium et omni laude cumulatum est; neque enim Deus quicquam volet, nisi eiusmodi sit.

v. 24. **Quum ceciderit, non collidetur; quia Dominus supponit manum suam.**

Siquando, inquit, eveniat ut aliquantulum sublabatur iustus, non ideo damnum
patietur: sed tamquam strenuus luctator vi impulsus, et paululum cedens, statim se
recipiet. Cur? quia Deum fulcientem habet: id enim iustis semper Deus praestat, hu-
* Prov. XXIV. 16. manas pusillanimitates miserans. Nam septies, inquit, cadet iustus, et resurget *: at-
que opus est ut tamquam fluctibus enatare satagant, qui diabolicae interdum potentiae succubuerunt, brevique tempore iacuerunt. Non enim omne peccatum ad mortem est, sicuti scriptum est (1). Ergo si quid eiusmodi iustus patiatur, fultor adest Deus, salutiferam porrigens manum suam: qua certe non opitulante, mens omnis infirmabitur: sustentante vero ac benigne roborante, vigebit omnino quicquid infirmum fuerat, et omne naufragum enatabit.

v. 25. **Iunior fui, nunc vero iam senui, nec umquam iustum vidi derelictum.**

Fide dignus testis, tum quia Spiritu sancto instinctus et prophetiae munere ornatus, tum etiam quia diuturno tempore multo rerum usu tritus, quod accurate didicerat, suffragio suo apprime volens confirmare; ab adolescentia, inquit, mea; modo enim iam consenui; iustum non vidi derelictum.

v. 26. **Tota die miseretur et fenerat iustus.**

Aliter (2) etiam fenerat iustus ea quae morum praeceptis continentur, dum qui
mutuum acceperunt, fructum mutui opere suo reddunt. Sane fructum egregiae sortis
Gr. p. 268. hunc percipient a Deo, qui ei feneraverint, ut numquam ab eo deserantur, propterea quod humani fuerint ac liberales: neque semen ipsorum, id est vel carnales filii, vel ob disciplulatum aut artis caritatem ita appellati, necessaria vitae ullo tempore desiderabunt, sed divinae potius benedictionis compotes erunt.

(1) Recole p. lat. 153, et p. gr. 242, ubi in codice B, pro *sicuti scriptum est*, dicitur *iuxta sancti viri, an Spiritûs?) effatum*.

(2) Constat acephalum hoc esse fragmentum

Declina a malo et fac bonum, et inhabita in saeculum saeculi. v. 27.

Perfectae vitae rationem nos docet, evangelicis mandatis haud absonam. Nam prisca lex a malo quidem deterrebat, neque tamen alumnos suos ad perfectum bonum informabat, id est ad inculpatae vitae speciem. Quod perspicuum nobis erit, si Servatoris verba adtente consideraverimus. Sic enim aiebat, dum legali vitae fideles suos anteponeret: « dictum est antiquis, non occides *. » Hoc significat, declinare a malo: nam qui caedibus haud inhiat, non idcirco boni aliquid agit, sed peccato potius abstinet. Idem est: non adulterium facies, non peierabis, non falsum testimonium dices. Ubinam vero est fac bonum? nempe in eo dicto *: quicumque irascitur fratri suo sine causa, reus erit indicio. Item in illo: quicumque mulierem aspiciens, et cetera. Quum ergo, inquit, a malo declinaveris, et bonum feceris, tunc inhabitabis in saeculum saeculi, firmamque et immotam spem consequêris, sicut Isaias ait *: oculi tui aspicient Hierusalem, civitatem opulentam, tabernaculum quod everti non poterit.

* Matth. V. 21
* Matth. V. 22.
* Is. XXXIII. 20.

Quia Dominus amat iudicium, et sanctos suos non derelinquet. v. 28.

Iudicium pro iusta sententia dicit; secundum illud quod alibi simul canitur de lege aequum ius statuente: iudicium et iustitiam in Iacob tu fecisti *. Diligit itaque iustitiam Dominus, et huius adseclas incessabili gratia ornat, neque sanctos suos umquam destituet, nempe eos qui familiaritatem ipsius impetraverint, sed eosdem tuebitur. Quae verba satis significant, haud omnino in praesente vita tranquillum fore sanctorum chorum, immo certaminibus, laboribus, ac persecutionibus conflictatum iri, Satana suos satellites adversus illos concitante; ita ut ad sanguinem usque peccato resistere opus sit. Verum hi haud inulti manebunt; id enim denotant verba, non derelinquet sanctos suos; sed manum Deus oppugnatoribus ipsorum iniiciet. Iam in aeternum illos custoditum iri dicit, quia non momentanea erit gratia, neque ad definitum temporis spatium spei largitio a Deo bonis fiet, sed diuturna ac perennis erit, et ad saecula infinita pertingens, ac veluti cum ipsis saeculis decurrens.

* Ps. XCVIII. 4.
Gr p. 269.

Innocentes autem inulti non erunt, et iniquorum semen destruetur. v. 28.

Propositum psalmistae est, his quoque versiculis suadere, plurima esse sanctorum praemia, poenam vero et quicquid exitiosum est, peccatorum capiti imminere. Inulti non erunt, inquit, iusti; ruinae vero iniusti succumbent, funditusque interibunt, de regno trusi in gehennam, a regionibus lucis in tenebras exteriores. Utiliter vero psaltes et iustorum praemia, et peccatorum simul poenas proponit; ut malos timore supplicii a consuetis vitiis revocet, donorum vero desiderio ad vividiorem boni prosecutionem belle eos pertrahat qui recte vivere proposuerunt. Iam iniquorum semen, quod etiam destruendum praedicit, vel opera illorum intelligere oportet; nam quod seminaverit homo, scriptura inquit *, hoc et metet; vel eorumdem filios, carnales forsitan, vel quavis alia ratione ita appellatos, si patrissare forte voluerint, et avitae fieri pravitatis imitatores.

* Gal. VI. 8.

Iusti autem hereditabunt terram. v. 29.

Sed hi quidem mali male peribunt, iusti autem mansuetorum terram hereditabunt, cuius saepe meminimus, aeternumque in ipsa diversabuntur; id est stabile capient regnum, perpetuoque supernis fruentur bonis hi qui virtute sua iustificati fuerint, sempiternasque in caelis et numquam perituras obtinuerint hereditates.

Lingua eius (iusti) loquetur iudicium. v. 30. *Gr. p.* 270.

Iudicium esse dicimus vel de unaquaque re agenda rectam inreprehensibilemque doctrinam, quae ad officium eruditos a se homines recta ducit, id est Dei legem,

quae plerumque hoc sensu accipitur. Quamobrem de Deo atque Israhele scriptum
* Exod. XV. 25. est *: ibi constituit ei iustificationes et iudicium.

v. 31. **Lex Dei eius in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus eius.**

Haud procul fore significat rei gestae utilitatem, sed veluti praesentem demonstrat loquendi sapienter fructum, et iustitiam meditandi. Nam qui Dei legem familiarem sibi fecerit, ac mente veluti et corde repositam habuerit, hoc consequetur ut nullatenus subverti queat, immo vero et ad quodlibet opus bonum recta rapietur; ac nemine impediente aut tentante, regia rectaque perget via. Nam quemadmodum naves rectum indeclinatumque cursum tenent si bene clavo gubernentur; et equus apprime velox egregie decurret, si freno ad id dirigatur; sic etiam iusti anima, gubernaculi loco divinam habens legem, recta incedit, periculosos tranat fluctus, et praesentis vitae tempestatibus evadit. Data est enim subsidii causa lex. Quare et divus
* Ps. CXVIII. 92. David canit alicubi dicens Deo *: nisi lex tua meditatio mea fuisset, iamdiu perissem in humilitate mea. Laudandus igitur quisquis divinis sermonibus delectatur, Deique legem, ceu quamdam lucernam noctu lucentem, mente gerit. Quid autem hinc emolumenti erit? nempe ut gressus eius non supplantentur.

v. 32. **Considerat peccator iustum, et quaerit mortificare eum.**

Quod igitur piorum fortiumque operum studiosi amaram in hoc mundo nec invidiae non obnoxiam vitam degant, et magnopere invisam improbis, demonstrat egregie, observari dicens eos a peccatore, et ad mortem exquiri. Quisnam porro peccator heic intelligendus est? draco apostata, nequitiae omnis inventor ac parens: huic enim apprime talis congruit appellatio. Hic dentibus adversus sanctos infrendet, invidiaeque in eos igne exardescit, turbasque miscet ut eos morti tradat, qui Deo placere student.
Gr. p. 271. Insilit ergo ceu serpens, peccati venenum fundens, turpes insinuans voluptates, atque ad absurdas semper concitans cupiditates, ac veluti melle varios perungens nequitiae modos, ut plurimos capiat.

v. 33. **Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius etc.**

Sed Dominus, inquit, haud eum permittet manibus illius; quia effugio demonstrato, haud concidere sinit sanctorum mentem, oblato statim adiutore, qui diaboli nequitiae viam praecludat. Deo enim protegente, quis noceat? Recta quoque et incorrupta omnino feretur a Deo sententia, impuros pravosque damnans, cunctos vero dilectos suos periculo omni ac timore expediens, nempe qui sacram eius legem mente cordeque gerunt, et meditationis suae scopum iustitiam faciunt: non enim iustum damnabit, cum de eo iudicium exercebit.

v. 34. **Expecta Dominum, et custodi viam eius.**

Res optima patientia est, parit enim probationem, probatio autem spem, spes
* Ps. XXXIX. 1. autem non confundet. Canit igitur divus melodus *: expectans expectavi Dominum,
* Hebr. X. 36. et intendit mihi. Nec non alius vir sanctus *: patientia enim vobis, inquit, opus est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Comperiemus autem per universam a Deo inspiratam scripturam, ceu omnis boni conciliatricem celebrari patientiam. Iam verba « custodi viam Domini » divinis hominem dirigi legibus, ut reor, significant, ad inculpatam, singularem, miramque vitam instituendam, et quidem ita ut summa alacritate decurrat. Patientiae demum in bene agendo, et dignorum sanctis
* Is. XLVI. 10. sudorum, finis erit, a Deo extolli, terrenisque tentationibus superiorem fieri. Scriptum est enim *: quoniam fortes Dei (1) e terra valde sublimes fuisse elevati fuerunt.

(1) Id est *fortissimi*, ut fert notissimus hebraismus; vel *a Deo roborati*. Videsis infra in loco suo.

Pergens vero iustum consolari psalmista, tu quidem, inquit, tantopere elevaberis, ut supernam sublimique loco positam mansuetorum terram possideas. Exploratum est autem, non attolli aliquem, ut hanc pedibus subiectam terram obtineat, sed illam potius adeo excelsam, ut opus Deo sit ad eam possidendam extollente. Postremo impios, quique in te dentibus infrendent, intercisos conspicies: destruentur enim, idque oculis ipse intueberis.

Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani etc. v. 35. *Gr. p.* 272.

Cernens, inquit, malos homines prospere agentes, considerabam quomodo id adsecuti essent. Deinde dum hoc reputarem mecumque mirarer, volens denuo illos aspicere, oculos sustuli, ipsi autem nuspiam iam erant. Mox eorumdem monumentum aliquod deprehendere studens, ne locum quidem, ubi pridem consistere videbantur, reperire potui. Viden ut impiorum casus tantum non ob oculos omnium prostare dicit, nemine prorsus eos ignorante? Nam quod ipse singulariter dicit, id commune ceteris facit: non se unum vidisse ait, sed verbum « vidi » rem in omnium conspectu positam denotat. Aspexi ergo, inquit, impium cedrorum proceritates aemulantem, arboribusque altissimis parem, ob superbiam scilicet, inanemque tumorem, et mundanas gloriolas, ac ceteras vanitates. Verum is brevi tempore post, de medio recessit, atque in tantam venit miseriam, ut ne locus quidem eius superstes dignosceretur. Loci autem nomine memoriam designat.

Custodi innocentiam, specta aequitatem, quoniam sunt reliquiae homini pacifico. v. 37.

Et supplicium, inquit, impiorum, et reliquiae id est hereditas piorum, morum tibi simplicitatem suadeant: innocentiam enim heic simplicitatem intelligere oportet, quicum sinceram, integram, atque omni hypocrisi, et quasi duplicitate, alienam vitam transigimus; cuiusmodi erat divus Nathanahel, de quo Christus dixit *: ecce vere israhelita, in quo dolus non est. Alibi etiam sacrae litterae dicunt *, Iacobum fuisse hominem simplicem et domisedum. Ergo morum simplicitatem et malitiae inexperientiam, hanc dicimus esse innocentiam. Aequitatem vero nihil aliud esse existimabimus, quam in scientia divinorum dogmatum rectum tramitem ac nuspiam distortum: genuina enim ratione veritatis doctrina tradenda est. Vel etiam intelligere licet, in exercenda virtute nullam obliquitatem. Dictum est enim alicubi de peccatoribus *: quorum viae obliquae sunt, et flexuosae orbitae eorum. Serva igitur, inquit, innocentiam atque aequitatem. Quid inde porro? quoniam sunt reliquiae homini pacifico. Postquam enim perire funditus impium narravit, ut ne locus quidem eius reperiatur; reliquias his, qui Deum amare et innocentiam custodire decreverunt, conservatas ait. Huiusmodi vero hominem appellat pacificum, qui pacem cum Deo sanctisque hominibus fovet, qui rectus est et insons.

* Ioh. I. 47.
* Gen. XXV. 27.
* Prov. II. 15.
Gr. p. 273.

Iniqui autem destruentur in id ipsum. v. 38.

Destruentur, inquit, iniqui; atque ideo dictum puto, non inveniri locum ipsorum. Dictio autem « in id ipsum » ponitur pro ilico et statim, ut unum idemque videatur tempus et exaltationis eorum simulque in ruinam casûs: non enim longum intercurret tempus, quin immo id minimum ac breve erit. Simul enim elevatus fuit iniquus, et cecidit; visus est, seque subduxit; floruit, et emarcuit. Hoc inquam est, in id ipsum.

Salus autem iustorum a Domino. v. 39.

Liberat devotos sibi Deus, et telum saevitiae improborum futile reddit. Non enim sinit sanctos feriri, sed horum adversarii a scopo aberrant, et omnis ipsorum conatus in eorumdem caput reflectitur.

PSALMUS XXXVII.

v. 1 **Psalmus Davidi in rememorationem de sabbato.**

Hic quoque psalmus tamquam ex Davidis persona recitatur, maesti ac perturbati, propterea quod in peccatum cecidisset, observata haud sanctis oculis uxore Uriae, et huic deinde structis insidiis, et iniusta sententia neci obiecto: quam ob rem a Deo castigabatur, dum curis atque maeroribus cor eius tabesceret, atque hinc pae-
* Is. IV. 4. nitentiae laboribus culpam dilueret. Scriptum est enim *, fore ut abluat Dominus sor-
* Prov. III. 12. des filiorum filiarumque Sionis, in spiritu iudicii et in spiritu ardoris. Et rursus *: quem diligit Dominus, castigat; flagellatque omnem quem acceptum habet filium (1). Periit ergo Davidi filius Amnon; rebellavit Abessalomus, non regno tantum sed etiam vita pellere parentem volens. Haec recogitans David, et conscientiae morsibus vulneratus, cognoscens simul ab omnipotente Dei manu se oppugnari, preces offert, peccata confitetur, ac veluti animarum medico vulnera denudat, et medelam conse-
Gr. p. 274. qui rogat. Iamque canit hunc psalmum revocans sibi in mentem quam expertus erat infelicitatem, peccati sui causa: oratque pro se Deum ut sabbatismum, id est requiem a calamitatibus sibi concedat. Vel fortasse quia sabbato duplicem victimam inferri lex mandabat, offerebatur autem omnis victima a filiis Israhelis ob commemorationem, id est ut in Dei memoria maneret quicumque eam attulisset; propterea spiritu instinctus David, praevidensque fore ut per tempora umbra cessaret, vero subintrante per Christum cultu, pro imperato a lege sabbati sacrificio, hanc facit confessionem.

Congruet hoc canticum nobis quoque ipsis, sive cuivis homini conscientiam habenti vulneratam ob ea quae insane commisisse se novit adversus Dei legem (cuncti enim saepe labimur) petentique ab eo misericordiam, et paenitentiae lacrymam oculis exprimenti. Nisi enim res ita se haberet, cur in posterum, atque a nobis psalmus hic recitaretur? Quid enim ad nos adtineret alterius hominis confessio, siquidem ipsi soli, neminique alii, congrueret? Datur ergo facultas iis, qui sua crimina deflere volunt, recitandi Deo praesentem psalmum, seu confessionem, ceu sacrificium in sabbato, quod duplex fiebat, quodque Deo in memoriam revocabat offerentes illud. Sane sexti psalmi verba similitudinem quamdam cum huius verbis prae se ferunt. Sed tamen sexti titulus erat: « in finem, in hymnis, pro octava. » In praesente autem nihil eiusmodi est, sed is tantummodo « psalmus Davidi in rememorationem » inscribitur. Verum huius vocabuli additio amandare nos videtur ad rememorationem tituli sexto praepositi; ut hic quoque psalmus sit: in finem, in hymnis, pro octava. Videtur quidem mihi David varia multis in locis ratione peccatum a se commissum confessus, peculiariter autem praesentem psalmum memorialem esse voluisse, quem in ore semper haberet; atque hac cantilena usum fuisse ad animae suae curationem. Precem itaque ad Deum adfert, qua impendentem peccatoribus cunctis iram avertit, propitiumque sibi facit bonum Dominum his eximiae confessionis vocibus.

v. 2. Gr. p. 275. **Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.**

Veluti si quis medico, qui cautere, ferro, acerbisque antidotis ad ostensi sibi morbi remedium uti parat, dicat: ne igne mihi, quaeso, neque cautere aut incisione, sed mollibus mitibusque pharmacis medeare. Hic certe homo remedium non respuit, sed molestiam medicinarum. Admirari vero, ut puto, et quidem convenientissime

(1) Variat in secundo hoc hemistichio vulgatus lat. textus; sed itala vetus apud Sabaterium consonat cum graeco textu et cum Cyrillo.

oportet mansuetum in sanctis viris animi morem. Ili enim in lapsibus, quos forte patiuntur, quoniam omnem humanam non exuerunt infirmitatem, non admodum impatientes apparent, neque omnimodo se iniquitati tradunt, aut Dei correctionem fugientes recusant, sed petunt potius ut cum ira id eis non eveniat, neque acerbe arguantur, id est puniantur. Cunctis sane hominibus evenit, ut vel inviti (1) divinas aliquando leges violent. Sed enim eum casum reparat animarum medicus congruis interdum commotionibus. Scribit enim alicubi Salomon *: castiga filium tuum, sic enim bonam praebebit spem: tu quidem virga eum percuties, neque idcirco morietur, immo animam ipsius morte eripies. * Prov. XIX. 18.

Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi, et firmasti super me manum tuam. v. 3.

Infixas itaque sibi dicit Dei sagittas, manumque eius, ferientem scilicet, sibi graviter impositam, idque adsidue et incessanter: alia enim ex alia saepe accidit afflictio iis quos Deus castigat aut tentat; sicuti Iobo contigit, cui novi semper casus nuntiabantur, etsi is perstabat invictus. Quod si cui dictionem firmasti super me manum castigantem tuam, intelligere velit pro gravatus sum valde, et intolerabilem patior plagam, haud longe a probabili sententia aberrabit. Nam qui manum suam super aliquem firmat, pondus ei aegre ferendum imponit. Ne itaque dum furis, inquit, aut irasceris, me castiges. Cur? quia sagittae tuae infixae sunt mihi: etenim concepto furore iraque tua sagittae a te immissae, id est vindices potestates, valde me puniunt; ideoque peto, ne novam aliquam iram experiar.

Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae, non est pax ossibus meis. v. 4. Gr. p. 276.

Magis perspicuam facit narrationem impacti sibi a divinis sagittis vulneris, gravataeque manus super se: aitque nullum omnino excogitari posse medelae genus, quod aegritudini carnis suae sufficere queat, seu laborantibus ac propemodum luxatis ossibus. Nam quod ea pacem inter se habere negatur, demonstrat luxata esse ac veluti a naturali concordia recessisse. Certe in gravioribus malis nos quoque dicere solemus: luxata sunt ossa mea. Ergo prope insanabilem ait evenisse carni suae aegritudinem, curis confectae, acerbisque anxietatibus tabescenti; vel alio etiam modo, ieiunio videlicet, diuturnaque cibi abstinentia et vigiliis extenuatae. Denique proprios quoque necessarios, ossa nuncupare, minime absurdum est. Nam si invicem membra sumus, ac unum veluti corpus reputamur, quid prohibet, quominus ossium nomine appellemus eos qui privatim nobis familiarissimi aut opportunissimi sunt? ita ut intolerabiliores, quam hostile bellum sint necessariorum rebelliones, quos etiam tropice ossa nominari iam diximus.

Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum. v. 5.

Docent nos haec verba, ne mala nostra celare velimus, neque tamquam ulcus quoddam et saniem in animae recessibus retinere peccata, cauteriatam habentes conscientiam. Nam sicuti in febrientibus, dum interius gliscit febris, maiorem efficit morbum; verum ubi exterius prodierit, declinationis spem ostendit, ita et animae usuvenit. Atque huc referri sapientis (2) effatum indico *: ne erubescas confiteri peccata tua. Itemque *: iniquitates tuas prior ipse dicas, ut iustificeris. Namque est absurdissimum, coram medicorum quidem oculis non erubescere, sed iis secretos morbos revelare, quò gravius etiam doleamus, sed et incisionem aliquam pati ne passio ulterius progrediatur; nolle autem spirituum medico haerentes animae morbos osten- * Eccli IV. 26. * Is XLIII. 26.

(1) Ἀβουλήτως *invite* vel *inconsulto*. Recole dicta p. lat. 16. adn. 1, et alibi.
(2) Sapientis nomine vocat heic Cyrillus Sirachi filium seu Ecclesiasticum. Confer p. lat. 147. adn. 1.

dere. alioquin iam scienti etiamsi quispiam reticeat. Ergo supergressa sibi caput peccata dicit, supergrediendi vocabulo significans impositum sibi onus gravissimum. Id enim nobis proximus declarat versiculus, gravantia dicens ipsa, gravis ponderis instar: molestissimum quippe onus est mentis animique, peccati conscientia. Sed enim ab hoc malo aegros liberat Dominus dicens *: venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Sed et quiddam aliud sibi evenisse David narrat dicens: ut onus grave gravatae sunt iniquitates super me. Gravabant enim conscientiam eius facinora sua, adeo ut ferre ipsas nequiret, propter sui probi animi ingenuitatem. Nam qui pervicax durusque est, duritia sua iram sibi conciliat, dum proprias auget iniquitates: peccator enim quum in profundum malitiae venerit, contemnit. Probus autem homo, etsi semel diaboli interceptione peccaverit, graviter ob rei conscientiam cruciatur, adeo ut neque silere neque malum suum celare valeat. Ex abundantia igitur cordis os loquitur. Quamobrem tacendi impatiens, angustias suas pervulgat dicens: sicut onus grave gravatae sunt super me, nimirum iniquitates meae. Porro sic loqui nequeunt, qui suorum peccatorum vim non sentiunt. Immo nonnulli gaudent gloriantturque peccatis suis, eaque suaviter perferunt. Caput autem dicit pro rationali facultate. Iam quum nequitia, naturali motu ad infima tendat, ac tantopere gravis sit, ut plumbeo talento comparetur, solus nihilominus paenitens gravitatem eius sentit.

Gr. p. 277

* Matth. XI 28.

v. 6. **Male oleates putruerunt cicatrices meae.**

Plagarum vulnerumque reliquias dicere licet superstites in carne cicatrices, si a quopiam feriri contingat. Atqui nisi hae quoque sanentur, non parum dolent: dilatantur etiam quandoque in ulcerationes, et morbum redintegrant. Hoc idem hominum animabus usuvenire conspicitur. Ferit enim culpa, vulnerisque instar ingeritur malum, si certe opere perficiatur. Verum etiamsi contineat se aliquis a peccato, id est ab absurdae detestandaeque voluptatis usu, quamdiu illa cupidinis vi tenetur atque obsidetur, quamquam ea melioribus forte cogitationibus supprimatur, nihilominus vulnerum cicatrices habet (1): quae si diuturnae fiant, vertentur fortasse, ut dixi, in exulcerationes, prava demum consummata voluptate. Igitur qui in peccatis desident, iisque gaudent et delectantur, suibus pares sunt in luto se volutantibus. Contra vero qui semel lapsus, mox se receperit, suillamque vitam atque ut ita dicam sensum deposuerit, resumpto divino sensu, suorum peccatorum sentiens foetorem, malum illum actum ceu foetentem impurumque aversatur. Huiusmodi quid expertus David, postea ad sanum sensum reversus, confitetur dicens: quae insipienter patravi, putruerunt mihi, quamdiu illa non restauravi; veruntamen omnia mihi paenitenti integra fient. Quandoquidem igitur multiplicatae iniquitates meae in cumulum consurrexerunt, meumque caput supergressae sunt, et super me gravatae, maleque oluerunt putrueruntque, ideo ut medicinam mihi adhibeam;

Gr. p. 278.

v. 7. **Miser factus sum (*id est* miseriae meae sensu tangor) et curvatus usque in finem, tota die contristatus ingrediebar.**

Heic sapienter enumerat, quae cuivis homini a propria conscientia eveniunt, cum valde maeret peccatorum causa et actuum haud rectorum. Incidit enim cordi maeror, oneris instar, vultumque attollere nos non sinit, sed summam perpeti cogit infelicitatem, ut suffocari atque obrui videamur, atque ut semper tristi vultu simus vel

1 Recole dicta de peccatis cogitando conceptis vel inceptis p. lat. 137. adn. 1.

nolentes cogit; et quidem perpetuo, id est ad extremam usque passionem; donec Deus misereatur, maloque eripiat, venia indulta, nostraque mente erecta, ut abiecta tristitia, receptaque fiducia, peccati incursibus strenue resistamus, quod hactenus miseros esse cogebat, curvosque incedere, contractumque gerere supercilium. Nam si cor, scriptura inquit *, laetum fuerit, vultus hilarescit, qui contra in tristitia concidit. Oblectat sane optimos quosque conscientia, testans illis morum splendidam puramque honestatem, et laudatissimum vitae genus. Affligit vero non parum, tristemque illorum efficit vultum quorum lapsus accusat, acerbisque reprehensionibus mentem vulnerat. * Prov. XV. 13.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, non est sanitas in carne mea. v. 8. Gr. p. 279.

Aliam praeter ceteras calamitatem ostendit peccatoribus accidere solitam. Anima (1), inquit, mea impleta est illusionibus. Illusionem vero dicit a Deo inspirata scriptura, quorumdam sannas, id est risum inimicorum. Sunt enim nonnulli maligni, derisores, conviciatores, ac saevi, qui peccatorum quidem suorum prope obliti, alios derident si quando eis prolabi abripique contingat. Quocirca intemperantium horum calumniis, sive illusionum huiusmodi conviciis plenam dicit animam suam, accusantibus passim praedictis hominibus. Interim carni meae, inquit salus non est, tantisque exercetur laboribus, ut procul omni sanitate sit.

Rugiebam a gemitu cordis mei. v. 9.

Vexatum se rugientemque dicit ob gemitum cordis sui. Verberans enim cor conscientia, gemitus edere cogit. Nam qui omnino peccati reum se fecit, et a conscientia propria accusatur, sciens Deum a se offensum, haud desidere debet, sed maerore potius veluti submersam mentem habere, et cor amaro dolore attritum, sic ut rugire videatur, salientibus de profundo gemitibus, et ex intimis cordis recessibus gravi et ineloquaci resonante stridore. Non enim, inquit, ut multis notus fiam, labiis confiteor, sed intra cor ipsum oculo connivens, tibi soli occulta mea cernenti gemitus meos patefacio, interius rugiens. Nam neque pluribus mihi verbis opus est ad confessionem, sed huic rei sufficiunt cordis gemitus, et de intima anima ad Deum missi ploratus.

Domine, ante te omne desiderium meum. v. 10.

Voluptates quidem, quae ad nequitiae opera mentem hominis pertrahunt, longe ab oculis sanctissimi Dei sunt, qui rem sibi invisam spectare non patitur. Attamen desiderium quodlibet virtuti inhians ab eo inspicitur. Hoc igitur ad Deum dirigendum Gr. p. 280. est, tamquam omnis affectus nostri fontem, ita ut concupiscibile omne ipsi offerentes dicere possimus: Domine, ante te omne desiderium meum. Certe et David huiusmodi quiddam dicit: paenitentiae meae affectus coram te esto.

Et gemitus meus a te non est absconditus. v. 10.

Adiicit psalmista: non est absconditus tibi gemitus meus; quod isthoc fere modo intelligendum est: nam te, ait, omnituentem scrutantemque corda et renes, testem facio gemituum meorum. Non enim ob aliam id ago causam, nisi quia doleo fleoque quod leges tuas violaverim. Solent autem qui precantur, imo de corde gemitus eiicere; Deo id quoque praestante ad urgentis doloris levamen et inhibitionem.

Cor meum conturbatum est, dereliquerunt me vires meae. v. 11.

Enumerat denuo quae solent iis accidere, qui dira vincuntur libidine, mentem ipsorum quodammodo depraedante, atque ad indebita compellente. Nam quomodo sibi peccare contigerit, perspicue declarat. Tumultus quidem ac perturbatio meum

(1) De hac varietate lectionis, nempe *animae* pro *lumbis*, recole p. gr. 279. adn. 1.

subiit cor, simulque tenebris mens fuit obruta: quae sane quamdiu pravis voluptatibus non est capta, firmumque retinet propositum, omni cum modestia ingenuum probatumque vitae cursum sectandi, serenitate ac pace fruitur plurimaque tranquillitate, atque insuper donatae a Deo sobrietatis lumine illustratur. Namque ut sapien-
* Phil. IV 7. tissimus scribit Paulus *: pax Christi, quae exsuperat omnem sensum, custodiet corda vestra et intelligentias vestras. Verum simul ac captivum cor fuerit, absurda malaque voluptate eidem offusa, implet illud Satanas perturbationibus, et cogitationes inserit pravas, inquinat etiam, et spiritalibus tenebris totum occupat, partim quidem quia bonae cogitationes ei desunt de sectanda virtute, partim vero quia lex peccati in vi-
Gr. p. 281. tium trahit. Fortasse innuit etiam, se vel meridiano tempore in anxietatis tenebris versari, multoque luctu vires suas esse consumptas.

v. 12. **Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt etc.**

Aliud quoddam narrat contingere interdum solitum diserte iis, qui a Deo peccati causa castigantur: suam videlicet gratiam ab ipsis removet; ex quo in tantam veniunt miseriam, ut nullum prorsus invenire queant adsistentem aut compatientem, quin immo, tum genere tum affectu, aut alio quovis amicitiae titulo olim proximos, iam inimicos experiantur. Carorum ergo meorum, inquit, vel proximorum alii quidem publice adversus me incesserunt atque steterunt, id est restiterunt, ut Abessalomus et Achitophel: alii vero humanius agentes procul constiterunt, suum erga me affectum longissime submoventes.

v. 13. **Vimque faciebant, qui animam meam quaerebant.**

Praeterea qui animam meam exquirebant, vim inferebant; malumque mihi volentes, loquebantur vanitates, dolosque tota die meditabantur. Nemine enim defendente aut miserante, id est adsistente, inimici irruebant, meque opprimebant partim calumniis, partim etiam falsis obtrectationibus. Dolos quoque seu laqueos instruebant. Quid enim fuit in omni noxiarum rerum varietate, quod mihi non sint machinati? Ita quidem plerisque omnibus sanctis pati accidit. Sed enim sciendum est, ipsum haec eadem ante nos, et propter nos, et pro nobis passum esse Christum.

v. 14. **Ego autem tamquam surdus non audiebam etc.**

Quoniam itaque in te speravi, spes autem non confundit, ideo exaudies, quia tibi misericordem esse lubet; nec tam peccatoris mortem vis quam paenitentiam. Igitur ego, inquit, tamquam mutus non audiebam, sed similis iis eram qui loquela carent omnino atque auditu, neque ore quemquam redarguere queunt. Nam qui calumniosis contradicere volunt, eos mendacii coarguunt, contra singula maledicta apologiam facientes, et accusantium criminationes diluentes. Verumtamen ego non ita me gessi: sed constanter tacui, ne acerbiores facerem osores meos. Oportet enim in ve-
Gr. p. 282. xationibus cedere potius, quam parem vicem persecutoribus reddere. Quod autem silere persecutionum tempore et mutos videri, non sit brutae stupiditatis officium, sed laudatae potius patientiae fructus, mox declarat: silui enim, inquit, quia in te uno salutis spem collocaveram, et quia te supremum mei ultorem delegeram, qui et tum cum Iobi amicos increpasti, ceu inhumaniter alloquentes virum exercitum et tentatum, demonstrasti displicere tibi si quis invadat eos qui in angustiis tentationibusque versantur. Tu ergo, Domine, audias oro inimicorum contra me dicteria, id est varia conviciorum genera, et quae contra me machinantur aspicias, dum ego interim verba iramque continebo, et quasi mutus in te uno spem reponam, satis gnarus te audire, etiamsi dum mihi maledicitur obmutescam.

Quia dixi: nequando supergaudeant mihi inimici mei etc. v. 17

Ego in te, inquit, sperans, ad cetera quidem mutus videbar, sed illud tantum requirebam, ut ne in manus inimicorum inciderem, neque mei causa laetarentur ii qui me oppugnare solent, ceu si supremam passus sim cladem et omnino subversus, atque a te expulsus, et per summam tuam indignationem abalienatus. Timebam insuper, ne si me supplantatum viderent, superbum aliquid et infame adversus maiestatem tuam blaterarent. Hoc enim, et non aliud, significat superbe quosdam de sanctis in tentatione versantibus loqui. Putant enim aliquando haud his ad salutem sufficere manum Dei salutarem, quasi ipsorum impetum sustinere is nequeat, in quo illi confidunt. Veluti babylonius ille Rhapsaces intemperante lingua contra Deum utens, aiebat *: num dii gentium suam quisque regionem de manu mea eripuerunt? * IV. Reg. XVIII. 33.

Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper. v. 18.

Dolori suo mederi David satagens, ipse semet accusabat, suis editis coram Deo confessionibus. Ideo dicit: dolor meus in conspectu meo est semper; dolorem fortasse appellans dolendi causam, id est peccatum, quod reapse mentis vulnus cordisque ulcus nuncupare non est illepidum. Certe peccati sui semper recordari, sanctos Gr. p. 283. decet. Nunc sane illud dicitur, quod ore Davidis in libro regum prolatum legitur *: * II. Reg. XXIV. 14. incidamus in manus Domini potius, quam in hominum manus: hic enim bonus est et misericors, atque ut ait scriptura *, celerius a nocendo recedit; illi autem asperi sunt * Iohel. II. 13. Ion. IV. 2. et crudeles, suasque iras in infinitum quandoque protendunt. Hoc itaque vitat David, ut ne aliqui inimicorum suorum de se supplantato et cadente laetentur. Id enim significant verba « commoveri pedes. » Nam Dei quidem percutientis pati flagellum, quamquam sit acerbum, optabile iudicat, propter correctionis utilitatem. Quare et semet ipse flagello supponit, seque huic paratissimum esse adseverat. Atque hoc est idoneum animae ad virtutem propensae indicium, dolentis quidem ob contractam ex illicitis actibus infirmitatem, verumtamen optima desideria persuaviter libentissimeque nutrientis. Namque id potissimum perspicue indicat dum ait, se paratum in verbera, et suum semper prae oculis habere dolorem, id est doloris causam peccatum.

Quoniam iniquitatem meam ego annunciabo, et de peccato meo cogitabo. v. 19.

Fidelis animae, et Dei iudicium firme credentis, hae voces sunt. Utique verbum annunciabo ponit heic pro annunciavi; similiter etiam cogitabo pro cogitavi: nam tempora apud divinam quandoque scripturam indifferenter ponuntur. Non fui, inquit, cunctator ad paenitendum, non tardus ad lacrymas, neque piger ad confessionem; sed peccatum meum e vestigio subsecuta est ad Deum oratio. Prodest autem hoc etiam haud parum nobis, cognoscere inquam paenitentiae rationem.

Inimici mei vivunt, et roborati sunt super me, multiplicati sunt qui me oderunt inique. v. 20.

Quod si (1) exteriores inimicos intelligas, ita explicabis: ego, inquit, flevi et maestus fui, et paenitentiae lacrymas fudi, quia insanivi et divinis legibus sum adversatus: malivoli autem mei vivunt, et contra me viribus augentur. Iam vocabulum « vivunt » heic habendum est pro « absoluta facultate pollent quicquid libuerit contra me faciendi. » Sic enim nos saepe solemus de eo qui expeditos efficacesque motus habeat, Gr. p. 284. dicere: hic demum vividus homo est. Non enim necem inimicorum suorum a Deo peteret iustus, quod sane clementi Deo displiceret. Ergo « vivunt » hoc loco dicitur

(1) Vides deesse priorem explanationis in hunc versiculum partem.

pro « summo in gradu prosperitatis potentiaeque sunt. » Unde ilico addit: eosdem quoque roboratos adversus se. Multiplicatos vero, et quidem iniuste dicit osores suos, quia propter Dei alienationem id quoque accidere solet, iis qui peccatorum suorum causa, atterendo purgantur, et in laboribus vexationibusque versantur. Siquando enim alicui contingit Dei recessum experiri, et procul oculo eius fieri qui omnimodam securitatem opemque praestare scit, hic veteribus quoque amicis invisus fiet, etiamsi nulla causa dirimendae amicitiae discordiaeque intercesserit. Hoc nimirum, ut reor, est frustra iniusteque odio haberi. Quinam vero sint inique odientes, declarat mox in sequentibus: qui retribuebant mihi, inquit, mala pro bonis: obloquebantur mihi, et quidem non de re iniqua, sed de laudabili opere, quia iustitiam scilicet diligere coeperam. Nam qui Deum offenderunt, ut dixi, veteres quoque amicos adversarios experiuntur, temere concitatos, et sine causa iratos, et mala pro bonis retribuendi studiosos. Ergo sua vulnera universali Deo retegens, solvi se incumbentibus malis quae-
* Os. VI. 1. rit, remediumque petit a percussore. Scriptum est enim *: qui percussit, idem sanabit. Curatio autem atque ab his malis liberatio fiet, si Deus ipsum non derelinquet, immo vero maiore cura ad eum confirmandum, defendendum, salvandumque vigilabit. Dominum autem salutis Deum appellat, quia nutu eius facilis erit via salutis et expedita.

PSALMUS XXXVIII.

v. 1. **Canticum Davidi, in finem, Idithumo (1).**

Sacrorum psalmorum auctor quum sit Idithumus, et prophetica gratia ornatus, canticum canere adgreditur, persona Davidis ipsius adsumpta peccatum suum confitentis. Vel canticum quidem David composuit, dedit autem Idithumo ut psalleret. In
Gr. p. 285. finem vero remittit nos, quia humanae naturae tragice canit fragilitatem, eiusque adfore finem ostendit. Recitavit vero hunc psalmum David, insectante Abessalomo, Semei conviciante. Porro multa similitudo est praesentis cantici cum superiore psalmo; sed enim illum sibimet ad rememorandum composuit, hunc autem aliis, ut aeque peccatorum paenitentiae studerent.

v. 2. **Dixi: custodiam vias meas, ne peccem lingua mea etc. et silui a bonis.**

Perspicua firmi cordis significatio. Nam quia multifariam linguâ peccatur, ac prope omnis peccati initium a sermone fit, foedus inquit mecum ipse pepigi, ne lingua peccem: quandoquidem otiosi etiam sermonis ratio reddenda erit, atque ex propriis sermonibus iustificandi aut damnandi sumus. Sed dicet aliquis: cur psalmista
* I. Petr. III. 9. peccaret, dum conviciantibus responderet? Dicemus ergo quod sapiens Petrus docet *: nemini malum pro malo reddentes, nec maledictum pro maledicto. Dicit item Pau-
* I. Cor. IV. 12. lus *: maledicti benedicimus, et probris affecti obsecramus. Et de Servatore Petrus
* I. Petr. II. 23. ait *: qui quum malediceretur non maledicebat, quum pateretur non comminabatur; sed commendabat illi qui iuste iudicat (2). Silere autem a bonis, euphemismus est pro a malis (3): nempe ut oculis laesos, videntes saepe appellare solemus. Alio quoque sensu intelligere poteris. Haud ego profecto de illorum numero eram qui ad con-

(1) Idithmus inter sacros cantores I. paralip. XVI. 41. 42. XXV. 1. Videtur idem qui Ethan I. paralip. VI. 44.

(2) Hunc Petri textum recitaverat iam Cyrillus ad II. Cor. X. 1. Nos vero ibi p. lat. 66. adn. 1. de re satis diximus.

(3) Nova videtur ac felicissima haec Cyrilli explicatio per euphemismum: *nempe me cohibui a maledictis.* Sic certe III. Reg. XXI. 10. 13. Nabothus dicitur *benedixisse Deo et regi*, pro *maledixisse.* Sic Iobus I. 5. dicit: *ne forte peccaverint filii mei, et benedixerint Deo in cordibus suis*, id est *maledixerint.*

temptum sunt nati, quos invitos etiam potentiorum convicia tolerare opus est; sed ex illis unus in omni bonorum abundantia constitutis, quippe qui regali etiam gloria fulgebam; nihilo tamen minus ignominiam pertuli, et ori meo custodiam imposui. Ceteroqui haud stupiditate id patiebar, sed voluntario religiosae vitae studio, et quia me ante Dei oculos humiliare volebam.

Concaluit cor meum intra me. v. 4.

Memoria, inquit, peccati veluti ignis cor meum corripuit. Vel quia mos est irascentes accendi, sanguine ipsis circa cor fervente. Caluit, inquit, cor meum, dum mihi malediceretur. Imitatur autem id quod igni usuvenit: praecedit enim ignem flammae calor: prius ergo caluit, deinde exarsit. Dum virtutem meditarer, id est patientiam, succensus est intra viscera mea ignis. Urit enim tristitia sanctorum animas, neque tamen hi quemlibet furoris aut irae effectum pariunt. Atque huiusmodi fortasse illud est: irascimini, et nolite peccare. Etenim iram nullo modo concipere neque calescere, supra nostras fortasse vires est, neque humanae facultatis; sed eam continere, meliore consilio utentes, id demum in sanctorum potestate est. Caluit itaque, inquit, interius cor meum, neque tamen exterius iram protuli, sed intra me ipsum cohibui ac veluti suffocavi, nihil irate dicens aut agens; tristitia tantummodo interna urebar, dum meditarer mecumque recenserem illatam contumeliam. Quod autem hoc sit optimum virtutis genus, docebit nos Salomon dicens *: qui iram cohibet, melior est illo qui urbem capit.

Gr. p. 286

* Prov. XVI. 32

Ut sciam quid desit mihi. v. 5.

Ego existimo incredibiles esse sermones eorum qui ita interpretantur (1). Erat enim sanctus simulque propheta David. Et quoniam eum pro peccatorum remissione orare exploratum est, haud satis opportune scire contenderet, quid sibi ad perfectam virtutem desit. Oportebat enim veniam potius implorare eorum, quae insaniter patraverat adversus divina mandata, non autem recte a se facta curiose considerare. Quid ergo ait? Diu ego exercitus laboribus, mihique plaga protelata, consequenter pro humana mea pusillanimitate loquebar; haud palam tamen, sed clandestino lin-

(1) Nimirum et heic, ceu saepe alibi, mutilus est S. Cyrilli commentarius, ut fit in catenis, ideoque pars antea dicta deest. Age vero quidnam antea vel a quonam dictum fuerat? Sine dubio contradicit populari suo Cyrillus Origeni cuius locum graece certe ineditum ex his ipsis vaticanis catenis cod. B. f. 141. et praesertim cod. I. f. 193. b. opportune recitabo. Ἐπεὶ ἀρξάμενος τοῦ ζῆν κατὰ τὴν ἀνθρωπίνην ζωὴν, καὶ τέλος αὐτῆς προσδοκῶ, ἄδηλον δέ μοι τοῦτο, σύ μοι γνώρισον τὸ πέρας μου, ἵνα τὸ πλῆθος τῶν ἐτῶν τῆς μετὰ σαρκὸς ζωῆς μαθων, καὶ τίνα μοι κατορθοῦσθαι δεῖ, γνῶ τί μὲν πεποίηκα, τί δὲ λείπει μοι πρὸς ἀναπλήρωσιν τελειώσεως· ἤγουν σκοπὸν θέμενος τὴν κρείττω ζωὴν, βούλεται γνῶναι τίς ἀριθμὸς τῶν κατὰ τὰ θεωρήματα ἡμερῶν, ἵνα μάθῃ πόσον ἀφέστηκε τοῦ σκοποῦ· ἢ καὶ οὕτως· ἐπεὶ πᾶς συνετὸς πράσσει καὶ ἐνεργεῖ ἐπὶ τέλει τινὶ, ὃ καὶ σκοπὸς καλεῖται, δεῖ δὲ τοῦτον γνῶσιν ἔχειν, εὔχεται γνῶναι τί τὸ τέλος, καθ' ὃ ζῆν προτέθειται, καὶ τίς ὁ ἀριθμὸς τῶν κατὰ τὰ θεωρήματα τῆς ἀληθείας ἡμερῶν· οὕτω γὰρ εἴσεται τί αὐτῷ ὑστερεῖ πρὸς ἀναπλήρωσιν τοῦ σκοποῦ· ὥσεὶ καὶ ἐπιστήμην τίς προθέμενος ἀναλαβεῖν, ἔφασκε τῷ διδασκάλῳ, τὰ θεωρήματα τῆς ἐπιστήμης δήλωσον πόσα ἐστὶν, ἵνα γνῶ ποῖα ἔσχον, ποίοις δ' ἀκμὴν ὑστεροῦμαι. (Hactenus Origenes; sequiturque ibi in codd. contradicentis Cyrilli locus.) Porro ne haec esse Origenis verba dubitemus, testis adest prima in hunc psalmum homilia Origenis, quam latine nobis conservavit interpres Rufinus. Namque in Opp. T. II. p. 694. praedictus textus occurrit, quem partim saltem referemus, ut graece quoque ignari, rei veritatem agnoscant. *Cupit propheta ista de causa agnoscere finem suum, propter quem factus est, ut intuens finem, et dies suos perspiciens, et considerans perfectionem, videat quantum sibi deest ad illum finem quo tendit. Verbi gratia, ut si ponamus aliquem artificio traditum, et hunc dicere ad magistrum suum, volo scire quae sit artis huius perfectio, et nosse qui sit faber perfectus vel structor: et cum hoc didicerit requirat, quantum sibi deest ab illa perfectione, vel quantum profecerit in artis disciplina, ut cum utrumque cognoverit, sciat quid habeat, et quid perfectioni desit agnoscat etc. Non est putandum quod de corporali tempore et annis huius vitae loquatur etc.* Haec, ut vides, refutat prorsus praesens Cyrilli locus.

*

quae motu aiebam: o Domine, notum mihi fac vitae meae terminum, annorumque meorum numerum. Etenim comparatione tui, qui semper es, quid desit mihi innotescet, id est quantopere gloria et excellentia tua inferior sim, qui instar agrestis foeni brevi florens, mox flaccidus in mortem decido.

v. 6. **Et substantia mea quasi nihil est ante te.**

Existentia, inquit, mea quasi nihil est ante te, quia mille anni ante oculos tuos
* Ps. LXXXIX. 4. tamquam dies hesterna quae praeteriit, vel custodia in nocte *, id est tres horae vel
Gr. p. 287. quatuor. Quandoquidem igitur tu aeternus es, mea vero existentia brevis omnino et contracta, ac veluti nihil omnino in conspectu tuo, ne quaeso sinas diu puniri eum qui ex infirmitate peccavit, neque ego in universa vita comitem habeam calamitatem. Pro substantia, Aquila scripsit demersionem, Symmachus vitam. Humana enim vita
* Ps. CI. 28. nihil est prae Dei aeternitate, secundum illud *: tu idem ipse es. Sed et omnes hominum curae, vanitas vanitatum.

v. 6. **En palmares posuisti dies meos.**

Pro qua lectione Symmachus ait: en ut palmum dedisti dies meos. Vel palmares significat plenum se esse tentationum certaminibus (1).

v. 7. **Verumtamen in imagine pertransit homo; sed et frustra conturbatur etc.**

Magnorum autem Athanasii et Cyrilli sententia est, ut quoniam imaginarie potius quam vere nunc homo pertransit, nam vera vita futuri saeculi est, merito psalmista vocabulo imaginis denotet vanitatem. Non enim nunc veram vivimus vitam, sed ipsius veluti imaginem, neque propter vera bona nunc laboramus. Ideirco perturbamur in cassum in mundanis cupiditatibus nos volutantes, thesauros cumulantes, quorum heredes non novimus. — Viventes homines a pictis in tabula nihil differunt, atque ut colores quidam florent: sed enim tam horum quam etiam illorum natura tempore defluit et corrumpitur. Quae quum ita se habeant, nihilominus agitantur aemulantes, contendentes, bella gerentes, mercaturam exercentes, plenaque tempestatibus vita est, atque in mortem desinit. Quumque magno labore ac sudore divitias congesserint, futurum nesciunt heredem. Sic equidem beatus etiam David scripsit vicibus suis permotus. Quum enim belli manubiis, et alienigenarum tributis maximum splendidumque regnum suum effecisset, ignorabat filii impiam scelestamque mentem. Mox ubi eum vidit regiis palatiis occupatis, repositas illic usurpasse opes, miram hanc emisit ore vocem: sed et frustra conturbatur; thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea.

v. 8. **Et nunc quae est expectatio mea? nonne Dominus? Et substantia mea apud te est.**

Gr. p. 288. Merito in Christo spem suam collocasse dicit, mundi sollicitudines satis expertus. Quis mihi, inquit, tribuit, ut constantiam tueri, fortiterque me gerere in calamitate potuerim, neque umquam animo ita conciderim ut quidpiam agerem diceremve ex humana imbecillitate? nonne Dominus? Quaenam vero est substantia mea? Id est, quis mihi vires suppeditat, ut ea patienter feram, quae superna ira mihi ingerit, dum me Deus, tamquam amans filii pater, ad meliorem erudit frugem? Quamobrem etiamsi Deus congrua concussione corrigit, idem simul constantiam largitur percussis atque patientiam: id enim denotatur verbo « substantia. » Sin vero quis malit existentiam, naturae nostrae machinam, vel etiam futuri expectationem, interpretari substantiae vocabulum, ne id quidem male se habebit: namque et a Deo existentiam accepimus, et ipse expectatio spesque nostra est.

(1) Virg. aen. III. 705. *palmosa Selinus,* quod interpres antiquissimus a me editus intelligit ideo dictum, quia multi extiterunt olympionicae selinuntii.

Ab omnibus iniquitatibus meis erue me. v. 9.

Tu mihi patientiam donasti, atque ut nihil dicerem ex humana infirmitate vel agerem. Tu me ad haec subeunda erudisti, et ferendi vim indidisti. Porro dictionis praesentis constructio huiuscemodi est: ab omnibus iniquitatibus meis eripe me, quia tu me fecisti, id est creasti, ideoque ut creator haerentem humanae naturae infirmitatem probe nosti. Alibi quoque scriptum est *: corpus corruptibile aggravat animam; * Sap. IX. 15.
terrenumque tabernaculum mentem curis gravatam deorsum vergit. Inveniemus quoque patientissimum Iobum his utentem verbis *: memento, inquit, quod pulverem * Iob. X. 9.
me creasti. Et rursus *: nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti? * v. 10.
pelle et carne vestisti me, ossibus et nervis compegisti me. Et denuo idem David *: * Ps. CII. 14-16.
memento quod pulvis sumus: dies hominis tamquam foenum; ceu flos agri, ita efflorescet. Quia transitorius in eo spiritus est, nec permansurus. His videlicet vocibus sancti viri utuntur, dum peccatorum veniam ab universali Deo postulant, atque humanam testantur infirmitatem. Immo omnes homines naturae ad peccandum proclivitatem, ob veniam impetrandam causari solent. Petit igitur veniam David ceu satis iam castigatus.

Obmutui, et non aperui os meum. v. 10. Gr. p. 289.

Patior, inquit, probris nunc adpetitus, nihilque respondeo, quia te velle scio me ignominia exerceri.

Remitte mihi, ut refrigerer prius quam abeam. v. 14.

Fortasse etiam tristia et flebilia cessare denique postulat; non eatenus ut beatitudo perfecta fiat, non enim haec praesentis temporis est, sed quatenus refrigerium solamenque sit, quod in hac brevi vita expetimus, quam in terra transigimus more hospitum et inquilinorum; hac a patribus conditione geniti, ut sub peccato simus, et ob peccatum afflictionibus obsessi, et Adami causa morti destinati; cui priusquam succumbamus, laborum aliquam requiem concedi nobis rogamus.

PSALMUS XXXIX.

In finem, psalmus Davidi. v. 1.

Nonnulli in persona Davidis dictum hunc psalmum aiunt, ceu iam erepti omni calamitate et ex inflictis ei poenis a divina ira, propter patratum adversus Uriae uxorem, ipsumque adeo Uriam, peccatum; reddique gratias putant ob incumbentium malorum depulsionem. Sed ecce in subsequentibus comperiemus introductam Servatoris personam qui humanae naturae adsumptionem nunciat, et se gratiam toto orbe per fidem praedicaturum. Deinde alia infertur viri persona quae Dei misericordiam exoptat, seque propriis obrutam passionibus confitetur. At enim quomodo ea res divo Davidi congruat? vel quomodo is Servatoris verba proferat? vel denique cuinam alii, tamquam Dei ope servato, et gratiarum actionem canenti, haec accommodentur? Nos certe psalmum hunc in persona dici existimamus novi populi, qui iam Christi fidem feliciter sit amplexus, vereque e lacu miseriae expeditus fuerit, id est peccatorum abysso, crassaeque materiae limo. Introducit enim, haud praeter propositum, ipsius quoque Christi personam, qui gratis hominibus aperit veluti mysterii arcanum, et incarnationis pandit rationem, qua nimirum salvi sumus. Deinde post Christi verba, rursus populi apparet persona, mala pariter in quibus versabatur, suorumque criminum multitudinem fatentis, ut magis laudetur Christus qui se de barathro eripuit, Gr. p. 290.
ac per fidem extra perditionis coenum collocavit. Postulant enim Israhelitae liberari

se incredulitatis peccato, simulque narrant quae sibi ob incredulitatem evenerint mala. Denique alii ad captivos Babylone canticum hoc referunt, calamitate illa emendatos, atque ita reduces (1).

v. 2-3. **Sustinens sustinui Dominum, et intendit mihi.**

Sed dicet aliquis: quomodo sustinuerint isti Dominum, vel omnino quomodo exauditi fuerint, qui nec ad ipsum fortasse clamaverint, quia ne norant quidem quisnam sit verus rerum omnium creator ac dominus (2)? Dicimus ergo, Servatorem sagena sua terrae universae incolas comprehendisse, antiquata diaboli potentia, et malignarum potestatum saevitia cohibita, spiritalique libertate donasse vocatos, per ipsorum erga se fidem, ad sui notitiam. Sed enim haud multitudo gentium tantummodo introiit per fidem, verum ante has ipsas ii qui de stirpe Israhelis erant. Instauravit enim Christus populos duos in uno novo homine pacem faciens, ambosque uno in
* Ephes. II. 15. corpore convertens ad patrem, sicuti scriptum est *. Duo igitur unus facti sunt po-
* Ioh. X. 16. pulus, secundum ipsius Servatoris dictum: namque et alias, aiebat *, ego oves habeo, quae non sunt de hoc ovili; illas quoque me oportet adducere, ita ut fiat unum ovile et unus pastor. Ergo quod ab una persona pronunciatur, id omnino tum his tum illis congruet, propter vinculum unitatis, quae est in Christo per Spiritum. Quod autem Christi mysterium praenunciatum fuerit Israhelitis per legem atque prophetas, sacrarum certe litterarum peritis haud erit obscurum. Ait enim alicubi Christus Iu-
* Ioh. V. 46. daeos alloquens *: si Moysi crederetis, utique et mihi crederetis; nam de me ille scri-
Gr. p. 291. psit. Reapse autem expectabant ipsum per tempora venturum Iudaei servatorem ac redemptorem non ipsorum tantummodo, verum etiam omnium ethnicorum. Quamobrem et Simeon iustus, cum infantem Christum sacro in templo vidit, nunc dimittis,
* Luc. II. 29. inquit *, servum tuum, Domine, secundum verbum tuum; quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem tuam; lumen ad revelationem gentium, et gloriam populi Israhelis. Quin etiam samaritana muliercula cum Christo colloquens,
* Ioh. IV. 25. id ipsum aperte confessa est. Ait enim *: scimus Messiam esse venturum, qui dicitur Christus: quum ille venerit, omnia nobis annunciabit. Sed et a quodam e sanctis prophetis dictum fuit iudaico populo, dum Christus ore illius suum ad nos adventum
* Sophon. III. 8. sponderet *: propterea expecta me, dicit Dominus, in die qua testis exsurgam; etenim iudicium a me fiet in gentium congregatione. Ergo recte dicet, qui venturum per tempora expectat Dominum: sustinens sustinui Dominum, pro expectans expectavi, et intendit mihi, id est me visitavit. Deus enim dominus apparuit nobis, eduxitque nos de lacu miseriae, de mortis foribus, deque illius loci corruptione; qua liberati fuimus per Christum, qui transformat ad incorruptionem in se ipso, et quidem primo, hominis naturam, refingitque ad priorem conditionem, a luto palustri mundialium curarum, et peccati foetore. Inde enim nos Deus extraxit, arcana ineffabilique vi et manu nostri omnium servatoris Christi.

v. 3. **Et statuit super petram pedes meos etc.**

* I. Cor II. 16. Etenim Christi adseclis firma mens est, sicut ait Paulus *: nos autem Christi men-

(1) Recole adnotationem p. gr. 290, ibique locum Theodori mopsuesteni, qui ita se habet. *Hoc in psalmo vaticinatur David de populo tamquam iam in potestatem babylonici regis redacto: atque in eius persona loquitur, Deo gratias agens ob futuram eiusdem populi a captivitate liberationem: docens nimirum, fieri posse ut si afflicti in Deo spem collocent, incumbentibus sibi molestiis expediantur. Deinde etiam beatos praedicat, propterea quod calamitatibus probati, cuivis indigno actui valedixerint, Deoque adhaeserint, a quo uno auxilium erant consecuturi.*

(2) Ergo in praecedentibus Cyrillus verba fecerat de ethnicis, quod apparet etiam ex subsequentibus.

tem habemus. Petra vero aliter etiam intelligitur Christus, omnium fulcrum, electus lapis, in Sionis fundamenta iactus a Deo patre, super quem cuncti aedificamur domus spiritalis, templum sanctum ad Dei habitaculum in spiritu. Direxit nostros etiam gressus: edocti enim fuimus rectas facere semitas, qui antea obliquas distortasque vias sectabamur.

Et immisit in os meum canticum novum. v. 4.

Hoc quoque cum aliis Christi donis numerandum est. Namque haud omnibus indiscriminatim evenit, ut Deum laudare queant: nec quisquam id agere studens gratus erit Deo, nisi sit ex illorum numero qui recte vivere adsueverunt. Non enim speciosa laus est in ore peccatoris *. Immisit ergo in os meum canticum novum pro illo vetere Moysis. Nam recte factorum novitati, novum prorsus canticum congruet, haud priscis hymnis simile. Quippe pro oblato olim impiis daemonibus idolisque cantico, hymnos per sanctum Spiritum docti fuimus concinere.

Gr. p. 292.
* Eccli. XV. 9.

Videbunt multi et timebunt, et sperabunt in Domino. v. 4.

Exemplum, inquit, ceteris fiam; ut me aemulantes, a malitia cessent, paremque habeant melioris vitae spem. Semper enim qui nondum crediderunt, eos qui iam crediderint aemulantur, eorumque mores ac pietatem presse sequi studentes, resipiscunt ad veritatem, eiusque lumen sectantur. Quid inde porro? Nempe divinum concipiunt mente timorem, de quo dictum est *: initium sapientiae timor Domini. Itemque *: timore Domini, unusquisque a malo declinat. Qui ergo, inquit, facti sunt credentium aemulatores, iamque divinum conceperunt timorem, hi spem suam in Deo fundantes, ab ipso solo dari sibi bona quaerunt; quamquam antea fortuna nescio qua, et horoscopo ac fato, rerum humanarum habenas regi putabant (1). Sed et alibi « videbunt » pro « visum recuperabunt » dictum est. Ait enim ore Isaiae de gentibus Deus *: ducam caecos in viam quam non noverant, faciamque eos semitas calcare quas ignorabant. Christus quoque Iudaeis ait *: ego sum lux. Quin adeo ad oculos aperiendos caecorum missus a patre fuit *. Videbunt itaque, id est visum recuperabunt; et reliqua.

* Eccli. I. 16.
* Prov. XVI. 6.
* Is. XLII. 16.
* Ioh. VIII. 12.
* Luc. IV. 18.

Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius, et non respexit in vanitates et insanias falsas. v. 5.

Omnino nos hanc beatitudinem adepti sumus; nuncupamur enim christiani, et hoc est praeclarum nobis inditum nomen. – Quod si quis, praeter dicta (2), velit vanitates et insanias falsas appellare ethnicorum religionem, et quae ipsis veneranda videntur, totam inquam divinationem, et quasvis alieni generis doctrinas, a recto sensu non aberrabit. Scriptum ergo de nonnullis est *: insaniam in domo Domini statuerunt; insaniam scilicet, pro divinatione dicit. Ausi sunt enim, inquit *, Israhelitae quidam ex corde suo loqui, non autem ex ore Domini; multique apud ipsos falsi extitere prophetae. Sed tolerabile fortasse erat, si in idolorum fanis tale aliquid ausum fuisset: sed quia id in ipsa Domini aede factum est, quid ni gravissimum habeatur?

* Os. IX. 8.
* Ezech. XIII. 3.
Gr. p. 293.

Multa fecisti tu, Domine Deus mi, mirabilia tua etc. v. 6.

Alio autem sensu, sic etiam intelliges (3). Quae fecisti, Domine, incarnationis tempore, multa ac mirifica sunt. Haec ego aliis quoque nunciavi, rei vero notitia toto

(1) Quanta fuerit veterum superstitio circa divinationem et oracula, abunde docet barbara, graeca, et romana historia. Instar omnium sint Ciceronis de divinatione libri.

(2) Periit haec cyrillianae explanationis pars, ab eclogario praetermissa.

(3) Heic quoque amissa videmus praecedentia.

orbe discurrit. Propterea concelebrant homines universalem servatorem Christum; vereque demonstrant ii, qui per fidem in Christum servati sunt, novum se canticum suscepisse, et hymnum qui illum deceat. Ecce enim ecce, aiunt, multa ab illo facta sunt mirifica, omnemque numerum excedentia miracula, quicquid scilicet ab eius providentia curatum est, prodigia in Aegypto, in deserto, sub Iosue, sub Samuhele, et his vetustiora quae nimirum sub Abrahamo natisque ex eo patriarchis, ne iam singulos nominem. Verumtamen res praesens mirabilior ceteris est. Non enim unius viri, vel unius gentis, sed omnium gentium curasti salutem, et antiquato legali cultu, qui Iudaeorum congruebat infirmitati, novam dedisti gratiam, rationalis cultus magistram, quo caeci corde divinum intellectuale lumen receperunt, recteque incedere didicerunt qui olim claudicabant, balbutientium lingua evasit expedita, aures surdorum audierunt, destructa mors est, deletum omnium peccatum, illuxit gratia immortalitatis. Atque haec omnia per Christum bona evenerunt. Ideo plurima fecisse mirabilia dicitur.

Cogitationibus autem eius nemo similis est. Quaenam porro sunt cogitationes Dei, favensque nobis consilium? Quum Deus natura sit, factus est homo, et quod erat tamen permansit. Quaenam vero fuerit naturae nostrae suscipiendae occasio, revelabit
* Hebr. II. 14. mysteriorum eius sacerdos dicens *: quia pueri sanguini et carni communicaverunt, et ipse similiter factus est harum rerum particeps, ut per mortem suam eum de-
Gr. p. 295. strueret qui mortis imperium habebat, id est diabolum; liberaretque eos, qui metu mortis, per omnem vitam mancipati erant servituti. Haec, inquit, nunciavi, verbisque testatus sum, sermoni cuilibet esse superiora. Ita se gessisse exploratum est sanctos apostolos et evangelistas. Et quidem sapientissimum Iohannem, praeter iam nar-
* Ioh. XXI. 25. rata prodigia, addentem comperimus *: sunt et alia multa quae fecit Iesus, quae hoc libro non comprehenduntur: quae si singillatim scribantur, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros. Nempe quia ex parte cognoscimus,
* I. Cor. XIII. 9. et ex parte prophetamus *; neque Christi dogmatibus neque eius miraculis narrandis sufficimus. Nam quantavis narrata fuerint, maius adhuc superest quod indictum est. Res enim Christi numerum excedunt, sive quia suapte natura inmensurabiles sunt, sive quia propter multitudinem suam, vim numeri superant.

v. 7-9 **Sacrificium et oblationem noluisti, corpus (1) autem perfecisti mihi.**

Prophetica ornatus gratia praesentis psalmi auctor, tamquam ex bono cordis sui thesauro bonos profert sermones, ita ut ab unigeniti filii Dei persona alieni non sint, qui similitudinem nostram sibi circumposuit, incarnatus est atque humanatus, servique formam induit. Nam quia, inquit, o pater, legalia sacrificia iam respuis, quae nihil habent praeter peccatorum memoriam et redargutionem, non autem remissionem, venio corpore sumpto, quod mihi tu perfecisti. Etenim sanctus Spiritus, et Altissimi virtus sanctam Virginem obumbravit. Venio autem ut tuam exsequar voluntatem, id est ut memet offeram ceu hostiam immaculatam, finemque imponam legis ritibus qui peccata auferre non valent. His simile dicimus quod Christus manifeste
* Ioh. VI. 38. locutus est *: descendi de caelo, non ut voluntatem meam faciam, sed voluntatem eius qui misit me. Id ergo ansam praebuit ut totus ab eo diceretur psalmus, servata eadem usque ad finem dicentis persona. Iam ergo praeterito umbrae tempore, quo sacrificium et oblatio offerebatur, nolens deinceps huiusmodi cultum Deus, confecit

(1) Sequitur communiorem graeci textus, immo etiam alexandrini, nunc vaticani, lectionem Cyrillus, σῶμα pro ὦτα hebraei et vulgati. Priorem lectionem habet Paulus ad Hebr. X. 5, nec non aliquot latini patres apud Sabaterium. De hac re prolixiora verba facere post tot alios criticos supervacaneum est.

ex Virgine corpus filio, quia iam holocausta sibi non placerent: dum Servator interim patri diceret: ecce prout voluisti venio; cuius voluntatis gratia peccatum mundi abstulit, mactatus ipse et oblatus pro omnium peccato; ut facta demum remissione, nequaquam postea sacrificio pro peccatis opus foret. Gr. p. 295.

In capite libri scriptum est de me. v. 8.

Caput dicit summam veluti contentarum in libro sententiarum, quae nimirum de nostrûm omnium servatore Christo loquuntur. Sane sciendum est, ipsum quoque prophetam Ezechielem caput libri dicere universam suam comprehensam illic prophetiam *. Dictio autem « in capite libri scriptum est de me » sic intelligenda est. Liber quincuplex, totum est Moysis sapientissimum scriptum; caput autem veluti atque initium universi libri illa est quae genesis appellatur, ubi quae de Isaaco scribuntur, ad Christum recte referuntur. Rursus caput significare apud divinas scripturas initium, tibi facile persuadebis, si Pauli dictum intelliges *: omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir, caput denique Christi Deus. Initium quippe viri Christus est, qui illum ex nihilo ad existendum produxit. Caput pariter mulieris vir, quia ipsa de viro sumpta fuit. Christi vero caput Deus, quia ipsius naturalis filius est, habetque numquam inceptum principium genitorem suum, cum quo sempiternaliter coëxistit. Versiculos hos Paulus quoque in epistola ad Hebraeos, ex Servatoris persona dictos ait. Nam quum dixisset animalium sanguine tolli peccata non potuisse, addit *: ideo Christus mundum ingrediens dicit patri: legale iam nullatenus sacrificium, sive pro salute sive pro peccato, voluisti; mihi potius corpus perfecisti: venique, inquit, atque adeo adsum, voluntatem tuam exsecuturus. Mox addit: destruit primum, ut alterum constituat; id est sacrificia repellit, ut oblatam a se hostiam stabiliat, quae cum odore suavitatis ascendit ad Deum patrem, corporis eius gratia.

* Ezech. II. 9. * I. Cor. XI. 3. * Hebr. X. 5.

Et legem tuam in medio cordis mei. v. 9.

Habens autem tuam voluntatem intra me reconditam; id enim, ut puto, denotant verba in medio ventris (1) mei; rem hanc cognatis meis manifestam faciam. Scire enim nos oportet, Christum solitum fuisse specialia quaedam dogmata delectis aliquot aperire, non autem omnibus absolute et sine discrimine dicere. Quamobrem Iudaeis non sine parabolis loquebatur; sanctis vero apostolis, defaecata mente praeditis, et exquisitarum doctrinarum capacibus, vobis, aiebat, datum est nosse regni mysteria, illis autem nequaquam. — Pulchre autem facimus, si ventrem nostrum purgamus, id est levamus, ut is legem Domini possit intra se recipere. Animae porro venter, receptaculum est spiritalium ciborum, id est mentis facultas. Gr. p. 296.

Annunciavi iustitiam tuam in ecclesia magna. v. 10.

Magna est ecclesia, magnis videlicet perfectisque repleta hominibus, in qua psalmista iustitiam annunciabat per fidem Iesu. Hanc autem ipse noverat, utpote in eam admissus, eidemque inseparabiliter factus familiaris. Quod vero evangelicae praedicationis virtus per universam terram reboaverit, magnamque ecclesiam, id est constitutam a Christo congregatamque cognoscentium adventum eius multitudinem, sono suo compleverit, ex subsequentibus patet: non enim labia sua cohibuit, sed per sanctos deinceps evangelistas aliosque labente tempore magistros loquitur. Namque hos Christi labia dicere, non est incongruum. Scribit ergo divus Paulus *: si experimentum quaeritis eius qui in me loquitur Christus. Porro notam patri dicit iustitiam

* II. Cor. XIII. 3.

(1) Recole adnotationem nostram p. gr. 295.

suam, illam nempe absconditam, quae legem umbramque excedit, id est evangelicam, quam ipsemet filius meliorem esse illa, quae per Moysem antiquis dictata fuit,
* Matth. V. 20. declarat, sanctos apostolos hortans atque ita alloquens *: nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum.

PSALMUS XL.

v. 1. **In finem, psalmus ipsi Davidi.**

Nonnulli ad Davidem retulerunt praesentem psalmum; alii res Ezeciae heic praedici aiunt, quomodo nempe ob elationem suam in morbum inciderit, quomodoque amici erga ipsum affecti fuerint (1), et quod ob suam erga pauperes curam, sanitatem sit consecutus. Sed enim neutrum admittere sinit nos divinum evangelium. Nam quum
* Ioh. XIII. 18. Dominus dixerit *: ut adimpleatur scriptura, qui panem mecum manducat, levavit contra me calcaneum suum; demonstraritque, nemini nisi sibi hunc psalmum con-
Gr. p. 297. gruere, audax temerariumque consilium existimo si quis aliud argumentum confingere velit (2). Beatos itaque praesens psalmus praedicat Christo credentes, quorum ille fidem remunerans, confert auxilium suum. Ipsa quoque introducitur Domini persona, expostulans cum iudaici populi principibus, et cum proditore potissimum. Propterea et « in finem » inscribitur, quia nos remittit ad saeculi finem, quo tempore ea quae scripta sunt evenerunt.

v. 2. **Beatus qui intelligit super egenum et pauperem.**

Beatum dicit, qui paupertatem intelligere potest, quam nostri causa Christus suscepit. Hunc enim dicit pauperem, qui cum dives esset, propter nos indiguit, ut nos paupertate ipsius ditaremur.

v. 3. **Dominus custodiat eum, et vivificet eum, beatumque faciat in terra.**

Haec sunt fidei in Christum praemia, nimirum a Domino custodiri, aeternam vitam participare, in terra mansuetorum beatitudine frui, ex intellectualibus hostibus liberari. Eadem sunt praemia etiam caritatis erga pauperes (3): non enim futura tantummodo praemia pauperum amatori donat Dominus, veramque illam aeternam vitam, sed heic etiam beatum ipsum efficit.

v. 5. **Ego dixi: Domine, miserere mei; sana animam meam, quia peccavi tibi.**

Pro suo etiam peccato David orat: quippe qui se unum esse sciebat ex iis qui intelligunt super egenum et pauperem. Sed enim nil mirum est, quod David nunc etiam id fateatur. Salvator tamen id dicere nequit, nisi quia peccata nostra sibi assumpsit, quatenus ipse est naturae nostrae inchoatio. Christus enim pro nobis mor-
* Gal. III. 13. tuus est, factus pro nobis maledictio *. Et eum qui peccatum nescivit, Deus pro nobis
* II. Cor. V. 21. peccatum effecit *. Unde ei quoque congruit misericordia indigere. – Sequentia vero potissimum convenire sermonibus de Servatoris passione, cuncti adfirmant. Porro
Gr. p. 298. « peccavi » idem est ac dicere, adversus tuam, o Domine, legem insanivi. Quodvis enim peccatum nostrum hunc habet reatum.

(1) Res cognoscitur ex psalmi tenore.

(2) Reprehendi hoc loco Theodorum mopsuestenum a Cyrillo, demonstravimus p. gr. 297. adn. 1, cuius verba ita se habent. *Hoc in psalmo res beati Ezeciae beatus David vaticinatur, quomodo scilicet et cuius rei causa, nempe peccati, ille aegrotaverit: quidque ei aegrotanti ab amicis acciderit. Deinde docet, quomodo propter suam pauperum curam, valetudinem receperit; cunctos deinceps hortans ut ita se gerere velint.*

(3) Περὶ φιλοπτωχίας, *de diligendis pauperibus*, extat etiam S. Gregorii nysseni oratio inter illas a Gretsero additas.

Inimici dixerunt mala mihi: quando morietur, et peribit nomen eius? v. 6.

Deinceps introducitur Christi persona, narrans ea quae sibi a Iudaeis acciderunt, quos etiam inimicos appellat, invidentes ei, necemque machinantes: qui quum cernerent nomen eius virtute multa praeditum, adeo ut per illud impuri spiritus fugarentur, et quilibet morbus sanaretur, existimarunt se posse ipsum, aeque ac ceteros homines, morte extinguere. At enim ecclesia, contrariam Christi hostibus sententiam gerens, personam eius celebrat in hymnis canens *: memor ero nominis tui in omni generatione et generatione. Item: unguentum (1) effusum nomen tuum *. Scit enim donatum illi esse nomen, quod est super omne nomen.

* Ps. XLIV. 18.
* Cant. I. 2.

Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur. v. 7.

Sermonem prophetia transfert ad Iudam, ingredientem quidem uti discipulum, sed de Domino improbe loquentem et cogitantem, et cum Iudaeis paciscentem, qui mala contra Dominum consilia inibant, ipsumque invita lege innocentem occidere festinabant. Ergo ceteri, inquit, inimici, propemodum dicentes: grave nobis est vel ipsum videre; necem ei parabant; Iudas vero ingrediebatur uti familiaris ad explorandum: observabat enim proditioni tempus idoneum, scelesta hanc ob causam volvens secum concinnansque consilia: deliberavit enim homicidis Dominum tradere: ipsum vero latere putabat vana loquens, id est rabbi eundem appellans et magistrum.

Egrediebatur foras, et loquebatur in id ipsum. v. 7.

Foras, inquit, prodiens paciscebatur cum scribis, pontificibus, ac pharisaeis; haud iam intra cor suum loquens, sed palam disserens. Quid porro aiebat? Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam *?

* Matth. XXVI. 15.

Adversus me susurrabant omnes inimici mei. v. 8.

Iudaeorum contra se machinationes denotat et occulta consilia. Timentes enim plebem, haud audebant haec palam agere, sed occultum inibant conciliabulum. Nam susurratio, timida quaedam locutio est, et arcana maledictio; sicuti vice versa convicium, publica est et coram invectio. *Gr. p. 299.*

Sermonem iniquum constituerunt adversus me. v. 9.

Nempe is fuit: tolle, tolle, crucifige eum. Quod autem iste iniquus sermo fuerit, patet ex dicto *: innocentem et iustum non occides. Quin adeo tyrannidis quoque crimen illi adfinxerunt dicentes, eum regem semet facere, et vetare quominus Caesari tributum penderetur. Immo et falsos testes adversus Christum conquisiverunt, et mendacia confinxerunt.

* Exod. XXIII. 7.

Numquid qui dormit, non adiiciet ut resurgat? v. 9.

Irridet Iudaeorum consilia Servator, utpote existimantium, morte eum se elisuros, quasi ex nostris unum. Ait ergo: cur speratis, morte vitam irretire? Somnus est mors mea; mors inquam non ad vitae extinctionem, sed ad ciendam resurrectionem. Nam si triduanus resurgo, quid ni somnus mors mea dicenda sit (2)?

Nam et homo pacis meae, in quo speravi etc. v. 10.

Pacis hominem Iudam dicit, propterea quod ex benivolorum amicorumque ordine videbatur, quatenus erat discipulus. Est autem sententia huiusmodi: quid mirum si inimici contra me talia egèrunt, quandoquidem hic adeo familiaris et mensae meae particeps atque conviva, calcaneum suum tamquam calcem intendens contra me le-

(1) Graece μύρον. Et quidem etiam itala vetus *unguentum*, quod saepe est odoratum oleum, ut habet vulgatus.

(2) Vindicat hoc fragmentum Cyrillo Nicetas in cod. vat.; namque alii ad Athanasium transtulerant.

vavit, dolumque latentem denudavit, subvertere me proditione sua connitens? Nam
calcaneum nuncupavit dolum ac maleficium, capta metaphora ab iis, qui de celeritate
certant, calcaneoque impingentes dant operam ut concurrentes suos prosternant (1).

v. 11. **Tu autem, Domine, miserere mei: et resuscita me, et retribuam illis.**

Haec Christo conveniunt secundum humanitatis modulum. Nam rursus animad-
verte, Deum Verbum, forma et aequalitate Dei patris praeditum, ex eius substantia
natum, throni et omnium rerum imperii socium, nunc demissum ac deminutum ob
nostram similitudinem, et humanitus potius ob exinanitionem, quam divinitus, ad
patrem suum orationem convertere: miserere mei, inquit, et resuscita me. Quid ni
tamen cunctis exploratum sit, ipsum suapte natura misericordiam esse Dei patris?
* Ioh. XI. 25. Gr. p. 300. ipsum similiter esse resurrectionem ac vitam, prout idemmet affirmavit *. Sed enim
oportuit eum omnem iustitiam perficere; et quoniam factus erat homo, humanitatis
haud recusare humilitatem, neque convenientem huic orationem dedignari, ob sol-
lertem dispensationis rationem. Ceterum dicimus misericordiam simulque resurrectio-
nem non tam sibi quam nobis utràque egentibus postulasse. Nam sicuti culpa in
mundum introëunte, irruit simul in eumdem tamquam culpae filia mors; ita culpa
de mundo depulsa, mors pariter expulsa fuit. Iustificamur enim in Christo, miserante
nos Deo patre. Finem igitur habet mors in Christi resurrectione, per quem et in quo
ad incorruptionem vitamque humana natura reflorescit. Quando ergo, inquit, o pater,
me resuscitaveris, tunc retribuam illis, videlicet offensoribus meis. Observa tamen,
quomodo ab humili sermonis specie, ad digna Deo verba rursus transilit (2). Non
enim caelesti patri dixit, quando me resuscitaveris, tunc item illis retribues; sed ceu
futurus ipse omnium iudex, verusque Deus, ego retribuam, inquit, illis. Namque ut
* Ioh. V. 22. alibi ipse dicit *: pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium tradidit filio, ut
omnes filium haud secus quam patrem honorent. Quod autem, etiamsi pater dicatur
dominum nostrum Iesum Christum suscitasse a mortuis, reapse filius per se id egerit,
quis dubitare queat? Ipse enim, ut iam dixi, resurrectio ac vita est. Quare et Iudaeis
* Ioh. II. 19. de suo corpore aiebat *: solvite templum hoc, et ego tribus id diebus excitabo.
Postremo quod poenas suae in ipsum impietatis Iudaei dederint, non est pluribus
verbis confirmandum, ipsis hoc clamantibus rerum eventibus. Quippe illos Romano-
rum potestati tradidit. Deinde rursus humano more ait:

v. 12. **In hoc cognovi, quoniam voluisti me.**

Humanitus denuo loquitur, tamquam ideo homo factus, ut nos in se ipso of-
ferret Deo patri, post illam nostram ab eodem Deo aversionem, transgressionis causa,
et prementis nos tyrannide sua peccati. Namque in Christo nacti sumus patris fami-
Gr. p. 301. liaritatem, et ut deinceps diligamur. Ipse enim pax nostra est, ianua ac via ad spiri-
talem adsequendam amicitiam. Quando ergo, inquit, o pater, resuscitaveris me, tunc
quod me volueris, sciam, nempe quod amaveris. Nam reapse in amore omnia sunt
voluntaria. Et tunc non gaudebit inimicus meus super me. Inimicum totius humani
generis diabolum intelliges, qui mortem per peccatum invexit. Hic a gaudio demum
cessabit, cum immutatam ad incorruptionem viderit humanam naturam, transforma-
tam in primigeniam speciem, peccato eiecto, et cum eo pariter corruptela. Proprie

(1) Qui huius rei vel ludi, id est σφυρῷ προσπαλαίειν, descriptionem cognoscere avent, adeant Phi-
lostratum seniorem imag. lib. II. 6., in Arrhichione.

(2) Ubique dat operam Cyrillus adfirmandae contra Arianos Christi verae divinitati, quae in passio-
nis etiam humilitate elucet.

vero singillatimque Christi inimicos intelligere oportet pontifices, scribas, et pharisaeos, qui Iudam mercede corruperunt.

Benedictus dominus Deus Israhelis. v. 14.

Nunc quoque psalmum concludit gratiarum actione, quas pro omnibus et omnium nomine Deo patri offert. Dignus es, inquit, qui aeternum benedicaris; facto nunc a nobis benedicendi initio, fine autem in futura vita, cum id, quod ex parte est, evacuabitur *. * I. Cor. XIII. 10.

PSALMUS XLI.

In finem, ad intellectum, filiis Core. v. 1.

Primae partis psalmi, auctore Davide, quadraginta fuerunt (1). Sectio vero secunda psalmos complectitur duos supra triginta, quorum octo Core filiis inscribuntur, unus Asapho, et item Salomoni unus, reliqui Davidi. Priores procedunt ii, qui Core filiis attribuuntur. Hi porro sacri cantores fuerunt, odemque concinunt, non quam ipsi composuerint, sed ab inspiratis viris traditam, quibus futurarum per tempora rerum data fuit notitia ab omnia sciente Deo. Ergo accipientes ab eiusdem auctore Davide psalmum, res extremis temporibus eventuras significant. Introducunt autem ipsius Israhelis personam Christo confitentis per paenitentiam, quam in saeculorum fine peracturus est. Quare et « in finem » inscribitur, quia sermo de futuris fit. Ad intellectum item hortatur lectores titulus, quia divinitus dato intellectu opus est illis, qui post quantumvis tempus eventura cognoscere volunt. Sed quis demum Core fuit? Sub Moyse hic erat, periitque cum factiosis suis in conspiratione contra praedictum: verum eius liberi neque impietatis neque perditionis paternae participes fuerunt (2); sed adeo pii evaserunt, ut canendis psalmis fuerint deputati. *Gr. p. 302.*

Sitivit anima mea ad Deum vivum etc. v. 3.

Quia in psalmo hunc praecedente dictum fuit ex Servatoris persona: Domine miserere mei, et resuscita me et retribuam illis, nunc crucifigentium persona proponitur, qui gravissima passi erant, quum sit exploratum eos deinceps receptum in gratiam iri. Hi sitire ad Deum se aiunt, fontemque (3) qui apud ipsum est discupere, de quo videlicet dictum fuit *: apud te fons vitae est. De his itaque Paulus ait *: nam si tu ex naturali excisus es oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam; quanto magis isti qui secundum naturam propriae inserentur olivae? Haec igitur Israhel paenitens dicit, nempe cupere se ad Deum accedere secundum affectum et sanctificationem, quae per fidem in Christum fit: et quem ceu hominem occiderunt, hunc Deum viventem appellant, errorem suum confitentes, quo vitae auctorem morti tradiderunt. Verba autem « quando veniam » propria sunt cupientium futuram vocationem, quaerentiumque tempus cognoscere, quo ipsi quoque coram Deo patre apparebunt, etsi nunc alieni Deo sunt. Sic enim Isaias dixit *: quum ad me manus te- * Ps. XXXV. 10. * Rom. XI. 24. * Is. I. 15.

(1) De divisione notissima psalmorum apud Hebraeos in quinque libros, recole apud nos Epiphanium p. gr. 142, lat. p. 90.

(2) Ita diserte Numer. XXVI. 11. *Core pereunte, filii eius non perierunt.*

(3) Num hinc apparet lectum fuisse a Cyrillo in textu *ad Deum fontem vivum?* uti est reapse in variis lectionibus lat. apud Sabaterium. Neque certe difficilis erat in latinis codd. inflexio *fontem* in *fortem*. Sed tamen pro lectione *fortem* stant codices graeci vatt. A. B. C. D. E. F. K. L, qui habent ἰσχυρόν, cum vulgato lat., ut ego conferens comperi; et ita in plurimis aliis legi valde reor. Ita habet etiam chaldaica paraphrasis, unde suum *fortem* hausisse puto Hieronymum in translatione ex hebr. Ceteroqui tam in hebraico textu quam in graeco antiquissimo vaticano nihil est aliud quam *ad Deum vivum.*

tenderitis (1), meos a vobis avertam oculos. Et si preces vestras multiplicaveritis, non
tamen vos audiam: nam manus vestrae cruentae sunt. Secus vero cum vocabuntur,
* Ps. XXIII. 16. tum apparebunt conspectui Dei; scriptum est enim *: oculi Domini super iustos.

v. 4. **Fuerunt lacrymae meae mihi panis diu noctuque.**

Derelictum a superna misericordia Israhelem graves corripuerunt calamitates:
vastatae enim fuerunt Iudaeae civitates a romano exercitu. Et quod haec essent even-
* Luc. XXIII. 30. tura, Christus praedixerat *: « quum videritis, inquit, obsessam ab exercitibus Hieru-
salem, tunc dicetis montibus operite nos, et collibus cadite super nos. » Haec autem
Iudaeis patientibus conviciabantur, uti par erat, nonnulli finitimi: semper enim pro-
Gr. p. 303. ximae gentes gaudebant, dum ii bello fatigarentur et male se haberent. Ergo iucun-
dorum necessariorumque loco, inquit, id est mensae cibique, contigit mihi eiulare
amareque flere propter insperatam rerum in peius inclinationem. Quorumnam porro
malorum memoria cruciatur Israhel? Primum quia Deum offendit, propter suum con-
tra Christum facinus. Deinde quod salus per eum operata inutilis quodammodo sibi
fuerit, et omni spe bona exciderit, ac tam gravibus calamitatibus correptus fuerit.
Tertio denique quod haec patientem irridebant nonnulli dicentes: ubi est Deus tuus?

v. 5. **Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei,
in voce exultationis et confessionis, soni festum celebrantis** (2).

Qui ob inimicorum irrisionem maerent, non mediocriter spe meliorum rerum re-
creantur, atque ad gaudium, mentemque supra quemlibet maerorem erigendam tran-
siliunt, sibi spondent salutem, vitamque suo tempore conseculuros, divinasque sedes
una cum aliis sanctis adituros, et participes sollemnis laetitiae illius fore, quae in lau-
dando incessanter Deo versatur. Haec enim sanctos decet sollemnitas; quam rem alibi
* Ps. LXXXIII. 5. item divus David adfirmat *: « beati qui habitant in domo tua, per saecula saeculo-
rum laudabunt te. » Admirabilis vero tabernaculi nomine, Dei domum denotat, ter-
restrem scilicet, quae caelestis ecclesiae imitatio est. Namque altius spem suam sancti
extollunt, fore scilicet ut post huius vitae aerumnas, excipiat se beatissimus finis,
mirabile Dei supernum tabernaculum, et interius eius penetrale, quô ab angelicis vir-
tutibus elati introducentur, veluti Symmachus dicit: transportabor usque ad domum
* I. Thess. IV. 6. Dei. Unde et dictum illud *: « rapiemur in nube. » Iam prae sensibili Moysis taber-
naculo, intellectuale illud appellavit admirabile, verum scilicet illud quod Deus, non
homo, constituit. Quod si gaudium in caelis fit angelis Dei super uno peccatore pae-
nitentiam agente, nonne aequum sit, quum anima aliqua, postquam satis in hac vita
exercita fuerit, in sanctas caelestes sedes devenerit, laetas voces illius multitudinis
Gr. p. 304. excitari, saluti salvatorum plaudentis? Hinc ait: pergam cum voce exultationis et con-
fessionis, sonique festum celebrantis; hymnos nimirum dicens, et cum feriatis cantica
extollens servatori Christo.

v. 6. **Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo,
quoniam confitebor illi; salus vultus mei Deus meus.**

Tristitiam obiurgat, spe in Christum recreatus populus crucifixor, aitque: si tem-
pus, o anima, decretum fuit, quo nostra per fidem vocatio, ducet nos cum ceteris
iubilantibus ad illud tabernaculum, quare tristis es, et maerore conficeris? Spera in

(1) In textu graeco codicis B. (nam in cod. A. hoc deest) legitur ἐκτείνῃ; *tetenderis;* sed sine dubio pluraliter ponendum est ἐκτείνητε.

(2) Graecum vocabulum ἑορτάζοντος sequimur, cum Hieronymo sic hebraicum interpretante in sua psalterii translatione.

Deo; confitebor enim illi, et ipse vultus mei salus erit. Vultum autem hoc loco, pro pulchritudine videtur dicere. Nam credentes Christo divina decet pulchritudo, quae in eis formatur per sanctificationem atque iustitiam. Contra vero, sequetur omnino incredulos deformitas, quia decente illos divina et ingenua pulchritudine carent. Quamobrem et illis qui post fidem susceptam, honorabant adhuc legalem iustitiam divus Paulus ita scribebat *: « filioli, quos iterum parturio, donec formetur in vobis * Gal. IV. 19.
Christus. » Ergo cum in nobis Christus formatur, tunc vultùs animae, id est pulchritudinis eius, salutem operatur. Rectissime autem Emmanuelem appellat Deum crucifixor populus, quamquam eum olim est persecutus dicens *: cur tu, homo quum sis, * Ioh. X. 33.
facis te ipsum Deum? Sed nunc demum cognito eius adventu, eamque rem confitens, Deum suum dicit Christum; praeclarumque id nomen sibi nobiscum imponit, ita ut sit voceturque christianus.

Apud me ipsum anima mea conturbata est; propterea memor tui de terra Iordanis et Hermoniim a monte modico. v. 7.

Quia turbata est, inquit, anima mea, ideo revocans mihi in memoriam prodigia tua, quae nobis circa Iordanem ostendisti, et circa proximum montem Aërmonem, me ipsum solabor. Altiore autem sensu dicit: quum ad Iordanem venero, id est quum sanctum baptismum fuero consecutus, tunc tui meminero per verba confessionis. Meminero etiam Hermoniim, quod interpretari solet via lucernae (1), quia nimirum sanctus baptismus viam pandit illuminationis. Porro videtur mihi praedictorum sensus huiusmodi, si verborum vim inspiciamus. Post Moysis obitum, Iosue populum ad pro- *Gr. p. 305.*
missam regionem ducente, quum sacerdotes ad Iordanem venissent, arcam humeris gestantes, Iordanes, ut ait scriptura *, utramque ripam implebat. Ecce autem stete- * Ios. III. 15.
runt superiores aquae cumulatim constrictae: dum interim inferiores in mare salsum descenderent. Cunctique filii Israhelis transierunt per aridum solum in medio Iordane; inferiore nimirum fluxu in mare salsum defluente; superiore autem sursum verso, Dei virtute mirabiliter cohibito, ac retro cedente: quamobrem quae desuper e fontibus veniebant Iordanis fluenta, quum exitu prohiberentur, curvabantur, atque in cumulum erigebantur, dum invicem aquae glomerarentur, propterea quod cursu solito impedirentur. Ergo mente, inquit, revolvens datum tunc populo visitationis tuae beneficium, iure meritoque angor quod praesenti tempore nihil nobis a tua providentia par acciderit. Illi enim, praeter spem, Iordanem atque adiacentem huic Aërmonem superaverunt, mihi vero haec enarranti nihil huiusmodi contigit. Haec captivorum verba sunt.

Abyssus abyssum invocat in voce catarrhactarum tuarum. v. 8.

Abyssus multitudinem infinitam denotat. Sic autem dicit pro: aquae mutuam opem implorant, ut in nos irruant; alioqui, si mutuum concursum omitterent, nobis transitum patefacerent. Nam recte catarrhactarum nomine appellavit, concessum a Deo tamquam ad abyssos decursum. – Non eius tantummodo quod apud Iordanem accidit portenti faciunt mentionem, verum et aliorum pariter catalogum contexunt, ex-

(1) Sic etiam in fragmentis quae Athanasio tribuuntur commentarii in psalmos. Sive autem ex Philone sumat Cyrillus, ut dixi p. lat. 109. adn. 2, sive ex simili opere Origenis, cuius auctoritatem valde elevat Martianaeus in praef. ad lexic. Origen., certe huiusmodi etymologiis (non solum in orientis linguis quarum infinitus est abusus, sed in nostris etiam) parum est fidendum, quamquam praesentis vestigia supersunt in lexicis vulgo hieronymianis opp. T. III. pp. 56. 627. 670. De vocabulo autem disputat Michaëlius in supplem. ad lex hebr. qui et Hermoniim etymologiam aliter pro suo arbitratu exponere nititur, cui non magis tamen fidendum puto.

posita illorum quae per tempora evenerunt serie. Alienigenae castrametabantur con-
I Reg. VII. 8 tra Israhelem in Massephat; sic enim in regum libris scribitur *. Cumque in aciem prodirent, omni bellico apparatu instructi, veriti incursum Israhelitae divum adeuntes Samuhelem, rogabant ut pro ipsis preces offerret. Is vero lactentem agnum mactavit, et aquam humi fudit, quae res Christi portendebat mysterium. Hoc autem pro illis oblato sacrificio, tam valida in hostes grando delata est, ut cuncti propemodum ne-
Gr. p. 306. mine contra ipsos pugnante ceciderint. Videtur ergo psalmista, hunc grandinis impetum, abyssum appellare super abysso ruentem: nam invocat dicit pro evocat. Alius enim ex alio fiebat grandinis impetus, ita ut prior alteram provocaret. Voces denique catarrhactarum, merito intelligentur grandinis cum impetu lapsus.

v. 8. **Omnes elationes tuae, fluctusque tui super me transierunt.**

Mox aliud prodigium commemorant; etenim rubrum mare permearunt, Pharaonis improbitatem fugientes: quo tempore fluctuum elationes, id est excelsitates, contra Israhelitas ferri videbantur. Nullatenus tamen nocuerunt. Id significari existimo verbis: omnes elationes tuae, fluctusque tui super me transierunt. Quippe aquae muri instar concretae fuerunt, et sicci transitus copia fuit.

v. 9. **In die mandabit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ipsi.**

Profecto Deus in die, id est manifeste, ac veluti in luce, misericordiam per sanctorum oracula spondet: demonstrat autem, id est conspicuam facit, atque ad effectum perducit nocte, id est clam. Fortasse etiam divini auxilii celeritatem dicere vult psalmista. Sicut enim volens, fluctus mihi hostium concitasti; ita quum volueris me liberare, celerrimum praestabis auxilium: ita ut statim ac servari me imperaveris, nihil obstet quominus ilico gratias tibi agam; nihilque intersit inter mandatum tuum ac meam liberationem. Tertium mox subnectit iam narratis prodigium, cum Rhapsaces Hierosolymam obsidens, universali Deo ceu illam servare impotenti conviciabatur; contigitque ut una nocte CLXXXV. milia cum eo militantium ab angelo occi-
* Is. XXXVII. 35. derentur; postquam Deus praecedente die Ezeciae praedixisset *: protegam hanc urbem propter me, et propter Davidem servum meum: ita ut die quidem promissum fuerit, nocte autem verba in rem collata. Id significat locutio in die mandabit Dominus misericordiam suam, et in nocte demonstrabit. Quum ergo talis tantaque sit Dei providentia, quid ni aequum sit tristitiam seponere, atque in illo spem collocare?

v. 9. **Apud me oratio Deo vitae meae.**

Divus vero Cyrillus (1) facta interpunctione in verbis, et nocte canticum ipsi;
Gr. p. 307. deinde subiiciens: apud me oratio Deo vitae meae, sic versiculum interpretatur: nempe quod iam fide suscepta reiectus ille olim Israhel, ait se precem concepisse pro sua tantum salute, non ob quamlibet aliam temporalem commoditatem. Vel quia antiquitus quidem, vi legis, cruenta sacrificia Deo spondebantur; postea tamen mutata in
* Rom. XII. 1. veritatem umbra, vitam potius nostram Deo consecramus; secundum illud effatum *: exhibete Deo corpora vestra hostiam viventem sanctam. Igitur oratio hoc loco significat promissionem: ut sit sensus hic: apud me, videlicet Israhelem, vitae meae oratio et promissio Deo consecrata est. Deinde subdit orationis verba:

(1) Cyrilli nomen in cunctis, quibus usus sum, vaticanis catenis scribitur vel in marginibus, vel intra paginam ante fragmenta singula: tantaque ego semper diligentia ac religiône me gessi, ut nihil umquam in hoc volumine ponerem coniecturaliter, sed omnia nominis testimonio freta. Attamen interdum, etsi raro, accidit ut Nicetas eclogarius nomen Cyrilli in ipso textu rursus recitet; quod nomen etsi a me poni necesse heic non erat, propterea quod in libro meo cetera omnia Cyrilli aeque erant, nihilominus rem uti scripta erat, ita in librum transtuli.

Dicam Deo, susceptor meus es; quare oblitus es mei? etc. v. 10.

Resumit paenitens populus precem suam, Deum vehementius ad misericordiam provocans. Ego enim, inquit, probe memini ac novi clementiam tuam, repositamque in te spem foveo: tu vero nescio quo pacto mei oblitus es. Age vero cave ne forte in Deo passionem aliquam putes esse oblivionem, sed potius derelictionem existima. Namque oblivio, quae passio humana est, et memoriae detrimentum, in divinam naturam non cadit. Quippe Deus impassibilis immutabilisque est. Hinc etiam interrogat psalmista: cur mei oblitus es? Nemo enim de oblivione, quae involuntaria passio est, diceret: cur? Verum heic exhibetur, ceu voluntaria oblivio, hominis neglectus qui Dei cura indignus sit.

Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi tribulantes me. v. 11.

Facta inimicorum mentione, ipsorum inclementiam saevitiamque vituperat: confregerunt enim, inquit, ossa mea, id est intolerando impetu irruerunt, audacterque insilientes, prorsus me contriverunt. Sed enim adhuc mihi intolerabiliora accidebant convicia ipsorum, mihi adsidue inclamantium, ubi est Deus tuus? videlicet, quis te persecutionibus eripiet? Ubinam ille est, qui se tibi olim auxiliaturum promiserat, in quo omnem spem tuam reposueras? Sane intoleranda est sanctis viris lingua in Deum contumeliosa.

Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi etc. v. 12.

Patientium mos est, adsiduas secum revolvere cogitationes, modo quidem desperationis, modo spei. Id nunc etiam tum paenitens Israhel, tum etiam captivus populus facit: uterque enim diu calamitate sua defleta, rursus imperat propriae animae, ne maerore tabescat, neve turbetur; sed ut spem magis in Deo constituat, eique gratias agat, qui servi assumpta forma, factus est personae nostrae Servâtor, id est pulcrae pacis quam nos inquinavimus. — Mox iterum ad solatium animam suam revocans, nec iam maerore diutius confici volens, sapienter respicit ad fiduciam erga Deum, aitque: quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi; salus vultus mei Deus meus. Porro dictionum harum interpretationem superius iam attulimus. *Gr. p. 308.*

PSALMUS XLII.

Psalmus ipsi Davidi.

Divus Cyrillus ait, superiore in psalmo personam Israhelis introductam fuisse, ceu quae futuram extremis temporibus vocationem suam cognosceret, atque accedere deinceps ad Deum per fidem discuperet. Hoc autem in psalmo ethnici populi inferri ait personam, servari cupientis per fidem in Christum. Vult causam quoque explorare ob quam perierit, quae a diaboli improbitate, et ab impurorum spirituum tyrannide repetenda est: namque hos gentis haud sanctae nomine appellat: vel etiam fortasse intelligit horum ministros, ethnicorum inquam disertos et poëtas: quippe hos iniquos dolososque appellat, utpote deceptores ac mendaces. Ait enim:

Iudica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta etc. v. 1.

Tu, inquam, mihi iudex esto, Domine; qui non ex auditu iudicas, sed scienter ius dicis; meque Satanae aliorumque daemonum importunitati subtrahe. Nam diabolum hominis nomine nuncupat Isaias dicens *: aegyptium hominem, non Deum, sibi opem tulisse aiunt. * Is. XXXI. 3.

v. 2. **Quia tu es, Deus, fortitudo mea etc.**

Resipiscentes illi etiam, qui de circumcisione sunt, Deum fortitudinem suam depraedicant: et qui ex ethnicis crediderunt, hunc ipsum robur suum esse indicant: captivi denique ab alio servari non sperant. Cum vero etiam illi, qui nondum Deo crediderunt, aiunt nihilominus Deum esse fortitudinem suam, tunc dicimus intelli-
Gr. p. 309. gendum esse Deum omnium creatorem, atque omnia conservantem continentemque, pro impertita communi naturae iam inde ab initio gratia. Quod si nonnulli offenderunt, lapsum passi voluntarium, seque procul Deo peccantes removerunt, cultum quoque prae illo creaturae exhibentes, nihil tamen vetat quominus et hi fortitudinem, seu conservatorem suum dicant Deum. Ceteroquin hi ob interpositum peccatum expulsi sunt, adfligente et opprimente eos Satana, et tristitiam iniiciente, ob gratiae dilationem. Nam quo pacto ii laetari possent, qui mox propemodum ob peccatum puniendi erant?

v. 2. **Quare me repulisti? etc.**

Qui se ad Christum optant vocari, id videlicet studiose satagunt; et Dei aversionem cessare orant, ne ipsos diutius Satanas vexet. Captivi pariter gnari, suam olim potentiam a Deo datam fuisse, merito praesentem captivitatem divini repudii nomine appellant. Dicunt autem « quare » non quasi expostulantes aut stomachantes, sed quia calamitas ipsorum ob Dei misericordiam finem debeat nancisci. Quare enim, aiunt, Domine partes tuae non implentur, quae misericordiae sunt; nostra autem calamitas praevalet?

v. 3. **Emitte lucem tuam et veritatem tuam.**

Perspicue his verbis significant universalis nostri servatoris Christi illuminatio-
* Is. XLII. 16. nem. Id enim olim quoque Isaiae voce promisit Deus dicens *: efficiam illis ex tene-
* Is. XLII. 7. bris lucem, et aspera in planitiem redigenda curabo. Quin ipsi filio dicitur *: ecce dedi te in foedus, esto lux gentium, et caecorum oculos resera. Orant profecto eum, qui est in caelis, patrem Deum, ut suum ad ipsos lumen mittat, nempe effulgens divinitus ex ipsius substantia Verbum, quod etiam veritatis nomine indigitant, ut a falsi nominis diis distinguant. Congruum quippe erat, recedentes a prisco errore, atque ad lucem veram properantes, huiusmodi vocabulis uti. Certe et ipse Christus de semet
* Ioh. XIV. 6. ait *: ego sum lux (1) et veritas et vita. Porro lux a veritate substantialiter non differunt, quia id utrumque est filius Dei, sed notione tantummodo: nam quatenus tene-
Gr. p. 310. bris et mendacio liberat, veritas est; quatenus autem ab errore et inscitia, lux est (2). — Ut lux veritasque mittantur rogant, quia his videlicet carent. Captivi vero, ceu qui in tenebris calamitatibusque versantur ac pressuris, harum depulsionem nec non veram firmamque Dei opitulationem, lucis nomine denotant.

v. 3. **Ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.**

Deduxerunt dicunt pro deducent, tempus pro tempore usurpantes. Non enim quasi iam divini luminis participes, veritatemque adsecuti, ab his se deduci adfirmant: sed illud potius aiunt, fore ut, si lumine ac veritate potientur, in sanctum illius montem eiusdemque tabernacula ducantur. Profecto quod heic tempus pro tempore positum fuerit, facile docebit subsequentium versiculorum tenor. Namque iidem homines dicunt, se introituros ad ipsius altare, et illi confessuros. Loci vero sententia haec est:

(1) Ita est in codice A, φῶς *lux*, quum tamen constans lectio Iohannis sit ὁδός *via*.

(2) Fortasse aliqua vocabulorum perturbatio graeco textui accidit, quem tamen retinui. Mallem certe: *quatenus inscitiâ ac mendacio liberat, veritas est; quatenus autem tenebris et aberratione, lux est.*

emitte lucem tuam et veritatem tuam, quae me deducent adducentque in caelestem montem et quae ibi sunt tabernacula. Vel sanctum montem intelligamus ecclesiam; quam sic reapse nominare solent sancti prophetae, ceu in sublimi intellectualiter positam, nihilque humi repens habentem. Nam credentium in Christum multitudo, dedignatur terrestria sapere: et quamquam in terra ambulat, conversatur in caelis.

Et introibo ad altare Dei. v. 4

Quod si forte in ethnicorum persona sermo fit, hoc quoque supra dictis addunt, quod nondum quidem ad Dei altare introiverint, sed tamen vocationis tempore sint introituri ad divinum et sacrosanctum Servatoris altare, id est ad ecclesiam, in qua sanctum purissimumque et incruentum cultum peragimus, et pro tenui compositoque thymiamate, laudationes Deo adferimus, cithara veluti utentes. Eius autem rei fructus quandonam sit exstiturus, probe scientes, Deum alloquuntur ceu qui ipsorum iuventutem laetificet. Iuventutem vero heic haud corporalem cogitemus, sed intellectualem potius, illam inquam quae per mentis renovationem a Deo perficitur. Exuite, inquit scriptura *, veterem hominem erroris concupiscentiis corruptum, et induite novum qui a Deo in sanctitate et iustitia conditus fuit. De quo etiam psalmista dicit *: renovabitur ut aquilae iuventus tua, in qua nimirum quispiam laetatur dum pietatis opera exsequitur.

* Coloss. III. 9.
* Ps. CII. 5.
Gr. p. 311.

Confitebor tibi in cithara etc. v. 4.

Citharam corpus dicit, per quod natura comparatum est ut mens canat, sensuum veluti chordis harmoniam Deo conficientibus (1). Significat etiam cithara corporis mortificationem, virtutumque symphoniam. Nam mortificatio, fidibus; virtutum symphonia, harmonicis sonis innuitur. Denique laetitiam quoque psalmista significat citharae vocabulo; amorem autem, repetita exclamatione: Deus Deus meus; ut scias, hunc scilicet universalem Deum, tum a circumcisis paenitentibus tamquam suum peculiarem Deum zelo ac fide credi, tum etiam ab illis qui de gentibus ad fidem accesserunt: quorum spiritalis quoque iuventus laetatur, veteri homini contraria. Solus enim qui spiritu ac mente iuvenescit, prout congruit novo homini ac spiritus novitati, ad Deum ingreditur qui huiusmodi iuventam laetificat.

Spera in Deo. v. 5.

Pro spera, scripsit « expecta » Symmachus. Sic enim dicere poteris: expectans expectavi Dominum, et adtendit mihi. Item: spes autem non confundit. Cur autem maerendum sit, tantis bonis speratis? Adhuc enim modicum, et qui venturus est veniet, et non demorabitur, qui lux est et veritas.

PSALMUS XLIII.

In finem, filiis Core, ad intellectum. v. 1.

Quum idem sit titulus qui XLI. psalmi, idemque argumentum, quisnam sit psallentium scopus, dicere opus est. Ergo his personam imponemus hominum qui inreprehensibiliter in lege vixerint, recteque admodum laudatae illius vitae instituta observaverint: cuiusmodi erat divus Paulus dum scriberet *, sine querela se fuisse secundum legis iustitiam. Aliis tamen melius videtur verba intelligere secundum priorem editionem Eusebii caesariensis (2). Ergo decet hunc psalmum dicere vel in persona prophetarum, vel eorum qui sine culpa legalem cultum observaverunt.

* Philip. III. 6.
Gr. p. 312.

(1) Ita etiam S. Gregorius nyssenus apud nos p. gr. 142, et lat. p. 90.

(2) Hoc loco priorem, psalmo autem XLIV. 2. p. 200, posteriorem Eusebii editionem commentarii in psalmos, nominat Cyrillus. Hactenus autem unam noveramus.

v. 3. **Et plantasti eos.**

Tamquam de vite, dictum est fuisse plantatos. Vitis reapse luxurians Israhel. Et vitem ex Aegypto transtulisti, populos adflixisti atque expulisti.

v. 4. **Dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui.**

Dum verba addunt « et illuminatio vultus tui » sancti Spiritus vim, ut par est, commemorant. Nam Dei patris facies filius est, imago ei simillima, et substantiae figura. Illuminatio autem ex eo emissa in cor mentemque vocatorum ad redemptionem, sapientia intelligitur quae ad Deum illuminatos adducit. Ergo peractam aiunt Israhelis redemptionem, immo et victoriam de gentibus, Dei patris omnipotente manu seu brachio, nempe filio, sanctique Spiritus illuminatione. Nam Servatorem, id est Verbum in principio apud Deum existens, variis sensibus manum Dei, dexteram, brachiumque appellant divinae scripturae, nec non etiam Dei sapientiam, iustitiam, sanctificationem, virtutem; ita ut diversa sint nomina subiecti unius. Isaias itaque ait *: quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? David autem heic ipsum non brachium tantummodo nuncupat, sed et dexteram manum. Dicti vero sententia est, nempe reiecto post Servatorem proditum Israhele, nos ethnicis natos in divina sacrarum scripturarum doctrina plantatos fuisse. Haud tamen brachium nostrum aut opera nos servavit, sed gratis salutem obtinuimus. Non enim ex operibus sed ex fide iustificati in Christo sumus.

* Is. LIII. 1

v. 5. **Tu es ipse rex meus et Deus meus, qui mandas salutes Iacob.**

Symmachus ait: tu es rex meus, Deus, manda de salute Iacob. Haec iustis de populi classe, nec non prophetis conveniunt, qui haud sua servari se virtute fatentur. Alio quoque modo intelliges. His verbis « tu es ipse rex meus et Deus meus » fateri videntur ipsum semper eumdemque esse. Quandoquidem ergo opem fert Israheli is qui omnipotens invictusque est, neque nobis licet vereri quominus eius vires deficiant, sequitur ut nihil aliud nisi de nostro peccato cogitemus: cuius causa et despecti fuimus et excidimus, ita ut iam unica supersit de tua clementia ac bonitate spes. Tu enim es qui mandas salutes Iacob, id est polliceris. Etenim promisit Deus Abrahamo posterisque eius, servaturum se universam ex eo natam propaginem. Scriptum insuper est *: angelis suis de te mandabit, ut te in omnibus viis tuis custodiant. Vel dic: manda, id est innue, tantummodo, et populus tuus salute perfruetur.

Gr. p. 313.

* Ps. XC. 11.

v. 6. **Te opitulante, inimicos nostros cornu ventilabimus.**

Cornigera animalia, armorum loco cornu a natura acceperunt; nos vero salutis cornu, et victricia arma, tuum nomen habemus. Equidem aliis armis nequaquam confido; nam tuam sum expertus potentiam, quum te fretus inimicos meos iam devicerim. — Sanctorum cornu Dominus est. Apud Danielem tamen cornua significant regna. Atque alibi dicitur *: protector meus, et cornu salutis meae. Cur ergo alibi ait scriptura *: et extollet cornu populi sui, quasi cornu aliud quid sit ab illud extollente? Sine dubio populi cornu est Dei Verbum a patre elevatum, postquam illud depresserat (1). Ideo Deus ipsum superexaltavit, ut ait apostolus *. Huic itaque cornui regique nixam aiunt salutem suam, non propriae virtuti. Idcirco addunt: et in Deo laudabimur tota die; vel apud Aquilam, gloriabimur; vel apud Symmachum, iubilabimus. Aiunt denique se ei confiteri, consueto scripturae more pro gratiarum actione dicentis confessionem.

* Ps. XVII. 3.

* Ps. CXLVIII. 14.

* Philip. II. 9.

(1) Animadvertant sacri critici hoc quoque psalmistae vaticinium, iuxta religiosissimi Cyrilli interpretationem.

Et in nomine tuo spernemus insurgentes adversus nos. v. 6.

Nomen eius, quo adversarii spernentur, gloriam significat. Namque ut glorificaretur Deus, data fuit potentia. Redemit itaque Deus Israhelem de manu Aegyptiorum, fama insuper inclyta ipsum coronans. Quamobrem etiam Pharaoni dixit *: ob id ipsum te excitavi, ut in te meam ostendam potentiam, atque ut nomen meum in universo orbe nuncietur. Alibi quoque per unum de sanctis prophetis dixit Deus *: filiorum autem Iudae miserebor, eosque salvabo in domino Deo ipsorum. Non, inquam, salvabo eos arcu, vel gladio, aut bello, aut curribus, aut equis vel equitatu.

* Exod. IX. 16. *Gr. p.* 314.

* Os. I. 7.

Nunc autem repulisti et confudisti nos. v. 10.

In suum veluti corpus recipiunt, qui ita loquuntur prophetae, peccantis populi mala. Patres quidem nostri haec nobis narraverunt. Ideo medium heic diapsalma (1) est, ob significandam rerum mutationem. Nunc contraria omnia videre est; namque in bellis ope destituis; non enim cum exercitibus nostris in aciem prodiisti.

Nec fuit multitudo in vociferationibus eorum. v. 13.

Vociferatio, seu clamor, triumphalis est vox eorum qui vicerunt. Quia vero pauci fuerunt qui id agerent, ideo dicimus non fuisse multitudinem in clamoribus eorum. Victi itaque fuimus atque direpti ab hostibus, et quidem numero paucis; non enim fuit multitudo in vociferationibus eorum. Quasi dicat: in tantum malorum venimus, adeoque incomparabilis calamitas nostra fuit, ut victi captique fuerimus absque multo hostium numero.

Posuisti nos parabolam finitimis nostris. v. 15.

Quid est parabola? narratio, exemplum, convicium. Namque et ii qui a nobis absunt res nostras narrant. Etenim Israhelitae in captivitatem redacti, et dominorum violentiae addicti, execrationibus erant obnoxii, dicentibus illis, ut verisimile est: ne fiamus ut Israhelitae!

Et declinasti semitas nostras a via tua. v. 19.

Secundum divum Cyrillum, locutionem « declinasti semitas nostras a via tua » intelliges ita. Quia Israhel fidem praedicationi Christi non praebuit, amisit etiam facultatem recte exercendi legalem cultum; cessavit enim legis umbra, transieruntque in veritatem typi. Hoc docent aientes: declinasti semitas nostras a via tua. Dicit autem alicui etiam per unum e prophetis de Hierusalem *: ecce ego impediam viam illius sudibus, obstruamque eam maceria, semitam suam non inveniet. Certe iam Iudaeorum synagoga placendi Deo rationem prorsus nescit. Sed etiamsi forte cognosceret, haud pervium negotium habet; quippe quae Christum ignorat viae demonstratorem, per quam ad vitam quispiam perveniat. Haec ergo aiunt, quia postquam impii adversus Christum fuerunt, cultum quoque legalem amiserunt. Iamque antea diximus, prophetas hanc orationem recitare ex populi persona, proprias sibi facientes eas quae acciderant ob illius peccata adversitates. Secus enim, quomodo mox dicerent, se neque Dei oblitos, neque adversus foedus eius egisse, aut cor suum retro avertisse, et tamen Dei aversionem expertos esse, iraeque eius damna sensisse? Namque aut mentiuntur dum se violasse Dei foedus negant, aut divina iudicia non mediocriter improbant, quasi immerito puniti sint. Ergo prophetae, iusti licet, et legis custodes utpote israhelitae, passiones sibi imponunt pebeiae multitudinis, quae in Christum insaniit; et peccantium supplicationes faciunt, satis gnari solere omnium dominum mi-

* Os. II. 6. *Gr. p.* 315.

(1) Recole dicta a nobis ad ps. III. p. lat. 94. adn. 2.

sereri multorum quoque reorum, ob paucos iustos. Ac veluti peccante in deserto
* Num. XVI. 46. olim populo, ideoque ruinae addicto, sumens Aaron thuribulum * obtulit pro illo incensum, et placatus est Deus plebi ob sacerdotis oblationem; sic etiam qui pii sunt in populo, rationale suum sacrificium offerunt pro eodem populo deprecantes, bonaque sua exhibentes, hostiae instar, opera. Certe haec dicere non erat plebis officium, quae ut peccatrix inimicis suis tradita fuerat: sed sicuti in se prophetae receperant plebis peccata, sic sua ei communicata volebant merita. Consectaneum quippe est, ut uno membro patiente, cetera omnia compatiantur; glorificato autem, congaudeant.

v. 22. **Nonne Deus requiret ista? Ipse enim abscondita cordis novit.**

Ipsum invocant testem sermonum et cogitationum, quod nempe eos nulla res a recta religione averterit. Etenim nomini tuo confidentes, aiunt, gloriamur. Scis etiam cuiusmodi sint cogitationes nostrae, dum quotidie ob veram religionem mortificamur. Siquidem ille, qui suo proposito statuit in singulis tentationibus pro veritate mortem
Gr. p. 316. oppetere, iam instar mortui est: quod etiam Paulus, varias tolerans tentationes aie-
* I. Cor. XV. 31. bat *: quotidie morior, sane per vestram gloriam! In occultis itaque nostris quotidie mortificamur; et quia semel nos ipsos sacrificium pro populo obtulimus, hoc mente patimur. Ergo veluti haec passi, te ad nos revocamus, et quasi his malis indormientem suscitamus.

v. 27. **Exsurge Domine, adiuva nos, et redime nos propter nomen tuum.**

Eam, quae postremis temporibus futura est, Israhelis conversionem et vocationem, his versiculis nobis significant, addentes sermoni suo, id est suis ad Deum precibus hoc quoque « propter nomen tuum; » manifeste confitentes indignos se quidem misericordia, qui ob suam inscitiam cornu adversus Christum exacuerant. Ceteroqui Deum decere misericordiam, et iram adversus humanam fragilitatem non continuare, sed potius ad clementiam suimet gratia flecti. Quare et per unum e sanctis prophetis
* Ezech. XXXVI. 22. dixit *: non propter vos, ait Dominus, sed propter nomen meum id ago.

PSALMUS XLIV.

v. 1. **In finem, pro iis qui commutabuntur, filiis Core, ad intellectum (1), pro dilecto.**

Canitur hic psalmus in finem; continet enim narrationem, seu proclamationem, mysterii de Christo, quod in praesentis saeculi consummatione evenit. Sic enim nobis apparuit filius. Canticum autem pro iis qui commutabuntur, et pro dilecto, compositum dicitur. Commutatos porro Iudaeos pariter ethnicosque dicimus, atque in unum
* Ephes. II. 15. coaluisse dilectum populum ex duobus, per vocationem. Namque ut Paulus ait *, populos duos in uno instauravit Christus novo homine.

v. 2. Gr. p. 317. **Eructavit cor meum verbum bonum** (2).

Heic mecum considera Verbi Dei ex substantia patris Dei processum et generationem, non tamquam corpus e corpore, sed sine compositione, immaterialem, in-

(1) Confer titulum psalmi XXXI. p. 144, ubi hanc dictionem in adn. 5. explicavimus.

(2) Psalmum hunc constanter Hebraei aeque et Christiani de Messia dictum adfirmant. Certe et Cosmas indicopleustes topogr. christ. lib. V. ed. p. 224. tertium hunc dicit ex quatuor (nempe II. VIII. XLIV. CIX.) quos David de Christo tantummodo, aliud nullum argumentum admiscens, scripsit: quod ceteroqui Cosmae iudicium iniustis plane limitibus esse restrictum, nemo criticus pius bonusque non existimabit. Nam totum ferme psalterium a patribus etiam vetustissimis ad Christum referri videmus. Ecce autem sanctus quoque Gregorius nyssenus eum, quem nos ex vat. cod. edidimus, sermonem contra Arium atque Sabellium ab hoc vocabulo exorditur: *eructavit cor meum Verbum bonum. Hoc bonum Dei Verbum Arii et Achilliae sectatores scelestissimâ blasphemiâ ausi sunt rem creatam factamve dictitare* etc.

tellectualem, ceu Verbum ex mente, sine ulla partitione vel divisione. Quis enim separabit a corde seu mente Verbum, quod in ipsa est, et ex ipsa, semperque cum ipsa? et quidem sic separabit, ut extra ipsam omnino sit? Videtur enim quodammodo quod pronunciatur perque linguam profertur verbum, aliud quid esse ab eructante ipsum corde; sed prodit quidem ex eo, attamen in eo est, neque alienum ab eodem est. Non enim fieri potest ut mens seu cor verbo umquam careat: neque item ut sit verbum, quin extet ex mente atque in mente, sive in corde et ex corde (1). Igitur, velut exempli gratia, cor verbumque in Deo admittentes, mentis nostrae oculum ad ea quae sensibiles res excedunt intendamus, Deique Verbi generationem digna Deo ratione factam credamus; quod sane pater verbi instar ex corde eructavit. Bonum autem illud appellat, et certe rectissime, ob propositum sibi scopum. Nam quia pro mundi salute ac vita, voluntariam exinanitionem pati voluit, pro sua congenita bonitate, Deoque digna clementia, necesse erat nunc maxime boni epithetum ipsi adtribuere: namque simul et lux est et vita et sapientia et virtus. Profecto, ut dixi, in excelsitate gloriaque divinitatis filius versatur; sed simul ac semet exinanivit, humanitatis modulum patitur. Decet autem hominem ea discere velle quae nescit. Nam quatenus Deus, inspirat hominum mentibus omnem boni notitiam, atque ita fiunt admonitionibus eius sapientes.

Videsis ergo in his, loquentem filio ceu iam humanato patrem: dico ego opera mea regi. Promittit enim propemodum docturum se eum, quibus uti debeat sermonibus; simul nos impellens ut illius opera aemulari velimus. Opera vero Dei dicimus religiosam vitam, et sanctarum actionum tenorem, quarum ratio ex evangelica doctrina nobis innotuit. Dixit enim Servator *: « a me ipso nihil facio; sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam et quid eloquar. » Et rursus *. « Verba, quae ego loquor, non sunt mea, sed eius qui misit me. » Scribit etiam sapiens Iohannes de eodem *. « Qui credit in filium, signavit Deum esse veracem. Quem enim Deus misit, is verba Dei loquitur. » Nam postquam discussa legis umbra, semet ipsum dixit esse veritatem, docuitque adorationem cultumque in spiritu et veritate; ne forte Iudaeis, hi praeter Dei voluntatem viderentur fieri sermones, personae Dei patris prudenter, ut dixi, suas accommodat voces. Illud quoque meminerimus, Deum in monte Horeb congregato Israheli denunciasse de Christo dicentem hierophanti Moysi *: prophetam eis suscitabo ex ipsorum fratribus, tamquam te: daboque verba mea ori eius, qui loquetur illis quaecumque eidem mandavero. » Denique etiam Christus alicubi dicit *: « pater diligit filium, et omnia demonstrat ei, quae ipse facit: quin et maiora demonstrabit ei opera, ut vos miremini. » Nam quod pater filio opera ostendat, dicet fortasse aliquis non esse alienum ab humanae conditionis humilitate; certe id exinanitionis scopo congruit. Sed praeclare admodum filium pater appellat regem, ne is forte intra humanitatis modulum continere videatur insitae sibi naturaliter dignitatis et summae excelsitatis mysterium. Etiamsi enim factus est in terra homo, nihilo tamen minus, quia aeternaliter genitus a rege patre fuit, rex manet in naturali celsitudine sua, digna Deo videlicet, et omnem creaturam superante.

* Ioh. XII. 49. Gr. p. 218.
* Ioh. VII. 16.
* Ioh. III. 33.
* Deut. XVIII. 18.
* Ioh. V. 20

Lingua mea calamus scribae velociter scribentis. v. 2.

Alio adhuc modo nobis Deus pater natum de sua substantia Verbum demonstrat. Linguam enim suam illud appellat, non sane diversum quid loquens, sed ea quae

(1) Confer Augustinum de Trinitate lib. IX. 12.

in ipso sunt: quod quidem nostra quoque lingua facit, quae latebant in mente et corde, extra deferens. Et velociter scribentis calamum dicit ipsum, namque huiusmodi calamus velociter paginis imprimit quorumlibet voces. Iam vero unigenitum Dei Verbum id ipsum exsequitur, credentium cordibus intellectualiter imprimens magnam

* Gr. p. 319. sapientem veramque patris voluntatem. Quaenam vero sit patris voluntas, ipsum Ver-

* Ioh. VI. 39. bum in evangeliis declarat dicens *: « ut omne quod dedit mihi pater, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. » Sed et alio modo scribit in nobis voluntatem patris bonam et bene placentem. Est igitur velox magnopere patris calamus. Nam Moysis certe lex longo circuitu multisque molestiarum ambagibus, litterâ inquam creatis, exiliter et vix quae frugi erant demonstrabat: universalis vero Servator et dominus, sine ullo ambitu, actutum nobis revelavit patris voluntatem. Est enim magni consilii angelus. Alicubi etiam per sanctum prophetam quemdam dixit

* Hier. XXXI. 33. de vocatis ad fidem *: « diebus illis, ait Dominus, dabo leges meas in mentem eorum, et in eorumdem cordibus scribam ipsas. » Scribit vero ad eosdem vocatos Pau-

* II. Cor. III. 2. lus quoque sapientissimus *: « epistola nostra vos estis, agnita et lecta ab omnibus hominibus; manifestati quod epistola estis Christi, ministrata a nobis, et scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi. » Age vero hic calamus, praeter quam quod celer est et velox, excellit etiam pulchritudine prae filiis hominum. Promulgavit quidem priscis hominibus divus Moyses legem per angelos ministratam: narrarunt iisdem etiam prophetae revelationes Dei: verum enimvero pulcher demum fuit prae filiis hominum, patris calamus. Nam quis sanctorum comparabitur Christo? nemo omnino. Quam ob rem illa etiam in cantico canticorum introducta sponsa, ecclesiae personam gerens, quamquam ei licebat sapientissimi Moysis et sanctorum prophetarum adire scriptu-

* Cant. II. 14. ras, nihilominus Christi verba adpetebat, aiebatque *: « ostende mihi faciem tuam, audire me fac vocem tuam; quia vox tua dulcis, et facies tua decora. » Similia, ad sententiam quod adtinet, dicit in secunda sua expositione Eusebius caesariensis, etsi

Gr. p. 320. haud tantis scripturarum testimoniis utens. – Cognitiones scribit in nobis Spiritus, pro capacitate seu latitudine cordis nostri, plures vel minores; perspicuas omnibus vel obscuriores, pro puritatis nostrae praevio statu.

v. 3. **Speciosus forma prae filiis hominum.**

Quum Deus in superioribus versiculis primas partes egerit, vindicat sibi revelationem chorus prophetarum, plauditque quodammodo patris sermonibus, suaque adprobatione mysterium commendat, et divini amoris vi percitus exclamat: quoniam tibi inest formositas prae reliquis filiis hominum, confitemur diffusam esse gratiam in labiis tuis. Idcirco benedixit tibi Deus in aeternum. Porro « benedixit » ait pro « benedictum effecit. » Laudamus enim incessanter, qui credidimus; laudabitur quoque in perpetuum, quum sit Deus verus, filiusque Dei cuncta excedentis, idemque rex gloriae. Quod si quis dicat, datum esse filio a patre ut a nobis benedicatur (1), hoc velim reputet: nam sicuti, postquam factus est homo, dedit ei pater nomen quod est super omne nomen, ut in nomine eius omne genu flectatur caelestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur dominum esse Iesum Christum; ita etiam benedicti titulus a Deo datus illi dicitur, quia ab omnibus benedicitur. Atque id scilicet exinanitionis natura fert; nam quae Deus naturaliter habet, ea humanitus accipere dicitur (2). Sed ob aliam quoque causam oportebat filium, hominem

(1) Videtur haec una ex obiectionibus Arianorum.

(2) Animadverte pulchram Cyrilli theologiam.

factum, et alterum dictum Adamum, novamque in orbe constitutam radicem, a patre benedici quatenus homo erat, ut cessaret deinceps vis maledictionis terreno homini inflictae, ei nempe qui prima humani generis radix fuerat, id est Adamo. Nam sicut in illo maledicti fuimus (1), ita in Christo benedicti; a quo in universum genus traducta fuit ea quae ipsi ut homini data fuerat gratia. Qua super re gaudio elatus exclamabat melodus *: benedicti nos a Domino qui fecit caelum et terram. * Ps. CXIII. 23

Accingere gladio tuo super femur tuum, o potens, specie tua et pulchritudine tua. v. 4.

O Domine, aiunt, praeter tuam supra omnes incomparabilem formositatem, gladio etiam accingere, haud sane alieno sed tuo. Nihil enim alienum aut adscitum in Christo esse adfirmamus, sed eius iure credi propria quae Deum decent . . . potens est enim, id est potestatum dominus; neque aliunde potentiam accepit, sed insitam naturaliter habet, cum reliquis Deo convenientissimis ornamentis (2). Est sane formosus iis qui eum diligunt, eiusdemque adventum agnoverunt, quique mentis oculis intueri valent infinitam eius et supermundialem pulchritudinem. Habet autem accinctum lateri gladium, ut adversariorum phalanges terreat, aut etiam incredulorum audaciam compescat, ultionem illis poenamque minitans. Hoc enim alibi quoque dicit psalmista *: nisi conversi fueritis, gladium suum splendificabit: en arcum suum intendit paravitque; ibi mortis instrumenta disposuit; sagittas suas ardentibus effecit. (Gr. p. 321.) * Ps. VII. 14.

Et intende, et prospere age, et regna, propter veritatem et mansuetudinem ac iustitiam. v. 5.

Prospere age dicit, pro iube cuiuslibet boni operis rectum iter tenere eos, qui tuam doctrinam sectari decreverunt, atque ita regna super prospere agentes. Cernere autem est multam huius sermonis connexionem atque sequelam. Nam quum nemo prorsus per viam veluti rectam ad Dei beneplacitum pergere posset, opprimente diabolo, idcirco opportunissime primo arcum intendit, ut amoto diabolo eiusque sociis, qui bonae sanctorum voluntati adversantur, possint hi deinceps prospere agere, puraque via incedere, oppugnante ac resistente nemine, quominus regni Christi iugum subire queant. Recte ergo aiunt primo intende, deinde prospere age, mox tertio loco regna. Addunt etiam: propter veritatem et mansuetudinem ac iustitiam. Mansuetudinem, ut reor, immo etiam veritatem ac iustitiam, nihil aliud esse dicentes quam evangelicam doctrinam per quam Christo subiecti sumus: etenim per hanc universi orbis is regnum obtinuit. Est autem veritas, quatenus typos vincit et umbram mosaicam, nudeque et sine involucris mysterium Christi docet. Mansuetudinem quoque nominat, quia legis caret severitate. Namque, ut Paulus ait *, qui Moysis legem irritam fecisset, is sine miseratione sub duorum vel trium testimonio necabatur. Alio quoque sensu evangelica doctrina mansuetudo dicitur: facit enim mansuetos qui Christo credunt, non ultores neque iracundos, neque oculum pro oculo, pedem pro pede, manum pro manu repetentes; sed percutienti potius dextram maxillam, suadet aliam exhibere; imitantes eum qui dixit *: discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Quod si quis etiam dicat, Christo ipsi veritatem omnimodam inesse, quippe qui nullam Deo dignam qualitatem desideret, immo et summa mansuetudine iustitiaque sit praeditus, haud a vera interpretatione aberrahit. Nam reapse tum cetera omnia continentur evangelicis praeceptis, tum etiam iustitia. His enim sancti et inreprehensibiles efficimur. (* Hebr. X. 28. Gr. p. 322.) (* Matth. XI. 29.)

(1) Adhuc de peccato originali.

(2) Contra Arianos de filii vera divinitate, pro qua ubique totisque viribus Cyrillus pugnat.

v. 5. **Et deducet te mirabiliter dextera tua.**

* Rom. XI. 33. Divus Paulus mentis suae oculum in res divinas intendens, o altitudo, inquit *, divitiarum et sapientiae ac scientiae Dei! quam inscrutabilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius! Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Nihil enim ei prorsus deest, quominus sine dubio recteque quae sunt adseclis suis utilia pervideat, ita ut ipse sibimet dux in omni re agenda sit. Solus quippe cuncta novit, et lux cum eo est, atque in eo sunt omnes reconditi sapientiae ac scientiae thesauri. Quid ergo Christo aiunt sancti? deducet te mirabiliter dextera tua. Nam tibi quae sunt apta mortalium saluti consideranti, nemo nostrum, nemo item caelestium, consiliarius erit: huic enim rei sola sufficiet dextera tua. Neque vero his verbis diversum quid esse ab eo dicunt dexteram eius seu potentiam, sed dum aiunt « dextera tua, » sive magnificentia, nihil diversum ab eo intelligi oportet. Sic ergo etsi dextera tua, id est potentia, ab iis dicitur, ipsum solum per periphrasin denotant. Scit enim, scit, aiunt, dextera tua, quibusnam debeat gladium inferre; vel contra quos ineluctabilem arcum intendere: quibusnam item congruat prospere agere, Gr. p. 323. et iugo tuo colla subiicere, ut te unum confiteantur Deum et regem, servatorem ac redemptorem.

v. 6. **Sagittae tuae acutae, o potens; populi sub te cadent; in corde inimicorum regis.**

Nullus Dei hostis aut superbus sub Deo procidit, sed illi potius qui per fidem subditi facti sunt. Sagittae ergo potentis, id est Christi, sunt apostoli. Inimici autem regis, id est Dei patris, Satanas et quilibet divinis dogmatibus adversantes. Confixo itaque Satana, vulneratoque spiritalium inimicorum corde potentis sagittis, procidegunt populi ad Christi pedes, et iugo regni eius subiecta colla obtulerunt. Nam sacri magistri feriunt quidem errantes verumque Deum ignorantes, non tamen eos leto * Cant. V. 8. dant sed Christi amori, ut sub eo concidant, dicantque: vulnerata amore ego sum *. Viden pulchrum belli successum, illorum scilicet qui antea resistebant conciliationem? Namque huiusmodi casus, ascensionis origo fit et instrumentum.

v. 7. **Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi; virga aequitatis virga regni tui.**

Animadverte igitur, quod Deum appellat illum qui humanatus est, eique celsissimum thronum attribuit. Deus enim erat in specie humana (1), neque ob hanc ab eo, quod erat, exciderat; sed in sua potius sublimitate manebat, virgam insuper rectitudinis habens. Virga vero, regni quoque symbolum est; nam regnat cum iustitia Christus. De hoc et de doctoribus sanctis dixit quidam sanctus propheta *: « ecce rex * Is. XXXII. 1. iustus regnabit, et principes cum iudicio imperabunt. » Itaque a terrenorum regum exemplo qui sceptra gestare solent, sermo figuratur. Sciendum est autem, Christum ipsum saepe virgam nuncupari in divina scriptura. Quia vero mixtus sermo de Christo esse solet, propter divinam nempe naturam, et incarnationis dispensationem, ideo rursus ad Christi humanitatem respiciens David ait:

v. 8. **Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus etc.**

Apud divinam scripturam multa huiusmodi comperiuntur de Deo patre dicta, * Ps. X. 8. nempe: iustus Dominus, et iustitiam dilexit *. Et rursus: odisti omnes operantes ini- * Ps. V. 7. Gr. p. 324. quitatem. Denique *: ego sum Dominus iustitiam diligens, et iniustas rapinas odio ha- * Is. LXI. 8. bens *. Ergone, quoniam idcirco dicit magnum Dominum, quia iustitiam diligit, et odit iniquitatem, mercedis loco Deo patri continget magni titulus? fietque ei virtutis

(1) Perfecta domini nostri Iesu Christi definitio contra Arium.

remuneratio, propterea quod haec diligit, illa odit? Nemo, inquam, ita insaniat. Sicut ergo de patre haec pie intelliguntur dicta, ita de filio quoque dicta credantur. Namque ad archetypum imago, archetypum vicissim ad imaginem refertur. Deinde, quia, inquit, utpote Deus, peccare nescis, iustitiam enim diligis, et aversaris iniquitatem, inaccessam malitiae ut ita dicam naturam habens, propterea unxit te Deus, Deus tuus. Unctus fuit enim filius in pontificem et apostolum confessionis nostrae *, quo tempore factus est homo, ut nos ad Deum patrem adduceret fidei erga ipsum odore fragrantes. Iamvero ungitur oleo laetitiae, ut de sancti Spiritus gratia cogitemus, quae nos ad alacritatem perpetuamque laetitiam transfert. Nam etiamsi in Christo id factum dicitur, res tamen dispensationis mysterio abundat. Est enim sancti Spiritus dator filius, quia ipsi naturaliter quicquid pater habet inest (1). Recepit autem humanitus Spiritum ipse quoque nobiscum, quum apud nos versaretur, haud sane quicquam sibi adiungens, quatenus Deus Verbumque intelligitur, sed in se ipso apprime humanae naturae exhibens laetitiae Spiritum. Ubi enim est divinae naturae participatio, et adoptionis gratia, et vitae aeternae in caelesti regno promissio, ibi sine dubio versatur laetitia. Verumtamen prae consortibus suis unctus fuit Christus: nos enim arrham tantummodo Spiritus in nobis recepimus; ut autem Paulus dicit *, omnis plenitudo divinitatis in Christo intelligitur (2) corporaliter. Quamobrem sancti homines aiunt, haud partim dari ab eo Spiritum, sed confitentur potius ex plenitudine eius se accipere.

* Hebr. III. 2.

* Coloss. II. 9.

Quandonam vero unctus fuit Christus? Tum scilicet quum in columbae specie venit Spiritus super eum. Tunc nomen etiam novum recepit, iuxta prophetae oraculum *. Dixit enim, eum fore appellandum nomine novo, quod ei Dominus imponet. Namque ante quam fieret homo, simplex carensque carne Verbum nuncupabatur, prout Deum decet, lux, vita, et similibus titulis. Post incarnationem autem, cuius dispensatio susceptae unctionis vi continetur, unctus iam a patre novum nomen recipit, id est dicitur Christus (3). Is enim quamquam aliis, utpote Deus, sanctitatis est dator, nobiscum sanctificatur secundum humanitatem, in quam gratia cadit, et sanctificatio carnis suapte quidem natura non sanctae, sed quatenus tantummodo Deum participat. Discipulos vero fratres appellavit, et consortes sibi fecit. Sanctificat enim Deus, suo ungens spiritu, illos qui facti sunt sui participes per fidem.

Gr. p. 325.

* Is. LXII. 2.

Myrrha et stacte et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiae regum in honore tuo. v. 9.

Vestimenta Christi existimandi sunt familiares eius, ac veluti adhaerentes et stipatores, per fidem et sanctificationem et spiritalem necessitudinem. Domos eburneas hoc loco dicit ecclesias. Nam graece *βάρις* dicitur quaevis turris: elatas vero esse turrium instar ecclesias dicimus Christi vi ac gratia; sunt enim super petra fundatae. Eburneae demum dicuntur, id est splendidae, pretiosae, pulcherrimae. Hae quippe insunt iis dotes, cuiusmodi et confectis ex ebore vasis. Haec autem ex ebore aedificia, filiae quoque regum dicuntur. Cur, quave ratione? Filii nimirum regni quum essent divi discipuli, iure meritoque reges quoque appellari queunt. Iam hi patres sunt ecclesiarum, quas per evangelium sacrasque praedicationes genuerunt. Namque hoc beatus quoque Paulus dicit *: etenim in Christo Iesu per evangelium ego vos genui. Ex

* I. Cor. IV. 15.

(1) Recole p. gr. 324. adnotationem nostram de Spiritus sancti processione etiam a filio.

(2) Ita Cyrillus graece νοεῖται. Vulgo tamen graeci et latini *inhabitat*.

(3) De Christi nomine paria dicit Cyrillus in capitulis de incarnatione, quae nos edidimus, cap. XXX. Similiter idem Cyrillus initio scholiorum de incarn. ed. Aubert. T. V. part. 1. p. 779.

vestimentis itaque tuis, et ex aedificiis eburneis, id ex ecclesiis pulcherrimis, effluit myrrha et stacte et casia, id est odorum spiritalium omne genus. His enim aroma-
Gr. p. 326. tibus, sive spiritalibus odoramentis, regum filiae te delectarunt in honore tuo, id est tempore quo te honorari ab ipsis oportebat. Nam cum vocatae fuerunt, tunc et honorarunt. Porro sciendum est, ex legis mosaicae praescripto, sacri olei compositionem, quo ungebantur tabernaculum, sacra vasa, et vocati ad ministerium homines, ex praedictis aromatibus confici solitam.

v. 10. **Adstitit regina a dexteris tuis.**

Dispersas per universum orbem ecclesias, nunc unam appellat, propterea quod ad unum dominum pertinent, unam habent fidem, unumque pariter salutarem baptismum. Non enim ambiguitate dogmatum scinduntur; ita ut quamvis sint innumerae, una tamen appelletur (1).

v. 11. **Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam.**

Reginam erudiunt, et sapientissimam efficere satagunt pronubi, et quaecumque eam iucundissimam sponso redditura sint, eidem occinunt. Atque horum sermo debito ordine heic procedit. Nam primo nos oportet audire, id est loquentem admittere, eiusque doctrinam patienter auscultare: mox audita considerare: post haec inclinare aurem, id est exhibere deinceps omnimodam obedientiam. Filiam vero vocant ecclesiam, utpote ab ipsis exornatam superno caelestique sponso, id est Christo. Etenim Deo cooperantur Dei ministri, dum ei per fidem sacrumque baptismum universum orbem reconciliant.

v. 12-13. **Et obliviscere populum tuum, ac domum patris tui; et concupiscet rex decorem tuum, quia ipse est dominus tuus. Et adorabunt eum.**

His verbis apte admodum et perspicue ecclesiam ex gentibus congregatam innuit prophetarum sermo. Non enim dixisset Spiritus sanctus Israhelitis verba: obliscere populum tuum, et domum patris tui: accedentibus autem ad fidem ethnicis merito dicuntur; quandoquidem insipientes eramus et irae filii, patrem diabolum habentes, cunctusque populus noster atheus erat et idololatra. Quia ergo ex his conflata est per orbem ecclesia, iure sermo ad ipsam dirigitur: obliviscere populum
Gr. p. 327. tuum, et domum patris tui, et veni in regionem quam tibi sum monstraturus. Observatur adhuc apud nos consuetudo haec, ut qui ad veritatis cognitionem convertuntur, oblivisci quodammodo domum prioris patris, et proprium populum debeant. Nam ingressos ad salutarem baptismum, et deinde ad occidentem conversos, clamare admonemus: abrenuncio tibi, Satana, et omnibus operibus tuis, et cunctis angelis tuis, et omni pompae tuae, et universo cultui tuo (2). Iam quam mercedem Christi filia his peractis sit consecutura, mox docet psalmista dicens: et concupiscet rex decorem tuum, quia ipse est dominus tuus. Si purificata, inquit, oblivioni tradideris priora mala, et naturalem animae pulchritudinem, qua ad Dei imaginem fueras creata, receperis, dilectum Dei *filium* habebis amatorem: ipse enim rex magnus formam tuam appetet: non dedignabitur tuus esse dominus, quamquam omnium sit rex sanctorum. Iamvero pro « adorabunt eum » Aquilas « et adoravit eum » interpretatus est. Symmachus autem: « et adora eum » dignam te adorandi eius exhibens: quibus verbis illam ad auscultandum invitat. – Alii aiunt sic eam vocari secundum prognosim.

(1) Hoc ii animadvertant qui nostris etiam temporibus, proh pudor! ecclesias in nationes dividere impie student; nec dogmata omnia, sed partim tantummodo, communia esse vellent.

(2) Videsis hac super re adnotationem 1. nostram p. gr. 327.

Omnis gloria filiae regis ab intus (1) in fimbriis aureis. v. 14.

Reconditus, inquit, ecclesiae ornatus est intra mentem et cogitatum. Fimbriae seu catenulae, variae sunt virtutes, quas veluti collo gestat sanctorum multitudo.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii; constitues eos principes super omnem terram. v. 17.

Intelliges etiam sic. Olim quidem regnabant Hierosolymis de Iudae tribu principes; sed tamen iudicando praepositi erant ii qui sancto tabernaculo ministrabant. Labia enim, inquit, sacerdotis conservabunt iudicium, et legem requirent de ore ipsorum *. Postquam vero umbra submota, et spiritalis cultûs illucescente splendore, (* Malach. II. 7.) iam mundo opus erat iudicibus splendidioribus, vocati ad id sunt divi discipuli. Idcirco matri Iudaeorum Hierusalem dicit: pro patribus tuis nati sunt tibi filii, id (Gr. p. 328) est parentum locum occupaverunt. Domino autem dicitur: constitues eos principes; quod et reapse actum est: principes enim creavimus, iudicesque oecumenicos habuimus sanctos discipulos, quorum constitutionibus ipsum promulgatur Christi mysterium. Hi quippe et salutaris doctrinae custodes sunt, et morum magistri, qui quicquid vitiosum est, improbant; quicquid utile, suadent. Sic ergo ordinanda locutio est: filii pro patribus nascentur.

Condidit Christus ex duobus populis unum novum hominem, pacem faciens, reconciliansque ambos in uno corpore patri. Ex utroque nimirum ecclesiae multitudo conficitur. Dicunt ergo ei prophetae: pro patribus tuis nati sunt tibi filii: quibus verbis sanctos apostolos et evangelistas videntur commemorare. Erant quidem parentes Iudaeorum synagogae Abrahamus, et Isaacus, et Iacobus, ac post hos patriarchae atque prophetae: postquam vero Deus dominus nobis apparuit, creati sunt ab eo ecclesiae patres, ac loco priorum extiterunt divi discipuli. Nam quod et gentium et Iudaeorum simul pater extiterit divus Abrahamus, quis dubitare queat? Israhelis quidem secundum carnem pater fuit, gentium autem per promissionem; dictum enim ei fuerat *: (* Gen. XVII. 5.) patrem te multarum gentium constitui: quae reapse vestigia eius persecutae sunt, iustificatae per fidem: postquam autem factae sunt fideles, benedictionem cum illo sunt adeptae. Itaque loco parentum constituti sunt in ecclesia sapientissimi discipuli. Vere ergo Paulus dixit *: nam si decem milia paedagogorum habeatis in Christo, non ta- (* I. Cor. IV. 15.) men multos patres: etenim in Christo Iesu per evangelium ego vos genui. Utique et sapiens Iohannes * tamquam filios ubique eos qui Christo crediderant alloquitur. (* Ep. I.)

Memores erunt nominis tui in omni generatione et generatione. v. 18.

Quamquam enim rebus humanis ii sunt exempti, adhuc tamen Christum commemorant, quia sacris libris doctrinam eius commendaverunt, atque in posterum quoque ipsum praedicant Deum (2).

PSALMUS XLV.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra. v. 3. Gr. p. 329.

Etiamsi, inquit, terra turbetur, id est habitatores eius, etiamsi adeo convalescant qui saevitatem suam doctrinae nostrae opponere student, adeo ut montes etiam transferre et in mare se coniicere sperent (3), nobis tamen illa ad opem sufficit fortissima

(1) Dixi ad gr. p. 327. n. 2. Cyrillum non legisse heic Ἐσεβών pro ἔσωθεν. Legebat tamen ad op. de ador. in sp. et ver. ed. Aubert. T. I. p. 65: τῆς θυγατρός τοῦ βασιλέως Ἐσεβών· τὸ δὲ Ἐσεβὼν inquit, ἔσωθέν ἐστιν Ἑβραίων φωνῇ, quo loco recte emendat Aubertus in adnot. fin. vol.

(2) Arianos sine requie exagitat refutatque Cyrillus.

(3) Videtur hoc a Cyrillo referri veluti quoddam hyperbolicum proverbium. Apud Matth. XVII. 19. Origenes, Hieronymus atque Hilarius in commentariis, montis vocabulo intelligunt daemonem. Ceteroqui

dextera, quae extra omnem tumultum ponet eos qui Dei partibus adhaerent; quaeque omnia ardua complanabit, et aspera ad lenitatem transferet, et gradibile faciet quod sublime est, et superborum supercilium deiiciet.

v. 4. **Sonuerunt et turbatae sunt aquae etc.**

Aquas sonantes et turbatas intelliges gentium multitudinem; sic enim has voci-
* Nahum II. 8. tare solet inspirata scriptura; veluti ait alicubi de Ninive *: Ninive, ut aquae piscina,
* Idem I. 12. aquae illius. Alius (1) quoque sanctus propheta ait *: haec dicit Dominus, qui imperat aquis multis, id est gentibus. Regnavit enim super omnes gentes Christus. Sed et montes, inquit, turbati sunt ob fortitudinem illius. Montes fortasse dicit illustriores in mundo homines, vanisque gloriolis superbientes. Sed et hi turbati sunt, et contra sanctos magistros consurrexerunt. Verumtamen nihil his nocere valuit scelestus Satanas; nam qui initio sanctos magistros persequebantur, Christi *deinde mansuetudinem sectati sunt*, et evangelicorum mandatorum facti sunt amatores. Quod admirans bea-
* Ps. LXXVI. 11. tus David aiebat *: « haec mutatio dexterae excelsi. »

v. 5. **Fluminis impetus laetificant civitatem Dei.**

Quod flumen appellatus sit etiam Christus saepissime in sanctis litteris, sine dubio comperiet sedulus scrutator. Ait enim ipse de nobis per unum de sanctis pro-
* Is. LXVI. 12. phetis *: « ecce ego declino super eam ut flumen pacis, et sicut torrentem inundantem gloriam gentium. » Apteque admodum dicit declino: erat enim iter eius, sive via ipsi proposita ad Israhelitas: sed postquam hi fidem repudiarunt, nihilque pensi habue-
Gr. p. 339. runt ut fluenta eius participarent, propterea iuste admodum ad nos declinavit ex ethnicis vocatos, factusque est nobis flumen pacis et torrens inundans. – Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. – Tabernaculum pariter dicimus eius esse ecclesiam. Habitat enim in sanctis (2) piisque animabus, sanctas eas reddens, dum sancti Spiritus facit participes.

v. 6. **Adiuvabit eam Deus mane diluculo.**

Quia summo mane contigit Domini resurrectio, ideo dicit eam adiutorium. Adiuvatur autem civitas Dei appropinquante die. Est alia etiam lectio, quae habet: opem feret ei Deus vultu (3); conservat enim illaesam incorruptamque pulchritudinem illius, intellectualem videlicet, cum ab adversariis perturbationem patitur. Quamdiu enim anima inviolatam in semet retinet fidem, et omnium virtutum ornamenta sibi circumponit, pulchritudinem intellectualem habet, qua Christus quoque laetatur. Verum ubi ab officio recesserit, statim fit turpis et insuavis. Sed tamen hoc non patietur ecclesia, cuius ipse pulchritudinem tuetur. Iam ecclesiae vultus intelligi possunt ipsius antistites, quos etiam roborat semper Christus, ut possint evangelicam doctrinam tueri.

v. 8. **Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob.**

Quod si quis aliam quoque interpretationis rationem malit (4), haud ei deerunt egregiae notiones. Nobiscum enim fuit virtutum Dominus, cum inter nos est versatus, forma servi suscepta, et habitu inventus ut homo. Idcirco etiam appellatus fuit Em-

et montem fide translatum a Gregorio thaumaturgo, priscae et graves narrant historiae. Nihil certe divinae voluntati resistit.

1) Immo est idem propheta Nahumus utriusque dicti auctor.

(2) Codex unus ἁγίοις, quasi substantivum *sanctis*. Sed alius, id est cod. M. f. 76, recte ἁγίαις, idque in textu gr. scribendum est.

(3) Ita reapse septuaginta interpretes, ut vides in editione romana. Ita habent Ambrosius, Augustinus, et Cassiodorus, et psalteria aliquot, apud Sabaterium.

(4) Ergo deest prior Cyrilli interpretatio, ab eclogario omissa.

manuel, quod est interpretatum nobiscum Deus. Tunc defendit nos, et periclitantes servavit: retraxit enim a peccatorum corruptela, atque a sensibilium aeque et intelligibilium hostium dominatu. Vidit ergo David humanatum Deum, vidit ex virgine natum Emmanuelem, ideoque prophetice exclamabat: Dominus virtutum nobiscum; demonstrans scilicet, hunc esse qui prophetis sanctis et patriarchis apparuit. Susceptor, inquit, noster haud alius a memorato apud prophetas Deo, sed Deus Iacobi, qui in oraculo famulo suo ait *: ego sum Deus Abrahami et Deus Isaaci et Deus Iacobi. * Exod. III. 6

Videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram. v. 9. *Gr. p.* 331.

Plurima patrata sunt prodigia splendida ac celebria, neque in Iudaea tantummodo, verum etiam a cunctis terrae incolis cognita per evangelicas praedicationes sanctorum sacerdotum, qui universam terram peragrantes, admirabilem Christi potentiam excellentiamque patefecerunt, partim opera illius narrantes, partim ipsi in nomine eius feliciter patrantes. Quod si quis dicat, oportere ut ex gentibus vocati discant opera Domini, id est visibilem creaturam, quae tantopere est admirabilis, ut a prodigio non valde absit, quo fit ut omnes creatorem universalem agnoscant, haud equidem a probabili sententia abludet.

PSALMUS XLVI.

In finem, pro filiis Core. v. 1.

Filiis Core famulabantur sine dubio sacri aliquot psaltae, qui etiam hanc precem offerunt. Habet itaque titulum pro filiis Core, non quod prorsus illorum causa hoc compositum fuerit canticum, sed tamquam ipsi deputati ministri sint huic dicendo. Loquitur autem sanctorum apostolorum persona, ceu qui iussi fuerint docere omnes populos, eosque baptizare in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Quia vero plurimorum ipsis grandiumque bonorum conciliatrix fides fuit; nam per ipsam ad adoptionem in filios Dei vocati fuerunt, divinaeque naturae facti sunt participes, et donorum caelestium gratia ditati, sanctorumque spem adepti; idcirco convenientissime iubent ipsos laudibus indulgere dicentes:

Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo. v. 2.

Laudationis causa est, quod per universam terram Christus talis innotuit uti reapse est, rex nimirum et Deus altissimus ac formidabilis; ita vero rex gentium ut non tunc regni initium habuerit, cum illae ei sunt suppositae, sed quia quum esset omnium rex et Deus, ipsas quoque sub regni sui sceptro collocavit, dominorum aliorum tyrannide ereptas. – Triumphale canticum est hic psalmus. Tamquam igitur victis adversariis potestatibus, ad canendum populos hortatur. Iubilant autem ceu qui *Gr. p.* 332.
Christo favente vicerint.

Subiecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris. Elegit nobis hereditatem suam, speciem Iacob quam dilexit. v. 4-5.

Videntur aliis verba « subiecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris » alio quoque sensu intelligi posse: nam populos atque gentes sub sanctorum pedibus, ipsum Satanam eiusque malas potestates esse aiunt. De quibus Christus dixit *: ecce * Luc. X. 19
dedi vobis potestatem calcandi serpentes et scorpios et universam inimici potentiam. » Admirantur autem Redemptoris quoque liberalitatem, eo quod iusto Dei decreto cuncti Israhelitarum honores, factaeque his a Deo promissiones, collatae magis fuerint venientibus ex gentilitate, quia fidem susceperunt, et beneficii auctorem agnoverunt. Et quidem de ipsa divina praedicatione dictum fuit Israhelitis a sanctis magistris *: * Act. XIII. 46

« vobis oportebat primo loqui verbum Dei; sed quoniam id repellitis, vosque indignos iudicatis aeterna vita, ecce ad gentes convertimur: sic enim praecepit nobis Dominus. » Laetantur itaque, quod a Christo impetraverint ut sint eius sors, atque ut connumerentur in specie decora Iacobi. Olim portio Domini fuit populus Iacob, funiculus hereditatis eius Israhel. Sed postquam adversus Christum desaeviit, expulsus fuit ne sit diutius sors eius. Capta vero fuit per fidem ethnicorum multitudo, et a Deo excepta ut sit funiculus eius et sors. Alio quoque modo intelliges; nempe quod praeter ethnicorum multitudinem, ipsum quoque suppositum pedibus habent Iacobum, sive Iacobi posteros. Nam etiamsi haud universus credidit Iacob, at certe decora species ex universo populo id consilium est secuta, ut de reliqua parte aestimes. Nam consentaneum est reputare, sapientiores de coetu Israhelis credidisse Christo.
* Ioh. I. 45. Certe Philippus Nathanaheli aiebat *: « quem scripsit Moyses in lege ac prophetae, invenimus Iesum, Iosephi filium, a Nazareth. » Cui respondit ille: « a Nazareth potest boni esse aliquid? » Simul ac enim Nazareth audivit, ad caput recurrit accuratae no-
Gr. p. 331. tionis quam de Christo conceperat. Hanc esse dicimus decoram Iacobi speciem. Nam qui ita animo sunt comparati, sicuti ipse Nathanahel verus israhelita, in quo dolus non erat, iure meritoque dici queunt species Iacobi decora, et a Deo amari, qui simul cum ethnicis subiecerunt semet sanctis magistris.

v. 6-7. **Ascendit Deus in iubilo, Dominus in voce tubae. Psallite Deo nostro etc.**

Demonstrant chorum agere cum caelestibus sanctis angelis terrestres incolas, atque unam veluti temperantes lyram, harmonicum iucundumque melos pangere, laetabundos quia completo apud nos dispensationis opere ad Deum patrem in caelos Christus ascendit, primitiae veluti renovati ad immortalitatem humani generis. Namque id in Christo adepti sumus. Psallite ergo, inquit, et iterum psallite, et perpetuam dicite hymnodiam. Non est alius Deus, et alius Dominus, sed unus idemque; consectanea est enim deitati gloria dominationis; sicuti consectaneum est ut qui suapte natura est dominus, idem sit Deus. Quoniam vero iubilationis fit mentio et vocalis bucinae, par est nos ita cogitare qui res Christi meditamur et loquimur. Ascendit quidem in caelos nunc, ut appareat ante faciem Dei pro nobis; sed erat in caelo peregrinum spectaculum, dignâ Deo gloriâ ornatus homo, et praeter omnem expectationem sublimatus. Necesse igitur fuit a sancto Spiritu edoceri supernas potentias, nempe eum, qui erat natura propria Deus, factum esse hominem, Dei inquam Verbum. Propterea illis quoque mandavit ut supernas portas attollerent, manifesteque cognoscerent, eum cum nostra forma reverti Deum ad convenientem sibi uni suaeque substan-
* Ps XXIII. 7. tiae inhaerentem gloriam. Aiebat enim *: attollite portas, principes, vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit rex gloriae. Interrogantibus autem supernis spiritibus vel etiam dubitantibus, quia non satis scirent, quisnam esset iste rex gloriae, dictum mox est, Dominum esse virtutum, Dominum fortem in bello. Scribit vero etiam
* Ephes. III. 10. sapientissimus Paulus *: « ut nunc innotescat principatibus et potestatibus multiformis sapientia Dei, secundum praefinitionem saeculorum, quam fecit in Christo. » Mone-
Gr. p. 334. bantur itaque ut iubilarent potentiae quoque intellectuales; et quasi bucinae clarisonus clangor revelatio erat ad illos per Spiritum, profundum humanationis mysterium patefaciens. Oportebat itaque una cum supernis spiritibus iubilare etiam servatos homines, et continenter psallere, et incessantem Christo hymnodiam extollere. Ceterum dum « ascendit » aiunt, docent eum quoque descendisse. Nam ita intelligens sapien-
* Ephes. IV. 9. tissimus quoque Paulus ait *: « quod autem ascendit, quid est nisi quia et descendit

primum in inferiores partes terrae? » Et rursus: « qui descendit, ipse est et qui ascendit super caelos, ut omnia impleret. »

Quia rex universae terrae Deus, psallite sapienter. v. 8.

Non in Iudaea tantummodo tamquam Deus et rex, filius cognoscitur; sed iam deinceps in orbe quoque universo. Nam sub regni eius iugum festinavit certatim grandis immo innumerabilis gentium multitudo late per orbem dispersa. Psallite ergo sapienter, id est ea quae sanctos decet intelligentia, probe scientes Christi mysterium: quae res mentem et cor sapiens requirit. Sic enim et propheta dicit *: « quis sapiens, * Ps. CVI. 43.
et intelliget haec? et prudens, et haec cognoscet? » Existimo autem alium quoque propositis verbis sensum inesse. Psallite, inquit, et collaudate; regnavit enim Deus sapienter super omnes gentes. Nam « sapienter » dicitur pro, cum sapientia et arcana quadam dispensatione. Reapse plenum sapientia est Christi mysterium.

Deus sedet super throno sancto suo. v. 9.

Thronum Dei caelum nominat inspirata scriptura; non ut corporeum aliquid cogitemus, quippe quia non est in ordine nostrarum rerum Deus, sed incorporeus et prorsus incomprehensibilis. Sed throni vocabulo regnum denotare solet praedicta scriptura. Cum ergo caelum dicitur throni instar habere Deus, scito oportere hinc intelligi sanctorum angelorum principatum. Sunt etiam ii thronus Dei, qui credunt in ipsum, qui pariter sancti sunt, utpote quorum eluta fuere peccata, et uncta corda sancti Spiritus operatione et gratia. Denique et divinae naturae ita facti participes sunt. Quod ergo inter terrigenas quoque unigenitum Dei Verbum commoratum fuerit, laetabundi adfirmant inspirati viri dicentes, sedere illud super throno sancto suo, hoc est requiescere in familiaribus suis, scilicet aeque nobiscum ac cum supernis spiriti- *Gr. p.* 335.
bus diversari. Quod siquis malit existimare, vocabulo throni, stabilitatem firmitatemque summam regni Christi denotari, ita quoque recte interpretatus fuerit. Est quippe perpetuum Christi regnum, atque ad infinita saecula extenditur. Non enim regni eius erit finis, prout angelus dixit *. * Luc. I. 33.

Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam Dei fortes e terra vehementer elevati sunt. v. 10.

Videntur his verbis vel propriam electionem significare divi discipuli, vel prophetico more futurorum post ipsos sanctorum pastorum multitudinem expectare. Principes certe populorum priores ipsi fuerunt; post quos alii plurimi admodum et sapientes, pietatem eorum presso vestigio sectantes, divinamque et angelicam praedicationem ubique circumferentes. Hi ergo congregati sunt, id est convenerunt in unam fidem atque unanimitatem, immo etiam in unam loquendi rationem. Unus enim Dominus, una fides, unum baptisma *, et unus simul omnium sermo de Christo, recte * Ephes. IV. 5.
de eiusdem mysterio sentientium. Quod si nonnulli adulterarunt aliquando veritatem ac distorserunt, a nobis quidem, quibus inest Christus, nulla horum ratio habetur. Neque est Christus novus Deus, sed idem ille progenitoris Abrahami. Hac ratione congregati sunt principes, de quibus nuper nos diximus, cum Deo Abrahami. Quod autem illustres atque spectabiles omnibus fuerint, Christo ipsis hanc gloriam largiente, aiunt dicentes: quoniam Dei (1) fortes, id est fortitudine spiritali praediti viri, for-

(1) In textu biblico *τοῦ θεοῦ οἱ κραταιοί*, aut quod idem est apud Cyrillum *οἱ τοῦ θεοῦ κραταιοί*. Certe *Dei* secundo singulari casu. Videtur autem hebraismus, rei magnitudinem vel excellentiam denotans, velut alibi *cedri Dei*, *flumen Dei*. Porro in textu biblico *τῆς γῆς* regitur ab *ἐπήρθησαν*, quasi *ἤρθησαν ἐπὶ τῆς γῆς*, *a terra* (aut *super terram*) *valde elevati sunt*, ut est in scholio apud Nobilium, qui hunc quo-

tissimi pugnatores, diaboli artificiis resistentes, et nebulonum novis doctrinis adversantes, hi inquam magnopere e terra elevati fuerunt; id est haud humi repentes vel obscuri abiectique credendi sunt, sed veluti alte grandientes per suam virtutem, et in superioribus partibus vitam degentes, quò multi conscendere nequeunt. Vel fortasse dum terrà elevati dicuntur, significatur eos mentem habere haud terrenis ne-
Gr. p. 336. gotiis infixam, sed carnalia excedentem, sursumque spectantem, quia nempe volunt ad dogmaticae peritiae practicaeque honestatis sublimitatem pervenire.

PSALMUS XLVII.

v. 2. **Magnus Dominus etc.**

* Ioh. X. 29. Magnus praecipue, quia ex magno Deo patre genitus. Ait enim *: pater qui mihi dedit, maior est omnibus. Quamvis enim ad alios quoque haec appellatio devenerit, dictique sint magni nonnulli etiam sive caelestes spiritus, sive terrigenae; attamen nonnisi per quamdam participationem atque imitationem eius, qui praecipue vereque et naturaliter magnus est, ipsi quoque agnomen hoc sunt adepti. – Nec iam in Iudaea tantummodo magnus Deus, verum etiam in monte sanctificato, quo nomine ob Dei dogmatum excelsitatem ecclesia intelligitur.

v. 3. **Fundatur (1) exultatione universae terrae. Montes Sion latera aquilonis.**

Exultatio quoque est universae terrae *Christus*. Sic certe illum alibi nominat
* Ps. XXXI. 7. divus David *: « exultatio mea, redime me a circumdantibus me. » Gaudium enimvero exultatioque est, et summae iucunditatis causa hominibus per universum orbem
* Is. XXV. 8. Christus, omni nos tristitia avertens, lacrymasque inhibens, secundum Isaiae dictum *: « devoraverat *nos* mors praevalens; sed en rursus omnem lacrymam ab uniuscuiusque vultu Deus abstulit. » Quomodo autem exultatio sit universae terrae, manifeste iam dictum fuit. – Animadvertendum vero est, legem quoque Moysis mandasse, ut agnus
* Lev. I. 11. interficeretur in altaris latere aquilonari *; typo hoc nimirum portendente, fore ut Christus ad aquilonaria mundi convertatur latera, atque ad ipsa deinceps declinet,
* Ps. X. 9. largiturus iisdem revelationem, prout in psalmis dicitur *: oculi eius in pauperem (2) respiciunt.

v. 4. Gr. p. 337. **Deus in domibus eius cognoscitur.**

Intelliges etiam sic. Βάρεις appellatas fuisse dicimus nobiliores turres, quae in moenium circuitu sunt. Non est ergo absonum, quandoquidem civitatis nomine appellata iam ecclesia fuit, turres eius dici sanctos apostolos, sive qui per temporum successionem magistri sanctarum ecclesiarum et initiatores fuerunt. Hi turrium instar inter alios eminent, suntque illustriores, et universi ecclesiae corporis veluti munimentum. In his ergo aedificiis, quisquis fortiter perstat, agnoscitur in eo Christus, cum illam tuetur nempe ecclesiam; *qui sine dubio opem* desuper defensoribus illius tribuit, eosque adversariorum semper et ubique victores efficit. Atque hinc patet,

que Cyrilli nostri locum demonstrat se in mss. catenis, ut puto, legisse; quam rem mirans Sabaterius scribit: *Cyrillus quoque, si Nobilio fides, ait* etc. Venerabilis Bellarminus in commentario ad psalm. ita scribit: « vox, *Dei*, ex graeco Θεοῦ; unde putant aliqui in latino textu legendum esse *Dei*, et errore librariorum positum esse *Dii* pro *Dei*. Deinde idem Bellarminus lectionis *Dii* antiquitatem prolatis aliquot latinis auctoritatibus protegit. Nihil autem dico de textu hebraico, qui neque cum graeco neque cum lat. vulgato satis congruit.

(1) De vocabulo graeco εὐρίζων vel εὖ ῥιζῶν, vel εὐρύνων (sic enim variat) docte scribit Nobilius, quem studiosi cum fructu adibunt. Mihi de eo non est laborandum, quia non pertinet ad Cyrilli reliquias.

(2) Pauperes intelligit ethnicos tropologico sensu Cyrillus non semel in hoc commentario.

quanta ecclesiam suam cura dignetur. Praeterea sciendum est, βάρεις a nonnullis dici non tantum in moenibus turres, sed quoddam etiam navium genus bene artificioseque structarum. Ergo his quoque sanctorum virorum personae comparandae sunt, propterea quod quaqueversus navigant, et religionis sarcinam ad universum orbem deportant: cuiusmodi fuit et divus Paulus, qui abs Hierosolymis usque ad Illyricum excurrit praedicans Christi evangelium. Dicit vero alicubi etiam divus David *, in vasto latoque mari naves decurrere, ibique versari draconem, ideo creatum ut ei illudatur. Naves *dictas intellige pro* sacrae doctrinae vectoribus; draconem autem, insidiantem his Satanam, quem etiam vicerunt, navium nomine designati sancti viri, opem ipsis salutiferam ferente Christo. Reliqua priori loco similia sunt. Ps. CIII. 28

Conteres naves Tharsis. v. 8.

Tharsis locus maritimus: dicitur autem Aethiopiae quaedam pars. Tarsus quoque urbs, apud Ionam dicitur Tharsis.

Sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri. v. 9.

Bellum illaturi coiverant inimici ecclesiae; sed mox eam bello invictam videntes, territi sunt, proelioque et iaculatu absistentes, clamant: sicut audieramus, ita et vidimus: nam qui vaticinia de ipsa noluimus admittere, deinde nos ipsi illorum veritatem spectavimus. Quomodo tamen dicere potuerunt « in civitate Dei nostri » qui fidem non susceperant? Nempe qui Deum simul et virtutum Dominum esse confitebantur, insitam sibi habere fidem denotant. Ubinam vero promissionem completam viderunt, nisi in ecclesia, quae est civitas Dei? Quod per fidem audimus, id per vitae puritatem cognoscimus fide dignum, eius rei demonstrationem habentes cupiditatum vim retusam. Demonstrata iam inimicorum conversione, praeit verba quibus usuri sunt illi qui salutem consecuti, benefactorem hymnis celebrant. Gr. p. 338.

Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui etc. v. 10-11.

Suscepimus heic intelligendum est coniectavimus, aut cogitavimus, vel firmo pacatoque animo fuimus, quia misericordia tua prorsus adest iis qui in templo tuo versantur. Non enim dicimus, iis qui adhuc sunt infideles, communicatum iri Dei charismata, sed iis qui reapse fideles sunt. Dictum fuit enim antiquis *: bono animo estote, nam spiritus meus in medio vestrum est. Pariterque in praecedentibus psalmis *: Deus in medio eius, non commovebitur. * Agg. II. 6. * Ps. XLV. 6.

Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua usque ad fines terrae. v. 11.

Nomen pro gloria solet dicere divina scriptura: comitem porro gloriae eius laudem esse, congruenter meritoque ait: celebratur enim ab omnibus terrae incolis pro culminis sui excelsitate. Quid autem laudantes dicimus? « O Deus, quis similis tibi *? Et, quis Deus tantus, ut noster Deus *? Tui sunt caeli et tua est terra: orbem, et quicquid eo continetur, tu fundasti *. Tuus est dies, et tua est nox: tu solem lunamque (1) fecisti *. » Generatim denique ut universalem Deum ac dominum ipsum celebramus. « Iustitia plena est dextera tua. » Mirantur laudem summo Deo ex universa terra provenientem, ceu gloriae eius et sublimitati congruam. Aliud quoque praeterea mirantur: nam Dei patris dexteram plenam esse aiunt iustitia, id est iusto iudicio. Quaenam vero a nobis intelligetur Dei patris dextera, nisi verum ex ipso natum unigenitum Dei Verbum? Haec magna, et supernaturalis, et omnium sublimis- Gr. p. 339 * Ps. LXX. 19. * Ps. LXXVI. 13. * Ps. LXXVIII. 12. * Ps. LXXIII. 16.

(1) Ergo inter eos est Cyrillus qui legebant σελήνην, ut est etiam in codice celebri vaticano, et in hebraico; utque habent apud Sabaterium S. Augustinus et nonnulli alii. Vulgati lectio *auroram* manat ex lectionibus φῶς, φαῦσιν, φωστῆρα, quae item recitantur apud Nobilium.

sima dextera patris, iusto decreto flagitiosum Satanam depulit ab eis qui olim victi huic suberant. Iustificavit enim ipsos per fidem, et antiquis absolutos criminibus, sanctos eos et inreprehensibiles obtulit Deo patri. Rei testis erit ipse filius dicens *: « nunc iudicium est mundi huius; nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Et ego si exaltatus fuero, omnes traham ad me ipsum. » Ergo ob sanctitatem atque iustitiam suspiciunt magnopere omnes gentes admirabilem Dei patris dexteram, quae oppressos ulciscitur, fractos relevat, obtenebratos illuminat.

* Ioh. XII. 31.

v. 12. **Laetetur mons Sion, exultent filiae Iudaeae.**

Qui ex omnibus gentibus ad veritatis lumen venerunt, valde laetantur de se ipsis, quia misericordiam impetraverint et cuiusvis boni participationem per divinam fortissimamque Dei patris dexteram. Videntur autem quodammodo alteri quoque populo gratulari, Israheli inquam, ceu qui per tempora ad notitiam gloriae vocandus sit servatoris omnium nostrûm Christi, atque ad donorum participationem quae nuper ethnici obtinuerant. Hoc propheticus quoque sermo comprobat *: « post haec, inquiens, revertentur filii Israhel, quaerentque dominum Deum suum, et Davidem item regem suum, et stupebunt ad Dominum, et super bonis eius in novissimo dierum. » Laetetur itaque, inquiunt, mons Sion, id est Hierusalem, et filiae Iudaeae propter iudicia tua, Domine, bona scilicet. Filiae vero Hierusalem intelligi possunt oppida ei circumstantia et subdita. Vel etiam sic interpretaberis: nempe montem Sionem, ecclesiam esse dices; filias vero eius, animas in ipsa nutritas, sive prolem ecclesiae, quae in spiritu circumcisionem excepit, quaeque melior est priore synagoga ac verior. Nam lex umbra erat, veritas autem Christus, et quae per ipsum.

* Os. III. 5.

v. 13. **Circumdate Sion, et complectimini eam, narrate in turribus eius.**

Spiritus sanctus hortatur divinas virtutes, ut ecclesiae Dei praesidio sint, eamque complectentes custodiant. Pro « complectimini » Symmachus dixit « circum munite. » Pro « narrate » autem Aquilas ait « computate turres eius; » Symmachus vero « numerate. » Alium quoque sensum adtribues: chori nempe iubet speciem componere, mediamque habentes veluti matrem Sionem, sanctas eius filias laudem canere Christo. Hoc enim significari arbitror verbis: narrate in turribus eius. Βάρεις igitur, sive turres ecclesiae, dicimus esse sanctos apostolos et evangelistas. Certe ore ipsorum narramus, atque eorumdem vocibus purisque doctrinis utimur, ut simus, iuxta illud effatum *, meditantes (1) columbae. Meminimus prophetae quoque dicentis *: sumite vobiscum sermones; illos videlicet quos sanctus Spiritus suggerit, ex quibus mysterium Christi discere licet. Vere enim res utilis Dei meminisse, et lingua eloqui laudes eius. Sed et alibi dicit psalmista *: « lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die datam a te salutem (2). » Adhuc sane adhortatur manifeste Spiritus iustificatos in Christo, ad aperiendos vigilantissime mentis oculos, et sedulo speculandum ecclesiae redemptorem qui est Christus Iesus. Tota enim vis nostra ipse est, et ipsi innititur. Quamobrem nobis ait *: « sine me nihil potestis facere. » Videbimus autem ipsum potissime tum visibilium ope creaturarum, tum etiam invisibilium: namque est omnium creator, utpote Deus ac dominus, et in eodem cum patre, a quo genitus est, throno considens. Neque secius cognoscemus ex iis quae insigniter fecit tempore ad-

Gr. p. 340.

* Ezech. VII. 16.
* Os. XIV. 2.
* Ps. XXXIV. 28.
* Ioh. XV. 5.

(1) Ergo Cyrillus legebat vocabulum μελετητικαί (uti est p. gr. 340) quod a vaticano quidem textu abest, sed extat in proprie dicto alexandrino, nunc anglicano, ut videre est apud Breitingerum.

(2) Ita evidenter in pervetere codice I. f. 264. col. 2. τὴν σωτηρίαν σου, quum alii passim graeci et latini itemque hebraici habeant *laudem tuam*, ἔπαινόν σου, תְּהִלָּתֶךָ.

ventus sui. Destruxit enim inimici omnem potentiam, orbem servavit, fide iustificans peccatores, atque ad adoptionem vocans homines ab extremitatibus mundi, partim doctrinis sapientia plenis, partim etiam insperatis prodigiis, ex quibus homines potuerunt agnoscere qualis quantusque esset, et quod nullatenus patre Deo inferior sit. Porro ubi virium perfecta aequalitas est, ibi omnino eandem quoque esse substantiam necesse est (1).

Βάρεις denuo dicimus nuncupari nobiliores quasque turres. Itaque βάρεις reputari queunt magni delectique viri civitatis Dei, qui in ea excellunt; in quibus Deus cognoscitur, dum eos defendit servatque ex tentationibus. Horum nos pars quodammodo sumus, qui post illos vice magistrorum fungimur, quique ab eis recte et sine errore dicta excipientes, sermones inde nostros confirmamus, dum veritatis dogmata tueri studemus, et subiectis nobis plebibus morum doctrinam exponimus (2). Narramus autem haec a generatione in generationem, quia sacrum nostrum magisterium ad posteros quoque nostros perenni successione transmittitur. Et quidem sacrorum doctorum sermo semper atque omni tempore viribus pollet, quia Deus Christus numquam cessabit, immo super nos perpetuo regnabit. Gr. p. 311.

PSALMUS XLVIII.

In finem, filiis Core. v. 1.

Praesente morali psalmo divinum tribunal, et quae cunctis hominibus eventura sunt praedicantur, nec non dies illa qua creaturam suam Deus in iudicium adducet. Videntur autem filii Core apostolorum personam gerere qui mundi initiatores fuerunt (3); ex quibus consequenter in universam terram doctrinae praedicatio diffunditur: ac veluti ante linguarum confusionem unum erat omnibus labium unaque vox, ita nunc gentes omnes totusque mundus cunctique homines, unius auditus atque unius cordis fiunt, una ipsis adsonante doctrina. Prorsus enim tardiore erat lingua beneque loquendi ignara prisca lex, quae longo vix circuitu, littera quodammodo delineato, Dei nobis placita prope balbutiebat. Sed ecce demum Moysis os eloquentissimum extitit Christus, qui typos ad veritatem contulit, et ubique obviam necessariarum rerum cognitionem exposuit. Et lex quidem unum erudiit carnalem Israhelem, at Christus explicatis mansuetudinis suae retibus mundum universum cepit. Merito ergo cunctis terrae incolis suadet quae sequuntur: audite haec omnes gentes etc.

Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam. v. 2.

Hoc perinde est ac si diceret: homo disputandi cupidus ego sum, et obscura quaeque atque involuta theoremata libentissime disco. Quod si forte eadem haec aperire, id est conspicua reddere opus sit, gratanter facio. Non enim iniucunda erit oratio mea, sed instar cantici psalterio temperati. Propositionem vero dicit id, quod sibi dicendum proponit. Semper autem iucunditas admixta est sanctorum sermoni. Sic enim sapientissimus quoque Paulus scribit *: « sit sermo vester sale conditus; » ut nempe audientibus sit gratiosus. Certe nemo dubitabit, quin is omnino iucundus gratusque studiosis virtutis sit. Gr. p. 312. * Coloss. IV 6.

(1) Adfirmatio defensioque est vocabuli nicaeni ὁμοούσιος.

(2) Insignis laus doctrinae atque auctoritatis Patrum ecclesiae; quorum se partem esse, utpote episcopum et alexandrinae ecclesiae magistrum, dicit Cyrillus.

(3) Tres hos priores versiculos maurinus Athanasii editor inter auctoris sui reliquias posuit; contradicente tamen iure meritoque Nicetae codice vaticano, ubi reliquam quoque partem continuat Cyrillus.

v. 6-8. **Cur timebo in die mala? etc. Qui confidunt viribus suis etc. Frater non redimit etc.**

Intelliges etiam sic. Ego praenunciare divina oracula a sancto Spiritu dignus habitus, nihilominus timore quatior, Deique iudicium perhorresco; vos autem imperterriti auditis, qui praesentis vitae voluptatibus indulgetis, qui haud Deo sed viribus vestris confiditis, et vestrarum opum copia gloriamini? Atqui scitote, nihil vobis haec omnia profutura in praedicta die. Nam neque frater fratrem redimet, neque amicus amicum. Unusquisque enim propriam sibi mercedem recipiet; et « uniuscuiusque opus
I Cor. III. 13. quale sit, ignis probabit *. » Quis alius itaque hominum hunc redimet? Ideo dictum est: frater non redimit, redimet homo? Sed neque dabit quisquam Deo redemptionis propriae pretium illa die; neque veluti semet coëmens, pretium pro anima sua solvet. Quamobrem vanae sunt divitiae possidenti, vanae vires mortales his qui confidunt in eis. Veruntamen si in hoc mundo, praesentique vita recte divitiis utetur aliquis, eas-
* Matth. XXIV. 45. que prudenter administrabit, ut Servatoris monitum fert dicentis *: quis est fidelis prudensque oeconomus, qui tempore idoneo dabit demensum conservis suis? hic, inquam, bona spe fruetur. Ergo abhinc tibi iam serens ad iustitiam, illic vitae fructus
* Prov. XIII. 8. collige. Nam redemptio hominis, ut ait sapiens *, propriae divitiae sunt. Sin vero nihil horum egerit, naufragium passus, cum ipsa divitiarum sarcina animam suam perdet; nam neque ulterius opibus suis frui poterit post hinc abscessum. Ergo praedicta in die, neque ipse pro se placamen dabit, neque pretium redemptionis libertatisque animae suae, neque a fratre vel cognato quovis iuvabitur. Qui autem nec opi-
Gr. p. 343. bus confidentes, neque viribus suis gloriantes, laboriosam aerumnosamque vitam toleraverint, promissa divino oraculo vita digni erunt.

v. 9-11. **Et laborabit in aeternum. Non videbit corruptionem, cum viderit sapientes morientes.**

Pro laborabit in aeternum, Symmachus « sed postquam requieverit, inquit, in hoc saeculo, vivet in aeternum. » Aquilas autem: « et requievit in aeternum, et vivet ad victoriam. » Quinta demum editio « et laboravit, inquit, in aeternum, et vivet ad victoriam. » Nam qui in praesente vita pro pietate iustitiaque laboraverit, ex hac postea turba tumultuque evadens, pacatum tranquillumque aevum exiget, aeternam postremo vitam consecuturus. Hic corruptionem non videbit, etiamsi sapientes quoque morti occumbere cernet. Vel secundum Symmachum: « non videbit ipse corruptionem, quum sapientes morientes viderit. » Tantum quippe ab impiis distat, ut ipsis ne in morte quidem propinquaturus sit; sed procul ac veluti e superna specula corruptionem sapientium auditurus. Quorumnam vero sapientium, nisi quorum Deus sapientiam infatuavit?

v. 14. **Et ore suo complacebunt** (1).

Cum ergo nos, inquit, qui piam puramque praeoptavimus vitam, iis qui sic vivere non consueverunt, increpantes dicemus: homo quum in honore esset, non intellexit, et reliqua; tunc et ipsi, etiamsi nunc id fateri nolunt dum in hoc mundo versantur, postea tamen dicta nostra comprobabunt: nam quod veracia fuerint, ex iis quae sibi evenerunt convicti consentient. Sed et alia quoque profertur scriptura: post haec ore suo benedicent (2): pro maledicent sibimet ipsi, pertaesi actuum suorum. Nam illa die, inquit, omnes cogitationes eorum peribunt.

(1) *Complaceo* pro *comprobo*, tum vulgati tum etiam S. Ambrosii ad hunc psalmum auctoritate, videtur collocari posse in lat. lexicis, praesertim quum iam ibi legatur *complacitum sit* pro *comprobatum*.

(2) Legesis adnotationem nostram p. gr. 343. Est autem lectio εὐλογήσουσιν, *benedicent*, septuaginta interpretum in editione graeca vaticana, quam sequuntur nonnulli latini veteres apud Sabaterium.

Mors pascet eos, et dominabuntur eis recti in matutino. v. 15.

Mortem eos pascentem intelliges punitionem in morte. Namque omni vi gloriaque amissa, dominos ut ita dicam experientur sanctos cum mane orietur, id est cum gloriae Christi tempus advenerit. Etenim is de caelo descendet cum sanctis angelis, cum patris sui gloria, sanctis quidem parata ipsis praemia conlaturus, peccatores autem poenis et ultioni addicturus. Tunc et horum auxilium antiquabitur, id est auferetur; namque antiquatum, inquit, seu senescens proximum est destructioni. A sua vero mundana gloria ad ignominiam transferentur.

Gr. p. 344

Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum susceperit me. v. 16.

Nam sanctorum animae in manus convolabunt Dei: quod nobis diversorium iam antea paravit universalis servator ac dominus cum in veneranda cruce penderet, Deo patri caelesti dicens *: pater, in manus tuas commendabo (1) spiritum meum. Idemque gradibilem humanis animabus fecit paradisum, dum prius introivit, et crucifixo secum latroni ait: hodie mecum eris in paradiso. Propterea etiam beatus Stephanus cum lapidaretur aiebat *: domine Iesu Christe, suscipe spiritum meum. Non enim iam deinceps ad inferos abeunt sanctorum animae, ut illae peccatorum (2). Idque a psalmista dici arbitror his verbis: verumtamen Deus animam meam redimet de manu inferi, cum susceperit me.

* Luc. XXIII. 46.

* Act. VII. 58.

Introibit usque in progenies patrum suorum, usque in aeternum non videbit lumen. v. 20.

Qui eiusmodi est, lumine carebit, cum iis qui similitudine morum patres eius fuerunt. Nam qui tenebrarum opera fecerint, in tenebras abibunt exteriores, nempe ii qui beluinam vitam traduxerint.

PSALMUS XLIX.

Vocavit terram ab ortu solis usque ad occasum. v. 1.

Vocati fuerunt a Deo sancti, cum factus homo locutus est, atque universam convocavit terram. Iam quid dixit *? docete omnes gentes *. Insuper, oportet praedicari evangelium hoc in universo mundo *. Est enim Christus magna et altisone clangens bucina. Nam sic praedicationum eius meminit Isaias propheta *: « et erit die illa clangent bucina grandi. » Vocavit igitur non uti sub hierophanta Moyse Israhelem, sed omnes potius ab ortu solis usque ad occasum. Alio quoque sensu intelliges. Unum vocavit Israhelem divus Moyses, quia et servili conditione circumscriptus erat, et exili voce impeditaque lingua praeditus. Ideirco secundum psaltae dictum *, notus in Iudaea Deus erat, et in Israhele magnum nomen eius. At universalis servator ac dominus, utpote Deus de Deo, nobis sese revelavit, ut universum vocaret mundum, quicquid nimirum incolarum est ab ortu solis usque ad occasum. Ait enim *: venite omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. » Cunctis etiam mandavit sanctis discipulis: « euntes docete omnes gentes. »

* Matth. XXVIII. 19.
* Marc. XIII. 10.
* Is. XXVII. 13.
Gr. p. 345.

* Ps. LXXV. 2.

* Matth. XI. 28.

Ex Sion species decoris eius. v. 2.

Fuit, et est, Deus Verbum consubstantiale patri, et omnimoda aequalitate praeditum (3). Ita tamen quum esset natura comparatum, demisit se ad exinanitionem,

(1) Sequitur Cyrillus graecum communiorem textum παραθήσομαι. At latinus vulgatus variam gr. lectionem παρατίθεμαι, *commendo*.

(2) Nihil evidentius hac auctoritate Cyrilli contra hodiernorum Graecorum errorem, qui animas etiam iustorum nonnisi post generale iudicium apud Deum beatas fore dicunt.

(3) Perpetua haec apud Cyrillum praedicatio est, quod verus Deus, patrique consubstantialis filius sit.

servique formam suscepit. Videbatur ergo formositatis suae iam non prae se ferre decorem, quia similitudinem nostram adsciverat. Quod tamen non ex humanae eius conditionis modulo, divinam eiusdem excellentemque pulchritudinem aestimare quis debeat, sed quatenus potius Deus est, et patri potentia compar, demonstrat dicens: « ex Sione species decoris eius. » Iam ex Sione, pro ex superna Sione dictum intelliges; nempe in vocabulo Sion, id quod desuper et caeleste est (1). Non enim homo tantummodo Christus erat, sed caelestis potius; non quod de caelo carnem advexerit (2); nam genitus est de sancta virgine; sed quia de caelo erat illud quod carni unitum est Verbum: ideo caelestis homo nuncupatus est Christus; proptereaque ex Sione species decoris eius. Iamvero decoris eius sanctos apostolos conscios comperiemus. Ait
* II Cor. V. 16. enim sapientissimus Paulus *: « nam etsi agnovimus in carne Christum, at nunc amplius non agnoscimus. » Etenim post resurrectionem a mortuis, et in caelos reditum, iam non ab exinanitionis modulo, sed ex digna Deo maiestate ipsum agnoscimus.

v. 3. **Deus noster manifeste veniet; Deus noster, et non silebit.**

Quandonam venit manifeste, nisi cum caro factus est, secundum Iohannis dictum,
Gr. p. 316. quum similitudine nostra suscepta, de sancta virgine natus, et cum hominibus conversatus est? Tunc enim visibilis evasit qui suamet natura erat invisibilis, tangibilis qui erat tactui impervius, conditionis nostrae compos qui rem omnem creatam excedebat. Ergo manifeste venit. Veniens autem, ait psalmista, non silebit, quia mundum arguet de peccato, vel quia patris voluntatem nunciabit. Vocatur enim nomen eius magni consilii angelus.

v. 3. **Ignis ante eum exardescet, et circa ipsum tempestas valida.**

Si in priore adventu ignis intelligitur, vel pro luce ponitur, ignis utique nominatur pro lucis fonte: ut existimemus lucem intellectualem praeire solere Christi notitiae, per quam fides in ipsum conficitur. Cuius rei typus erat illa quae Iudaeorum agmen noctu praecedebat ignea columna, viam demonstrans. Vel fortasse etiam ita cogitare congruum est; nempe quod multiplici peccato frigescentes per universam terram homines, Dei Verbum cum comperisset, illos incendit ad cupiditatem studiumque cuiusvis boni operis, intellectualem veluti ignem immittens sancti Spiritus participa-
* Luc. XII. 49. tionem. Unde aiebat *: « ignem veni mittere in terram; et quid volo, si iam accensus est (3)? Effecti enim sumus spiritu ferventes quotquot hac gratia donati dignanter fuimus; divinaeque naturae facti consortes, ex quo sanctum Spiritum participavimus. Atque haec causa est, quamobrem sancti Spiritus gratiam ignis ostensio comitatur (4). Baptizamur enim in Christo, secundum Iohannis dictum, in Spiritu sancto et igne.
* Mal. III. 1 Dicit autem quidam e sanctis prophetis *: « statim veniet in templum suum Dominus quem vos quaeritis, et angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit Dominus; quisnam sustinebit diem introitus eius? Quis ferre poterit ut aspiciat eum? Quia ipse ingreditur quasi ignis conflatorii, et quasi herba fullonum. Sedebit conflans et emundans sicut argentum et aurum. » Destruit enim quamlibet in nobis maculam sancti Spiritus operatio et vis, ignis instar peccati sordes consumens. Eadem tamen nihil Iudaeorum duris cordibus profuit, quia gratiam non admiserunt. Ideo Hieremiae quoque

(1) Videsis Cyrillum ad ps. IX. v. 12. cum adnotatione nostra p. lat. 109.

(2) Hoc dicitur contra Eutychianos.

(3) Ita graece, et sic codex cantabrigiensis, nec non SS. Hilarius atque Paulinus apud Sabaterium.

(4) Idcirco baptismus a Graecis dicebatur *sancta lumina*. Erat insuper graecae ecclesiae mos congruus ut in baptismi sollemnitate plurima incenderentur lumina.

voce de illis dixit omnium Deus *: defuit sufflatorio ignis, defuit plumbum: frustra argentum conflat argentarius faber. Malitiae eorum non sunt consumptae. – « Circa ipsum autem tempestas. » Nam quotquot pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur *. – Alio quoque modo interpretari poteris. Spectabatur quidem, ut ait, Christus in forma nostrae simili, id est ut homo, sed tamen sic etiam potestatem virtutemque deitatis habebat; ignem veluti quemdam validamque procellam in eos eiaculans qui suis adversabantur mandatis, diabolicum omnem exurens vigorem, et adversarias potestates consumens. Sic enim fere dicit et alibi Deo psalmista de adversantibus gloriae eius *: « Deus mi, pone eos ut rotam, ut stipulam ante faciem venti. Sicut ignis qui inflammat silvas, et flamma quae comburit montes, ita persequeris eos procella tua, et ira tua conturbabis ipsos. »

* Hier. VI. 29. *Gr. p.* 347.

* II. Tim. III. 12.

* Ps. LXXXII. 14. et 15.

Advocabit caelum desursum, et terram discernere populum suum. v. 4.

Heic denuo operatae a Servatore apud nos dispensationis sollertiam comperies. Olim quippe terrae incolae beluinam vitam agitabant, erantque vulpium partes, ut ait psalmista *. Adorabant enim impuros spiritus, per regiones urbesque cultum exhibentes, et pro sua quisque opinione Deum habentes. Sed postquam Deus dominus nobis apparuit, omnium corda veri Dei notitiae luce illustravit, errantem convertit, luxatum alligavit, et boni pastoris officio feras ab ovium caula arcuit, sanctificavit Spiritu, angelicarum potestatum custodia munivit, sanctosque per universum orbem doctores praefecit (1). – Advocabit itaque caelum desursum, id est sanctos angelos qui desuper sunt in caelis, nec non electos et apostolatui qui in terra versantur destinatos, ut populum eius discernant. Nam divinae doctrinae ministri, morigeros ad Deum adduxerunt; qui secus fuere, eos Satanae dimiserunt, propemodum dicentes: ite ad ignis vestri lucem, et eius flammâ exardescite. Certe ad Iudaeos verba fecerunt, sed postquam eos obduratos senserunt, et omnis freni impatientes, aperte edixerunt *: « vobis apprime oportuit verbum Dei nunciari; quod quia repellitis, vosque indignos iudicatis aeterna vita, ecce ad gentes convertimur. » Videsis itaque quomodo populum Domini discernant. Quod autem sanctis doctoribus angeli auxilientur, nec non et initiatis fidei plebibus, patefaciet Paulus de illis dicens *: « nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis? » Sic etiam divus Iacobus scalam vidisse dicitur * de terra in caelum usque pertingentem, in eiusque culmine constitutum Dominum, sus deque autem discurrentes angelos. Namque in Domino supernis coniunguntur inferna, et communio et caritatis vinculum hominibus cum sanctis angelis fit (2). Canit vero alicubi et divus David *: « castrametatur angelus circa timentes eum, et ipsos liberabit. » Itaque cooperantes sanctis doctoribus, ipsi quoque populum Domini discernunt.

* Ps. LXII. 11.

* Act. XIII. 46. *Gr. p.* 348.

* Hebr. I. 14.

* Gen. XXVIII. 12.

* Ps. XXXIII. 8.

Congregate illi sanctos eius. v. 5.

Alio quoque modo intelliges, quod immo mihi melius dici videtur. Nempe hoc evidenter est discerni populum Dei spiritalium potestatum operâ, itemque illorum qui evangelica salutarique praedicatione fungi iussi sunt (3). Ipsis enim Spiritus praecipit ut congregent Christo sanctos eius * « quos praescivit, inquit, et praedestinavit conformes fieri imagini filii eius, quos et vocavit; quos autem vocavit, hos et iustificavit;

* Rom. VIII. 29.

(1) Animadverte custodes hominum angelos, et divinam sacrorum pastorum institutionem, quod utrumque cacodoxi negant.

(2) En symboli articulum de communione sanctorum.

(3) En sacerdotale ministerium et auctoritatem.

quos vero iustificavit, hos et glorificavit. » Ergo ex universa terra eos, qui iam praecogniti sunt ceu fideles futuri ac germani, congregate ait; qui etiam dispositi sunt, id
* Ps. IV. 6. est adimplere satagunt dispotitum a Christo cultum sacrificiis haud cruentis vel fumosis, sed spiritalibus potius. Scriptum est enim *: « sacrificate sacrificium iustitiae, et
* Ps. XXVI. 6. sperate a Domino. » Huiusmodi sacrificiis gaudet Deus, suscipitque spiritalis odoris instar quae dicuntur ei laudes. Ait itaque divus melodus *: « circuivi et obtuli in ta-
Gr. p. 349. bernaculo eius hostiam vociferationis. » Plurima his facile accumulari possent, ex quibus cognoscere licet laudum ritum, sacrificium esse Deo iucundum (1). Deinde dicit:

v. 6. **Et annunciabunt caeli iustitiam tuam, Domine.**

Ante alios proposuit salutarem doctrinam Israhelitis; his enim datae fuerant promissiones, lex, et testamentum, et patres. Postquam vero facti sunt improbi et obdurati, et evangelicae praedicationis contemptores, vocantisque ad salutem repudiarunt gratiam, necessario ea migravit ad gentium greges, totumque orbem occupavit. Huius videlicet recti decreti causa, nunciabunt caeli iustitiam illius: iustus est enim iudex, rectus et bonus. Alioquin ius quoque dixit cunctis incolis terrae, et improbo
* Ioh. XII. 31. apostataeque draconi. Quamobrem aiebat publice *: « nunc iudicium est huius mundi, nunc princeps mundi huius eiicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnes
* Ioh. III. 17. traham ad me ipsum. » Idem insuper ait *: « non misit Deus filium suum in hunc mundum ut mundum iudicet, sed ut salvetur mundus per ipsum. » Quomodo ergo factum est iudicium de hoc mundo? Damnavit ceu tyrannum Satanam, et cum eo flagitiosos daemones; ultus autem est orbis incolas, qui vim patiebantur. – Heic ergo iudicem perspicue novit David Christum: et quod omnem iudicandi potestatem a patre acceperit, non reticuit dicens: Deus iudex est. Ita indicia exercens laudatus est desuper a sanctis caelorum spiritibus, ut Deus iudex rectus, et incorrupta omnino rectitudine utens. Diapsalma.

v. 7. **Audi, popule meus, et loquar tecum; Israhel, et testificabor tibi. Deus, Deus tuus ego sum.**

Evidenter his verbis persona Dei introducitur, legales typos ad veritatem convertentis. Nam usque ad tempus emendationis in melius, positam fuisse ait sapien-
* Hebr. VII. 18. tissimus Paulus * mosaicam legem. Emendationis autem tempus aliud non est quam
* Ioh. XIV. 6. illud quo terrae incolis illuxit Christus, apertissime dicens *: ego sum veritas. Sunt ergo typica inutilia, veritate praesente: hanc enim parturiunt umbrae; Christique my-
Gr. p. 350. sterium in legis litteris pervidebit quisquis fuerit spiritalis. Ergo quia Servator futurus erat doctrinae et cultûs legali illo nobilioris antecessor terrae incolis, necessario per psalmistae lyram spondet atque testatur Israhelitis dicens: « audi, popule meus, et loquar tecum; Israhel et testificabor tibi. » Ne quis autem existimaret, non tam ex ore Domini, quam ex proprio corde, psalmistam verba facere, addidit: « Deus, Deus tuus ego sum. » Qualis autem? Nempe bonus, qui ex ferrea tyrannidis Aegyptiorum fornace Israhelem eduxi, qui viam per mare medium obtuli, qui in deserto pavi, qui legem illam tibi constitui. Nec vero me alium legislatorem arbitreris, dum legum vides diversitatem.

v. 12. **Si esuriero, non tibi dicam.**

More populari intelligenda sunt verba haec: si esuriero, non tibi dicam. Namque
* Is. XL. 28. impossibile pro possibili ponit, insipientes coarguens. Alioqui Isaias propheta dicit *:

(1) Laus pii chori in ecclesiis christianis canentis.

« Deus sempiternus, Deus finium terrae conditor, non esuriet neque laborabit, nec est investigatio sapientiae eius.

Peccatori dixit Deus etc. v. 16.

Quod nequaquam idolorum cultoribus et nondum divina luce donatis haec dicat Deus, sed Israhelitis, satis est evidens. Nam quae illis divinae legis cura esse poterat, qui ne utrum quidem esset sciebant? Quis illorum, inquam, divinum foedus ore memoraret? Peccatorem igitur hoc loco dicit refractarium inexpiabilemque iudaeum, adhuc peccati servum. Omnis enim, inquit *, qui facit peccatum, servus est peccati. * Ioh. VIII. 34
Non enim eos qui sunt huiusmodi adhuc liberavit filius.

Sedens adversus fratrem tuum detrahebas. v. 20.

Sedentes in synedriis Christo obloquebantur dicentes *: « quid agimus, quia hic * Ioh. XI. 47.
homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, venient Romani, nobisque auferent et gentem et regionem. » Tunc demum scandalum ei machinati sunt, et necis laqueum intenderunt. Namque ad Pilatum pertraxerunt, et ut cruci figeretur postularunt. Quod si Iudaeorum fratrem, et matris ipsorum filium vocat Christum psalmista, non excedit rectitudinis fines sermo. Natus est enim secundum carnem a Iudaeis, atque ob *Gr. p.* 351.
id synagogae filius dici potest.

Et illic via, qua monstrabo illi salutare Dei. v. 23.

Attende enim, quod etiamsi data fuisset antiquitus lex, quasi nondum demonstrata sit via qua quisque ad salutem tendat, demonstraturum se illam promittit. Sine controversia igitur meliores mosaicis sunt Christi res; siquidem via salutis ipse Christus est, eiusque mandata. Propterea divus dixit Isaias etc. *(nam reliqua sunt apud Corderium.)*

PSALMUS L.

Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. v. 3.

Nihil adeo ad misericordiam Dominum flectit, quam peccati confessio. Quare et David totam rogat in se misericordiam atque universum miserationum fontem effundi. Nam sicuti misericordiae magnitudinem petit, ita miserationum multitudinem implorat, propterea quod grande peccatum esset, nec nisi congruente clementia deleri posset. Certe manus homicidio pollutas eluere, Dei tantummodo miserationum officium est. Miseretur autem naturae is qui eam finxit. Scit enim, ipsam multa imbecillitate aegram facile pertrahi ad immundas carnis passiones. Nam facile praedatur humanam mentem peccati inventor, auxiliatricem habens saevientem in carneis membris legem. Adeundus est igitur spirituum medicus, ut bonam valetudinem menti conciliet; omne quippe robur ab eo est (1). Fortasse vero quia praevidebat David, fore ut temporum decursu hominibus Christus appareret, omnia mundi peccata deleturus, merito misericordiam magnam appellat tam insignem gratiam (2). Scriptum est enim *: omne pec- * Ps. CVI. 42.
catum oppilabit os suum. Namque ut ait apostolus *: Deus qui iustificat; quis est qui * Rom. VIII. 33.
condemnet? Iam Graeci dicunt πλημμέλημα huiusmodi peccatum, quod duplici legis transgressione conficitur.

Amplius lava me ab iniquitate mea etc. v. 4.

Quia dicit « amplius lava me » rursus heic animadverte, ut par est, Christi mysterium. Habuit lex purgationem per aquam, cuius etiam sapientissimus meminit Pau-

(1) En denuo divinae gratiae necessitatem.

(2) Pulcra et pia Cyrilli interpretatio *misericordiae magnae.*

* Hebr. IX. 13. Gr. p. 352. lus dicens *: « si enim sanguis taurorum et hircorum, et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad carnis emundationem. » Attamen invalidus erat typus ad peccati ablutionem, et carnis tantummodo purgationi conferebat; verum Christi baptismique gratia et vis, legalem purificationem superans, magis eluit; immo vero ipsam animam absolutissime purgat.

v. 6. **Tibi soli peccavi etc.**

Iob. XXXIV. 18. Impius est qui regi dicit « peccas » ait alicubi divina scriptura *. Quoniam itaque nemo erat qui me peccantem reprehendere posset, tuque solus corrector idoneus eras, ideo tibi soli peccavi. Bene autem addidit: et malum coram te feci; namque id in
* II. Reg. XI. 27. historia quoque refertur *, nempe illud facinus visum esse improbum coram Domino.

v. 6. **Ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris.**

Equidem, inquit, malorum auctor fui, tua vero aequitas vel hinc elucet. Nam si iudicium instituatur, et tua erga me benefacta in medium proferantur, meaque ex adverso opera illis componantur, tu quidem iustus clemensque videberis, ego autem peccator et ingratus. Ergo particula UT nequaquam hoc loco causam denotat: non enim ideo peccavit David, ut Deus iustificaretur; sed contra potius ex peccato tanto, Dei iustitia demonstratur. Omnium enim hominum providam gerit curam Deus.

v. 7. **Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.**

Hoc ait, non quia naturalis sit operatio peccatum; tunc enim de eo sumi poena non posset; sed quia fragilitas insita naturae est: eadem tamen proposito suo ac labore fit victrix, neque necessitate tenetur ob liberum arbitrium. – Fortasse etiam Babylone captivi, ut quidam existimant (1), Deo dicunt: si peccatorum meorum poenas a me expetis, iam expedit ut de progenitoribus quoque easdem sumas: nam ne illi quidem grati erga tua benefacta fuerunt. Ego itaque a patribus quodammodo hereditatis loco ut ingratus essem accepi, ex iisque peccatum contraho.

Gr. p. 353. Mos est sanctorum placandi Deum atque ad misericordiam provocandi, tum plurimis aliquando dictionibus, tum etiam coacte accusando haerentem hominis naturae
* Ps. CII. 14. 15. infirmitatem. Quare et clamantes audimus *: memento, Domine, quia pulvis sumus.
* Ps. LXXXVIII. 48. Homo sicut foenum dies eius. Item *: memento quae mea substantia. Id autem clarius
* Iob X. 10. exponens patientissimus Iob, ad Deum exclamabat *: « nonne sicut lac mulsisti me, atque ut caseum coagulasti? pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me, vitam et misericordiam posuisti apud me? » Tantumdem nunc quoque praecedentibus versiculis significari dicimus. Namque ipsum nostrum geniturae principium haud absque carneae voluptatis sorde fieri adfirmat. Honorabiles sunt sine dubio nuptiae, et extra omnem calumniam apud Deum. Attamen si quis coniugii ineundi causam vestiget, carnis cupiditatem esse comperiet; quamquam res acta peccati loco non habetur. Punitur vero copula, nisi adstipulantem habeat legem, et nisi liberorum susceptio, verus rei finis sit (2). Ergo quod adtinet ad solas cupiditates carnalesque motus, in iniquitatibus nos concipimur, et in peccatis appetunt matres. Quod si radi-

(1) Dici haec psalmi verba a captivis Babylone, revera putavit auctor graecae psalmorum paraphraseos, quam Corderius edidit. Sed frustra est; patres enim plerique omnes originale peccatum heic denotari censent. Noster quoque Cyrillus tum superiore versiculo, tum latius sequente tractu, naturalem id est originalem peccati fomitem in his psalmistae verbis agnoscit. Nonne vero et universum psalmum paenitenti Davidi tribuit Cyrillus? Quicquid autem de babylonicis captivis addit, ea non ore proprio, sed diserte κατά τινας, id est *ut nonnulli putant*, dicit.

(2) Confer similem Cyrilli locum in hoc ipso volumine explan. ep. I. ad Cor. p. lat. 52. Item lib. XV. de ador. in Sp. et ver. ed. Aubert. T. I. p. 525.

rem habet affectum carnalem corporum genitura, sequitur ut ea res plane sit morbida, et quicquid ex ipsa sequitur. Hinc sacratissimus Paulus de carnalibus motibus plurimum queritur dicens *: « condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? » Gratiae sint Deo per Iesum Christum dominum nostrum, per quem peccati mitigata lex fuit, et carnalium motuum adsultus mortificatus. Atque hoc praeter alia bona contulit nobis unigenitum Dei Verbum homo factum. Quam aeque rem divus Paulus testabitur *: « nam quod impossibile erat legis, in quo aegrotabat propter carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et pro peccato, damnavit in carne peccatum, ut legis iustitia perficiatur in nobis, qui secundum carnem non ambulamus sed secundum spiritum (1).

* Rom. VII. 22.

* Rom. VIII. 3.

Ecce enim veritatem dilexisti, incerta et occulta sapientiae tuae manifestati mihi. v. 8. *Cr. p.* 354.

Demonstravit, hominum naturam iam inde ab initio peccato succubuisse propter Evae transgressionem, et cuiusque nativitatem maledicto subiacere (2). Altius autem

(1) Confer Cyrillum in explan. ep. ad Rom. apud nos p. lat. 18.

(2) Hinc fortasse apparet, duplicem praecessisse Cyrilli ad v. 7. disputationem; priorem de peccato proprie originali, posteriorem de luxuriae passione quae genituram comitatur. Atque haec quidem posterior, utcumque superest; verum prior, quae sine dubio plurimi esset facienda, in codicibus nostris non occurrit: nisi forte Cyrillus iis contentus fuit quae dixerat ad Rom. V. 12. (apud nos p. lat. 6. et seq.) Peccatum originale, quale in posteris Adami est, consistere in gratiae iustificantis iustitiaeque privatione, quae efficimur irae filii et a Deo aversi, vera et praecisa est catholicorum theologorum sententia, iuxta divum Thomam dicentem: *privatio originalis iustitiae, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale* (scilicet *pars formalis*) *in peccato originali.* Prae manibus habeo, a docto et benigno Pisaurensium bibliothecario D. Petro Raphaëlio liberaliter communicatum, celeberrimi Cardinalis Iac. Sadoleti de peccato originali ineditum opusculum, elegante quidem stilo scriptum; sed quia rhetorico quasi more et ante tridentini decreta compositum fuit, haud scio quantopere illi innitendum sit. Eius tamen specimina aliquot heic recitare pretium operae est. Sic enim incipit.

*Acris est quaestio, et inter ceteras, quae catholicam Christi fidem in hoc tempore plurimae perturbant, diu et multum doctissimorum dissensionibus agitata, ecquodnam sit peccatum illud, quod a patre nostro capite humani generis Adam commissum primo, et adversus Deum insipienter susceptum, ex quo ille expulsus hortis nobilissimis, divinaque sententia terrae et morti addictus est, nos deinceps omnes stirpem progeniemque eius, qui vere ipse offendit, ita comprehendit et alligat, ut cuncti eadem imbuti culpa crimineque nascamur; nondum etiam expectato rationis iudicio, quo inter peccatum et recte factum valeamus discernere, simul atque in lucem editi, atque adeo in ipsa alvo matris, ut primum in naturam et speciem hominis adducti sumus, continuo rei paterni criminis arguamur, eandemque cum illo Dei offensionem, eandem poenam subeamus. Sic enim et litterae sacrae, divinaque in illis testimonia, et sancta mater nostra ecclesia, columna firmamentumque veritatis, nobis credendum suscipiendumque praescribit, cuius repugnare auctoritati non est fas. Est autem in sacris libris de hac re ita scriptum, quod crearit Deus primum parentem nostrum Adam, eumque in hortis amoenissimis collocarit, ut eorum ille cultura et custodia se exerceret; cumque ei commonstrasset arbores ceteras, viriditate, pulcritudine, pomorumque copia florentes, cunctas illi ad fruendum vescendumque concessit; unam tantummodo excepit, quae stabat in medio septi, arborem scientiae boni et mali, cuius a fructu pomisque Adam prohiberet: vetuit enim ex ea quicquam in cibum sumi. Nam quo die, inquit, de huiusce arboris pomis comederis, ex eo statim die morti eris obstrictus. Hoc igitur Dei praeceptum cum neglexisset Adam, uxorisque Evae suasu de pomis interdictae arboris edisset, eiectus a Deo confestim ex cultissimis hortis, et in incultam squalentemque terram proiectus, ex qua tamen terra antea compactus fuerat, post operosam et difficilem vitam, quae in terra degentibus omnibus proposita est, morti denique ipse cum omni sua posteritate est addictus. Hoc itaque peccatum, et hac peccati poena ab ipso patre nostro tradita, et transmissa nobis, in omne genus hominum penitus dimanavit, neque ullo unquam saeculo quisquam inventus est, qui quidem e viri semine esset ortus, quem huius paternae culpae tam in peccato, quam in peccati poena non comprehenderit labes *, sicut etiam a Paulo apostolo apertissime est demonstratum, qui ad Romanos scribens, per unum, inquit, hominem pecca-*

* Quomodo hac in re tridentinum concilium sess. V. immaculatae virginis Mariae conceptionem honoraverit, nemo ignorat.

contexit sermonem ut divini doni magnitudinem ostendat; quum Deus videlicet ex
tam longo maledicto per regenerationis lavacrum, nos eripuerit. Iam hoc loco voca-
bulo « veritas » videtur nuncupare sinceram cum veritate et iustitia vitam. Nam qui
ita vivere non vult, Deo mentitur. Homo enim ideo in lucem editus ut bene agat,
* Rom. I. 25. ut ait sapientissimus Paulus *, si fiat improbus, mentitur creatori suo, quia iustitiae
* Ps. XVII. 46. fructus non adfert. Sic alibi dicit divus etiam David in persona Christi Israhelitis *:
* Habac. III. 17. « filii alieni mentiti sunt mihi. » Item illud *: « mentietur opus olivae. » Sed et alio
modo interpretaberis: nempe imbecillam esse peccato purgando legem, quae ad car-
nis ablutionem aquam aspergit. Est autem incomparabiliter gratia Christi melior, quae
omnimodas sordes destruere valet. Se itaque testatur veritatem amare Deus. Porro
veritas Christus est, et quae ab eodem proveniunt; contra lex, typus et umbra. Tu
ergo, inquit, Domine, qui veritas es, vetatemque diligis, volens nos in veritate vitam
transigere, adeo nobis antiquum peccatum eluis, ut tamquam nix dealbemur. Dictio
autem « occulta manifestasti mihi » innuit futura omnia, quae in suae sapientiae the-
sauro Deus recondidit, per sanctum Spiritum fuisse revelata. Fortasse etiam exaggerat
peccatum suum, ut maiorem sibi incutiat pudorem, adfirmans se haud ignoranter pec-
casse, sed legis conscium, et postquam non regni solum befineccio verum etiam pro-

tum in mundum ingressum est, et per peccatum mors, et sic in omnes homines mors permeavit, quatenus omnes peccaverunt etc. *Nunc cum catholica ecclesia firme teneamus, nos et peccati et poenae eius quae peccatum secuta est, nempe interitus atque mortis, una cum patre nostro, velut illius heredes, reos factos esse. Quaeritur igitur quid sit hoc peccatum, quoque in nobis pacto haereat, ut simus propter id iure meritoque damnandi* etc. Pergit Sadoletus plurima dicere, et primum obiectiones multiplices contra originale peccatum; deinde argumenta et rationes varias, quibus a theologis praesertim scholasticis, pro diversitate systematum, peccati eius natura exposita fuit; tum ad antiquiores revertens ita subsumit. *Quibus ex omnibus intelligitur, primos illos maiores nostros, sanctitate doctrinaque praecellentes, scisse optime, quid esset hoc humani generis in parente Adam peccatum, quod non simpliciter peccatum, sed originis peccatum id appellaverunt, ut naturam ream huius peccati non voluntatem coarguerent; quo unico verbo plura et certiora de hoc peccato docuerunt, quam omnis secuta posteritas tam multis voluminibus fecerit. Est itaque hoc originis peccatum non deliberationis, naturae non voluntatis: sed et originis et naturae eo modo, ut voluntas et deliberatio omnino secutura sit. Neque enim potest homo in hunc amorem mundi carnis et rationis communi consensione nascens, non a Deo alienus aversusque existere. Itaque et apostolus Paulus natura nos confirmat irae filios esse* etc. Deinde multis exposuit Auctor quomodo baptismus originale peccatum in nobis deleat, concluditque: *ex quibus perspicuum factum esse arbitror, expiari nos et purgari ab originis peccato in baptismo, quoniam mens nostra, in qua proprie et praecipue haerebat illud peccatum, a mundo se revellens et abstrahens, totam Deo se committit, ab eoque tamquam patre, et exemplum vitae agendae suae, et spem beatae atque aeternae hereditatis expectat* etc. Postea de Christo domino baptismi auctore locutus, eiusque exemplis sanctissimis, ita opusculum suum concludit Sadoletus. *Cum ergo haec aversio a mundo, et ad Deum unum conversio unica sit in caelum perveniendi via, quis tantum hunc itineris recte conficiendi ducem deserens, alio duce putet eó, quo intenderit, pervenire se posse, cum praesertim alius nemo possit idoneus esse dux, sed reliqui deductores erraturi ipsi potius cum comitibus suis sint, quam eos tuto et sine offensione deducturi. Quemadmodum igitur qui solem itineris monstratorem repudiat, et alio lumine ad gradiendum utitur, si id data opera sic faciat, insaniat profecto, et caecum atque amentem ostendat se spectantibus, sic Christum non agnoscere unicum recti itineris ducem, aut insaniae est miserandae, aut impietatis non ferendae. Ac quemadmodum sol ambulantibus non modo lucem ipsam visumque ministrat, sed vegetat etiam oculos corporaque ambulantium, sic e Christo nobis non solum vitae exemplum divinitus agendae, sed vis etiam et vegetatio ad eam agendam influit, ut quod in nobis ipsis nihil aut certe minimum possumus, in Christo domino omnia et confidamus et valeamus; cuius gratia et misericordia, ut cum nobis concedatur rite sequi, ipsum eundem dominum Iesum Christum supplices deprecamur.* De peccato originali, quod est dogma auctoritate quidem certum, sed explicatu difficile, tres integros scripsit libros venerabilis Bellarminus in controversiis, ad quem libenter ablego lectores, praesertim monitos a divo Cyrillo apud nos pp. lat. 28. 34. 36. 113. 125. 139. de fidei necessitate, humanae sapientiae fallacia, et quod Deo sine ulla cavillatione credendum sit. Denique de peccato originali loci sunt Cyrilli item apud nos, praeter hunc, p. lat. 6. 7. 8. 140. 201. 224.

phetiae dono ornatus fuerat. Hinc ergo demonstrata culpae gravitate, absolutionem deinceps postulat dicens:

Asperges me hyssopo, et mundabor. v. 9.

Hyssopo sancti Spiritus operationem comparat, quia calorifica herba est, et nostram quamlibet abstergens maculam. Purgatio itaque per hyssopum fiet, sive per sanctum Spiritum. Etenim hyssopum herbam aiunt esse calidissimam stypticaque vi praeditam. Namque et medici hanc magni faciunt, utpote idoneam destruendis viscerum sordibus, et constrictis phlegmatibus aliorumque humorum concretione et crassitie dissolvendis, propter insitam illi naturalis caloris efficaciam. Oblique igitur innuit il- *Gr. p. 355.*
lam quae in nobis fit sancti Spiritus operationem, cuius gratia fervidam nostram efficit animam, omnemque nobis maculam aufert, ignis instar invisibiliter affusa. Propterea inspirati homines aiunt nos baptizari a Christo Spiritu sancto et igne (1). Pretiosus autem Christi sanguis non modo corruptela nos liberat, verum etiam interiore qualibet occulta impuritate, neque pigritia frigescere sinit.

Audire me facies exultationem et laetitiam etc. v. 10

Curabis, inquit, ut audiam per sanctum Spiritum futuram extremis temporibus exultationem. Quaenam porro haec, nisi illa notitia scilicet resurrectionis? quam etiam denotavit dicens: et exultabunt ossa humiliata. Quandonam vero exultabunt corrupta ossa, nisi tempore resurrectionis, quo, uti ait prophetia *, ossa nostra ut herba ger- * Is. LXVI 14.
minabunt (2)? Congrue autem verbis « asperges me » praedicta subiunxit: sequitur enim sancti baptismi gratiam spes resurrectionis, ad initia illa immortalis beatissimaeque vitae referens credentes in Christum. Tunc enim iusti ut sol fulgebunt, et quae mentem superant bonis fruentes, perennem habituri sunt laetitiam. Ergo purgatio per sanctum baptismum ilico et uno actu fit: datur enim in Christo gratia sancti Spiritus sanctificantis abstergentisque credentium corda. Auditur autem, neque hactenus spes fefellit, de futuris bonis exultatio ac laetitia. Quin adeo nonnullis interpretibus (3) exultatio et laetitia, divinis auditibus insonans, diversa res non videtur ab huiusmet datore Christo, qui renovabit suscitabitque singularum animarum vires passas contritionem. Ossa enim heic denotare putandum est mentis vigorem. Sed ut aliquid simplicius dicam, audiam inquit vocem exultationis, nempe quod duplex mihi peccatum condonatum fuerit.

(1) Bona haec demum ac simplex Cyrilli explicatio est, inter tot a theologis excogitatas, de baptismo in Spiritu sancto et igne.

(2) Huc usque fragmentum tribuitur Athanasio in huius editione. Sed repugnat Nicetas in codice vat. A. Et quidem Cyrillus continuat heic sermonem suum, Athanasius non item.

(3) Intelligit Cyrillus Apollinarem, ut ego feliciter comperi circa hunc ipsum locum in codice vat. B. f. 200, cuius egregium ineditumque fragmentum heic recitabo. ΑΠΟΛΙΝΑΡΙΟΥ. Ὁ μὲν σωτὴρ τὸν Ἀβραὰμ ἔφη προσδοκῶντα τὲ την ἡμέραν αὐτοῦ προηγαλλιᾶσθαι, καὶ παραγενομένης αὐτῆς ἰδεῖν καὶ χαίρειν· Ἀβραάμ, λέγων, ὁ πατὴρ ὑμῶν ἠγαλλιάσατο, ἵνα ἴδῃ τὴν ἡμέραν τὴν ἐμήν· καὶ ἴδε καὶ ἐχάρη· ὁ δὲ Δαβὶδ ἀντὶ τῆς ὄψεως, ἀκοὴν λέγει· ἀκούσεσθε λέγων ἐν ᾅδου τὴν αἰτίαν εὐφροσύνης μεγάλης, τὴν τῆς παρουσίας, ὑπὸ τοῦ πνεύματος αὐτῷ σημαινομένην· καὶ εὐφρανθήσεσθε μὲν ἐν ᾅδου τῷ πνεύματι· συναγάλλεσθαι δὲ αὐτῷ καὶ τὰ εἴσω μνημάτων ὀστέα, τῇ ἁμαρτίᾳ καὶ τῷ θανάτῳ τεταπεινωμένα, συνταφέντος αὐτοῖς τοῦ τῆς ἀναστάσεως αἰτίου σώματος. APOLLINARIS. *Servator quidem dixit, Abrahamum diem eius expectantem gavisum esse; quo die iam praesente, Servatorem cum gaudio vidisse. Sic enim ait: Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum; vidit, et gavisus est* (Ioh. VIII. 56.) *David vero pro visu dicit auditum. Audietis, inquit, in inferis magnae laetitiae causam, scilicet ob adventum (Christi) quem illi Spiritus revelaverat. Et exultabitis quidem spiritu in inferis. Congaudebunt autem cum ipso etiam ossa in sepulcris condita, quae peccato et morte humiliata fuerant, quandoquidem una cum illis sepultum fuit corpus illud, quod est causa resurrectionis.*

v. 11. **Averte faciem tuam a peccatis meis.**

Gr. p. 356 Ne aspicias, inquit, iniquitates meas, sed me potius qui eas deploro. – Haec autem petere, nihil est aliud quam velle terrae incolis dari gratiam Christi.

v. 12. **Cor mundum crea in me, Deus.**

Creatio apud sacram scripturam dicitur non solum effectio ex nihilo, verum etiam rei existentis in melius provectio. Creavit Deus caelum: hoc est ex nihilo facere. Creat etiam, cum malum hominem, bonum fecerit. Heic quidem creatio, rerum est in melius mutatio. Audi enim ipsum Davidem, qui quamquam ipse cum corde suo iamdiu creatus fuerat, attamen quia adulterii et homicidii reum se fecerat, et in corruptelam ruebat, crea inquit in me cor mundum; non quod antea corde careret, neque de animae substantia loquens, sed de optimo vitae genere. Fortasse etiam, quasi omnium sit cor pollutum, propter Adami transgressionem et in vitium flexu (1), reformationem quamdam rerum nostrarum fieri ab omnium creatore sancti postulant, qui nostram naturam novit et omnia potest, quod et reapse fecit. Nam reformati in Christo fuimus novitate mentis nostrae; corque purum gerimus, ad virtutis studium conversi.

v. 13. **Ne proiicias me a facie tua, et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.**

Iis, quae sibi acciderant, commotus David, assumpta humani generis persona, pro universo orbe precatur. Nam iam inde ab Adami transgressione, ceu ab initio generis, a Deo aversa est humana natura: itaque et a paradiso expulsa fuit, et maledicta evasit, quae prius fuerat a creatore benedicta. Iam aucta generis multitudine, peccatique tyrannide cunctos premente, recessit etiam ille sanctus Dei spiritus nobis
* Gen. VI. 3. insufflatus, et imaginis pulcritudo deleta fuit. Dixit enim omnium Deus *: non permanebit in huiusmodi hominibus Spiritus meus, quia ipsi carnes sunt. Dum ait itaque: ne proiicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me, duo simul petit, nempe factae aversionis terminum, et sancti Spiritus ad nos reditum.
Gr. p. 357. Quod enim iure meritoque recesserit, propterea quod omnium cor ad malitiam sit pronum ab adolescentia, demonstrat egregie dicens: ne auferas a me. Nihilo tamen minus a Dei clementia postulat, ut malorum, quae praeter spem evenerant finis fiat: quod idem est, ac sancti Spiritus qui a nobis recesserat restitutio, quae reapse per Christum accidit; qui similitudine nostra adsumpta, aversionem sustulit, puram et irreprehensibilem in se ipso exhibens hominis naturam Deo patri. Accepit etiam Spiritum; quamquam, ut facile intelligitur, ipse revera est Spiritûs dator, quem per Chri-
* Ioh. XX. 22. stum in homines pater immittit. Insufflavit itaque in apostolos dicens *: accipite Spiritum sanctum. Sic enim in mundi quoque primordiis datus fuit hominis naturae.

v. 14. **Redde mihi laetitiam salutaris tui.**

Participem fieri humanam naturam primitivorum bonorum petit, quod reapse evenit mediatore Christo, qui est laetitia et salus. Etenim nos liberavit a corruptelae tristitia, morte destructa: servatique fuimus, peccati onere per sanctum baptismum abiecto, confirmatique sumus principali Spiritu, quibus verbis intelligitur data a sancto Spiritu fortitudo: quam si quis susceperit et mente sua condiderit, dominabitur omnino cupiditatibus suis, et diabolicam vim superabit, principem ducemve intra se
* Rom. VIII 14. habens Spiritum. Nam quicumque, inquit scriptura *, Spiritu Dei aguntur, hi sunt
* Gal. V. 16. filii Dei. Et rursus *: spiritu ambulate, et carnis concupiscentiam ne perficiatis (2).

(1) Denuo heic et infra de peccato originali.

(2) Ita graecus textus modo coniunctivo.

Exultabit lingua mea iustitiam tuam. v. 16

Vel etiam sic. Argumentum spiritalis festi tuam faciet iustitiam, quae per fidei gratiam impium iustificat; idest per ipsum dominum nostrum Iesum Christum, qui datus est nobis a Deo patre iustitia, sanctificatio, et redemptio.

Domine, labia mea aperies. v. 17.

Natura comparatum est ut culpa linguam vinciat, et os oppilet. Quia ergo Davidis quoque clausa fuerant a peccato labia, postulat haec aperiri, et priorem fiduciam recipere. Labia mea aperies, inquit, quia id divinum negotium est: non enim Gr. p. 358
est speciosa laus in ore peccatoris *. Aperitur autem per paenitentiam os, quod tum * Eccli XV. 9
incipit Deum laudare. Captivi item (1), quia Dei canticum in aliena regione canere ipsis non licebat, vel sacrificium peragere, reditum postulant.

Sacrificium Deo spiritus contritus. v. 19.

Spiritalis cultus vis haud mente tantummodo exercetur, sed comitem semper habere solet bonorum operum odorem, quem obedientia docilitasque efficiunt. Obedientiam porro fructum esse dicimus mollis cordis atque tractabilis, nihilque rigidum habentis; secus ac illud fuit immitium Iudaeorum durum ac indocile. Quare sibi induens illorum personam sanctus quidam propheta aiebat *: « cur errare nos fecisti, * Is. LXIII. 17
Domine, a via tua, et nostra corda obdurasti, quominus te metueremus? » Certe Dei doctrinae capacia prorsus non sunt dura corda. Ergo non sine causa idoneum est Deo sacrificium, et spiritalis odoris oblatio, spiritus contritus, id est mollis anima et divinis dictis obtemperans.

Benigne fac, Domine, bona voluntate tua Sioni. v. 20.

Secundum anagogem vero (2), cum benigne te geres erga Sionem, id est ecclesiam, cuncta instaurare in filio complacens, et cum aedificabuntur ecclesiae parietes, qui sunt huius praesidiarii sacerdotes atque doctores, tunc sacrificia offerentur haud cruenta, sed iustitiae ac laudis. Pariter et oblatio et holocausta, iustitiâ constabunt.

Tunc imponent super altare tuum vitulos. v. 21

Sacrum animal et legitimum vitulus; offertur enim ad sacrificium, quia purum est, maius item capra et ove; ipsa corporis magnitudine typum gerens perfectissimi sacrificii, salientisque in supernas sedes odoris intellectualis. Nam corporis moles, imago videtur spiritalis amplitudinis, quatenus de virtutibus intelligitur. Imponent igitur, ait, super altare tuum vitulos, id est perfectissima sacrificia. Vel fortasse vitulos hoc loco populorum doctores per aenigma nominat, propter spiritalem mentis fortitudinem, quorum etiam vita sacra est. Hos nobis sensus sapientissimus Paulus Gr. p. 359.
suggerit, dum ait scriptum in lege *: « bovem triturantem non coarctabis camo. Deinde * I. Cor. IX. 9
addens: num Deo cura est de bobus? An propter nos utique hoc dicit? »

PSALMUS LI.

Cur gloriatur malitiâ, qui potens est iniquitate? v. 1

Potentem vocat Doëcum utpote Saulis familiarem, vel etiam magna malitia praeditum. Vel Rhapsacem intelligit, qui dux fuit missus contra Hierusalem, ex qua olim oriundus, captivus venerat in manus Assyriorum (3). Est ergo prohoemium admirantis

(1) Hoc dicitur ex sententia eorum, qui hunc psalmum ad res quoque babylonicas extendendum putarunt; de qua re iam diximus p. 220. adn. 1.

(2) Videmus heic deesse priorem cyrilliani fragmenti partem.

(3) Hinc causam cognoscimus, cur Rhapsaces iudaicam linguam calluerit, eaque hierosolymitanos sit allocutus, atque ad apostasiam suam imitandam hortatus IV. Reg. XVIII. 28.

atque ut par est anxii, quod in tantum malitiae nonnulli venerint, ut quorum peccatorum causa lugere deberent, his immo glorientur. Verumtamen etsi historia Doëcum habet, nihilominus proditorem Iudam portendit, adeo malitia potentem, ut benefactorem suum prodiderit.

v. 4. **Sicut novacula acuta dolum fecisti.**

Hoc de Doëco dictum est, qui universam sacerdotum civitatem ceu novacula ex-
* I. Reg. XXII. 18. cidit *: adeo vehemens eius calumnia fuit! De Rhapsace autem, quatenus populum
decipere nisus est, civitatemque proditione pessumdare. Denique acutus et prope insensibili acie caedens Iudae dolus fuit. Quid enim illo dolo acutius, quem proditio-
* Matth. XXVI. 48. nis lingua exacuens, de Iesu cum captoribus compeciscebatur *: quem ego osculatus
fuero, ipse est; tenete eum.

v. 5. **Dilexisti prae bonitate malitiam, et iniquitatem magis quam loqui aequitatem.**

Iniuste egit Doëcus, cum sacerdoti calumniatus est, et numquam ab eo acta ad-
* Cap. cit. v. 10. firmavit. Nam quod dixit, eum pro Davide Deum esse precatum *, mendacium contra
rei veritatem fuit. Poterat autem cum aequitate loqui, Saulem docendo, causam, ob quam David secessisset, ignotam sacerdoti fuisse, tamquam regis familiarem excepisse, ac veluti regiis mandatis defungentem; honorandi mittentis causa, amice tractasse. Satanae pariter haec officia sunt, malitia scilicet et iniustitia gaudere. Increpat ergo Iudaeos, qui Christi iustitiam non admiserunt.

v. 6. Gr. p. 360. **Dilexisti omnia verba praecipitationis, linguam dolosam.**

Merito haec dici possunt etiam de Iudaeorum principibus ipsoque Iuda. Namque et illi effrenate Domino obtrectaverunt, et proditor verbis usus est dolo hypocrisique plenis. Credi autem praecipitationis verba queunt quae in necem pertrahunt, atque ad inferos animam hominis deprimunt, susurrationes, obtrectationes, et adversus Deum blasphemia.

v. 7. **Emigrabit te de tabernaculo, et radicem tuam de terra viventium.**

De tabernaculo, id est de discipulatus statione, expellet; radicemque tuam, utpote dumosae arboris, de terra viventium et de apostolico agro evellet. Id etiam iu-
* Ps. LXVIII. 29. daico populo accidit, qui in Christo iustificari noluit. Simile hoc dicto illi *: deleantur
de libro viventium. Iussi quoque migrare sunt de sacerdotali tabernaculo, in captivitatem abducti propter Domini crucifixionem.

v. 10. **Speravi de misericordia Dei in aeternum.**

Ego, inquit, nulli rei vanae ac terrenae confisus sum, sed Dei misericordiae quae iniuriam patientes comitari solet. Anagogice vero misericordiam Dei Christum divinae scripturae appellant, propterea quod misericordiam per ipsum nacti sumus. Namque omnia instauravit in ipso ac reformavit pater. Utique is qui eleemosynas facit, Dei misericordiam sperat, probe gnarus fore ut misericordes misericordiam consequantur. Et quidem spes eius haud uno saeculo terminatur, sed huius spatium adeo excedit, ut finis loco habeat immensitatem, quod psalmista saeculum saeculorum vocitat.

PSALMUS LII.

v. 1. **In finem, pro maëleth, intelligentiae Davidi.**

Ad verba quod adtinet psalmus hic tertium decimum imitatur, idemque argumentum habet, nempe de Rhapsace, et iis quae tunc evenerunt, nec non de Domini adventu vaticinium (1). Paucae vero dictiones utrumque discernunt; nam tertius deci-

(1) Ergo Cyrillus haec dixerat in expositione argumenti psalmi XIII, quae pars deerat in codd.

mus inscribitur: in finem Davidi; hic autem habet quidem aeque in titulo « in finem, Davidi: » verum abundat his verbis « pro maëleth, intelligentiae » quae significant triumphalem esse hunc psalmum, non sine chorea scite canendum. Nam tripudium seu choream maëleth interpretamur (1). Sane pro « in finem » alii interpretes scribunt « triumphale (2). » Atque ut universum titulum accurate enucleemus, dictio quidem « in finem » significare potest tempus quo prophetiae complendae erant tam de Rhapsace et Assyriis, quam de Christi adventu. Namque et illud Assyriorum mirabile exitium, cuius causa titulus inscribitur « pro chorea » quam salutem adepti duxerunt, multo post Davidem tempore contigit; et salutare Dei in saeculi consummatione terrae incolis apparens, choream instituit ex omnibus gentibus in ecclesia eius conflatam. Quamobrem compositus hic psalmus fuit ob tripudia et choreas quae postremis saeculi temporibus fuere, cum Unigenitus factus est homo. Vocabulum autem « intelligentiae » necessario additum est, quia nobis intelligentia opus est ad psalmodiae sensum cognoscendum. *Gr. p. 361*

Dissipavit Deus ossa eorum qui hominibus placeat. v. 6.

Dogmaticas irreligiosorum vires, ossa dicit, quae nimirum suis scriptis inseruerunt, docentes adorare creaturam pro creatore.

De iis quae post psalmum LII. ad LVII. desiderantur, diximus pag. gr. 361.

PSALMUS LVII.

Etenim in corde iniquitates operamini in terra. v. 3.

Haud temere additur « in terra. » Etiamsi enim iniquitatem quispiam intra cor committat, tamen ipsam operatur in terra, id est in materialibus rebus. Audiant etiam Iudaei: recte iudicate, et vobiscum reputate, num sermonibus vestris opera consonent. Nam videmini iniquitatem corde moliri, et aliud quidem cogitare, aliud autem ore loqui. Quamvis enim bona verba sunt, quibus legi favere vultis, cor tamen acerbitate redundat, actusque pariter iniquitate scatent, unde cordis cogitationes coarguuntur; quae in terra quidem latere queunt, non tamen cum omnia nudata iudicabuntur. Pergit mox, de iis qui salute exciderunt queritans, verbis quae sequuntur.

Alienati sunt peccatores ab utero. v. 4. *Gr. p. 362.*

Nonnulli sunt, qui consuetam inspiratis scripturis locutionem ignorantes, putant aliquos Dei operà iam inde ab utero abalienatos, et tamquam in ipsis matris visceribus, et ante plenum rationis usum, errore irretitos. Atqui hoc nihil aliud est, quam malum natura esse congenitum adfirmare, et alios in ipsa sui creatione ad bonos mores, alios ad improbos informari. Est autem haec Manichaeorum (3) sententia vel potius dementia, sic enim verius dicetur. Animadverte igitur, beatum Davidem non dixisse abalienatos quosdam Dei operà, sed simpliciter et absolute, non a Deo, sed ab utero. Nam, tamquam iam existentes, ait peccatores abalienatos iam inde ab utero maternisque visceribus, id est extraneos remotosque factos, et sine utero visceribus-

(1) Recte, nam reapse מְחֹלוֹת sunt *tripudia* vel *choreae* in multis sacrorum bibliorum locis quos singillatim adnumerare supervacaneum est. Aquila quoque et Theodotio aiunt ἐπὶ χορείᾳ et ὑπὲρ τῆς χορείας; Symmachus διὰ χοροῦ; Hieronymus *per chorum*. Nonnulli tamen philologi hoc vocabulo instrumentum musicum denotari existimant.

(2) Nempe Aquila τῷ νικοποιῷ, Symmachus ἐπινίκιον, Theodotio et quinta editio εἰς τὸ νῖκος.

(3) Innuit mali numinis, seu principii, in sententia Manichaeorum, adversus humanam libertatem, vim. Porro nos auctorum veterum nova adversus Manichaeos opuscula prelo propediem subiciemus.

que intellectualibus, quae bonos fructus parere queant. Nostra enim sumpta de tellure corpora, secundum propriam naturam pariunt. Hominum vero animae de cordibus suis, quasi de vulva et utero, bonos fructus efferunt, superne a Deo susceptis pietatis seminibus.

v. 4. **Erraverunt (1), ab utero locuti sunt mendacia.**

Designat autem prophetia etiam Iudaeos, quibus nulla consequendae salutis occasio inerat: quippe qui prognostica Dei providentia inter perversos reputati fuerant, et ante etiam conceptum ei cogniti. Locuti porro sunt mendacia haud proprie ab utero, sed idonea aetate. More autem suo David repetitione utitur: nam alienati sunt, idem valet atque erraverunt, et vulva idem est ac uterus; ita ut unus sensus utriusque dictionis sit. alienati sunt peccatores ab utero, locutique mendacia sunt. Quorum furor,
v. 5. similis est furori patris mendacii, prisci illius serpentis. Audi enim: furor est illis secundum similitudinem serpentis.

v. 8. **Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens.**

Aqua decurrens, eodem loco non permanet. Eadem ergo ratione impii quoque in prosperitate non perseverant, sed aquae currentis instar ad exitium properant.

v. 8. **Intendit arcum suum.**

Arcum Deo cum tribui audis, iram eius cogita mortiferam.

v. 9. Gr. p. 450. **Sicut cera, quae fluit, auferentur.**

Cerae instar igni admotae et liquescentis dissolventur, vitaque spoliabuntur. Hoc enim significant verba: et non viderunt solem.

v. 12. Gr. p. 363. **Et dicet homo: si utique fructus iusto etc.**

Graeca particula ἄρα, haud heic dubitantis est, sed hominis magis qui iam sibi persuasit et credidit, et iam veluti concedit, se fructum sui erga Deum amoris cepisse, veniam eius videlicet et auxilium. Profecto ipse fit, ut dixi, per Dei tutelam incolumis; punitur vero per eundem peccator.

PSALMUS LVIII.

v. 4. **Ecce venati sunt animam meam.**

Non enim destiterunt miseri a sua perversitate Iudaei, Christum persequentes, eique laqueos dolosque intendentes, et improbum quodvis genus machinationum molientes.

v. 6. **Et tu, Domine, Deus virtutum, Deus Israhelis etc.**

Innocentiam David in uno esse conspiciens de se secundum carnem Christo exorturo, nec non suorum popularium Iudaeorum contra se furorem spiritu praevidens, angelicarum potestatum dominum, et Israhelis Deum orat, ut Iudaeis neglectis, immo nulla venia ob deicidium donatis, cunctam suam ad ethnicos transferat providentiam, ut hos divinae notitiae lumine illustret. Neque solus David fieri postulat idololatrarum ad Christi fidem conversionem, Israhelis autem ob iniquitates suas reiectionem, sed et ipse Dominus. Audi enim quomodo etiam ante incarnationem, tamquam si nobiscum iam versaretur, pro universo mundo sermocinatur cum caelesti patre Deo (2). — Certe et olim respexit terram Deus, verumtamen ad Israhelem tantummodo respectus eius erat: apud quem paedagogus erat Moyses, qui per typos umbrasque ad mysterium Christi deducebat. Finis enim legis et prophetarum Christus est. Et lex qui-

(1) Ita interpungit, et mox interpretatur Cyrillus.
(2) Desunt sacrae scripturae verba a Cyrillo designata.

dem olim quoque audiebatur, verumtamen in Iudaea tantummodo: sed enim divina caelestisque praedicatio universum orbem circumiit. Ita quippe dictum est de apostolis *: in omnem terram exivit sonus eorum, et reliqua. – Haec humano more patrem suum ac dominum virtutum, Deumque Israhelis orat et consequi vult Christus. * Ps. XVIII. 5.

PSALMUS LIX.

Salvum fac dexterâ tuâ. v. 7. Gr. p. 364.

Dexteram esse patris dicimus filium, per quem omnia facta fuerunt.

In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum rediget qui nos affligunt. v. 14.

Ita Paulus affectus erat quum diceret *: omnia possum in eo qui me confortat Christo. Et rursus *: non ego, sed gratia quae mecum est. * Philipp. IV. 13. * I. Cor. XV. 10.

PSALMUS LX.

Ductor mihi fuisti, quia factus es spes mea, turris fortitudinis. v. 3-4.

Quoniam ductorum officium est demonstrare quaenam sit tuta via, quaenam item fallax et damnosa testari, id quoque a Christo factum comperimus dicente *: ego sum via et ianua. Turris autem fortitudinis perinde est ac si dicatur: murus et munimen factus es, ne quid ab insidiosis inimicis patiar. Nam sicut, impressionem facientibus hostibus, hi qui validam turrim tenent, incolumes sunt; ita cum ab inimicis nos oppugnamur, firma turris et inconcussa fit Christus, et sibi confidentes facile salvat. * Ioh. X. 9.

Habitabo in tabernaculo tuo in saecula, protegar velamento alarum tuarum. v. 5.

Sensus est. Ob accepta iam beneficia, futura quoque sperat: fore scilicet ut in superna tabernacula migrans, sub illius semper tutela sit. Nam velut ii qui festum aliquem diem celebraturi sunt, eo iam proximo, laetitiam praecipiunt et quasi praesentem spectant; sic etiam sancti bonam futurae vitae spem gerentes, ea laetantur. Alas vero vocat Dei providas vires, quibus Dei amans protegitur, nusquam a Dei tabernaculo discedens, sed illic omni aevo residens.

Dies supra dies regi adicies. v. 7.

Sensus est. Haec verba significant, hanc quoque partem esse hereditatis, nempe vitam aeternam. Tantumdem enim valet locutio, dies dierum regis annis adiicere. Vocabulum quippe dies heic tempora quaedam denotat atque saecula. Cave autem existimes de uno aliquo rege haec dici; sed de quovis ad regnum Dei vocato homine Gr. p. 365. dicta magis scito: quem etiam aeternaliter coram Deo mansurum adfirmat. Nam qui conformati passionibus eius fuerunt, iidem et cum ipso perpetuo regnabunt. Ergo quum antea propheta dixisset: quoniam tu Deus preces meas exaudisti, per hyperbaton connexuit: dies supra dies adiecisti. Mediam autem collocavit timentium Dominum mentionem, quoniam his prophetia promisit hereditatem, quae vita aeterna est.

PSALMUS LXI.

Nonne Deo subiecta erit anima mea? v. 2.

In animae erga Deum submissione, salutem niti David declarat. Certe res optima et perutilis et cuiuslibet nobis spei bonae ministra est, Deo subiici, mentem nostram iugo eius supponere, eique cum omni pietate adhaerere, propheticum illud dicentes *: ecce (1) nos erimus tibi, quia dominus Deus noster es. * Hierem. III. 22.

(1) Hoc loco codex noster graecus οἴδε, textus septuagintaviralis δοῦλοι, vulgatus lat. *venimus*.

v. 4 **Quousque irruitis in hominem? interficitis universi vos?**

Satanas enim cum filiis suis interfector animarum spirituumque est: quos ad peccatum iam vergentes, propter insitam naturae infirmitatem, ad lapsum impellit. Fortasse etiam in malos diaboli ministros sermo invehitur, excessum illis exprobrans structarum machinationum: homo enim animal, inquit, infirmum est; vos vero illum urgetis, haud primo impetu contenti, sed et secundum ac tertium admovetis; donec eius animam victam vobis substernatis, ita ut ea similis evadat parieti inclinato et maceriae dirutae.

v. 5. **Verumtamen honorem meum cogitaverunt repellere.**

Mentis quoque propemodum usu daemones nos deiecerunt, dum ligna et lapi-
* Ps. XLVIII. 21. des colere coëgerunt; ut de nobis diceretur *: homo quum in honore esset, non intellexit (1).

v. 5. **In siti cucurrerunt.**

Irruentium daemonum vehementiam dicit, qui in nos incurrunt perniciem nos-
Gr. p. 366. tram sitientes et honoris spoliationem. Audin quomodo iniquitatis filii depellere nos student concesso per Deum honore, et exuere nituntur datis superne bonis? Dum volunt sanctos honore spoliare, sitiunt nimirum negotii sui successum, atque omne in eo peragendo studium collocant. Hoc est, in siti currere. Quibus vero machinis utuntur?

v. 5. **Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.**

Sunt enimvero sunt quidam duplici lingua duplicique corde praediti, qui verbis quidem bonitatem prae se ferunt, veneno autem malitiaque omni refertam mentem gerunt.

v. 6. **Verumtamen Deo subiecta esto anima mea.**

Rursus animam suam alloquitur, submissionem eius Deo graviter inculcans. Signi-
* I. Cor. X. 13. ficat autem tentationum magnitudinem, atque illud apostoli dicit *: quia non sinet nos tentari supra id quod possumus. Ab ipso enim est patientia mea.

v. 7. **Quia ipse Deus meus, et salvator meus, adiutor meus, non emigrabo.**

Confitemur haud timide sed confidenter atque sincere Deum nostrum esse Emmanuelem, quem sancta deipara Virgo enixa est (2). Ergo ipsum agnoscentes verum Deum et salutis fontem, non patiemur servitium commutare, atque ad alium dominatum transire. Nam dictionem non emigrabo, pro non demutabor posuit. Non ero inquit transfuga a veritate ad errorem, neque servus peccati.

v. 9. **Sperate in eo omnis congregatio populorum.**

Haud particularem aliquam dicit congregationem, veluti illam Moysis. – Simul autem et altiore vaticinio gentium omnium praedicit vocationem. Venit enim Unigenitus haud particularem aliquam facturus vocationem, sed cunctis per orbem clamans
* Ps. XLVIII. 2. dicensque *: audite omnes gentes, et reliqua. Nam lex mosaica unum docuit Israhelis populum; Christi autem gratia toto orbe patet.

v. 10. Gr. p. 367. **Verumtamen vani filii hominum.**

Vani revera filii hominum, id est terrena tantum sapientes, carnis cupidinibus dediti, temporalia sola quaerentes.

v. 11. **Divitiae si affluant, nolite cor apponere.**

Nihil magnopere aestimes. Praetereunt enim, ut dixi, divitiae; vixque ut umbra

(1) Dat Nicetas Cyrillo in cod. vat. hoc fragmentum; itemque ad v. 6, quae alii nescio quo iure Athanasio tribuerunt.

(2) Centies videre est Cyrilli de Christi divinitate, et de beatae Mariae divina maternitate fidem.

conspectae dilabuntur. Quaeramus autem iustitiam Dei, scrutemur eius voluntatem bonam et bene placitam ac perfectam.

Semel locutus est Deus, duo haec audivi. v. 12.

Quid ais o beate David? Semel locutum adfirmas omnium Deum? Quomodo, inquam, id vere dicas? Locutus est enim non semel sed saepissime, multifariam, multisque modis ad maiores nostros. Cur ergo heic dicis, semel locutum esse Deum? Intelligamus sermonis vim: vult enim vir inspiratus hoc dicere: etiamsi semel, inquit, locutus Deus esset, equidem quum rei utilitatem recte noverim, haud longos eius sermones requirerem. Semel loquatur, et obtemperamus: duplicemque in me recipio eruditionem, animalem scilicet et spiritalem. Duplex enim semper est pietatis nostrae ratio, duplumque conatum habet, quem in odorem suavitatis Deo offerimus. Nos quippe oportet et corpore et spiritu esse puros. Vel, semel locutus est, dicitur pro perstat firmiter Dei sermo cum Moyse habitus, et numquam revocatus, quia dominus Deus misericors et clemens, et iustitiae tenax. Ergo vocabulum « semel » non de numero ponitur, sed de re prorsus eventura. Impossibile est enim non fieri, quod Deus futurum declaravit. Neque decretum revocabit. Ut illud *: semel iuravi in sancto * Ps. LXXXVIII 36.
meo, pro firmiter. Vel denique semel heic dicitur, quia etiamsi Deus multoties sit locutus, unus tamen multifariorum eius sermonum scopus est, nempe ut Deum fortem esse et clementem cognoscamus; atque uti fortem metuamus, uti ad clementem confugiamus.

Quia potestas Dei est, et apud te Domine misericordia. v. 12-13.

Quia potens est, inquit, Dominus in iudicio, idemque clemens. Verba enim de iudicio fecit, seque duo haec audisse ait, nempe quod ira dignis, propter suorum peccatorum excessum, iram retribuet: iis vero qui digna opera fecerint misericordià, hanc largietur. Nam potestatis vocabulum iram significat, et, adversus eam merentes, severitatem. Dominatur enim omnibus, qui potestate sua tenet omnia Deus; va- *Gr. p. 388.*
lidaque manu superbum evertit, apostatam punit, miseretur vero amantium se. Nimirum unicuique retribuet pro suorum operum merito. Ne ergo in iniustitia confidatis, neque divitiis inhietis.

PSALMUS LXII.

Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. v. 1.

Vigilare nos monet ad Deum, non ita ut aliis simul negotiis distractam mentem habeamus, sed ut unice iis dediti rebus simus, quae Deo rectae videntur et placent. Haec est enim digna vere sanctis hominibus conversatio et optimae vitae ratio.

Sitivit ad te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea, in terra deserta et invia et inaquosa. v. 2.

Haec dicit anima in regione a doctrinis sanis deserta, quae idcirco divinam irrigationem requirit. Possunt etiam verba, sitivit ad te anima mea et caro mea, significare statum eius qui carnem spiritui subiecerit, et animae consentientem fecerit, desertam scilicet a passionibus, atque inviam et inaquosam, id est lascivia liberam, et execrandis lubricitatis ac voluptatis humoribus. Quum ergo nos quoque membra nostra terrena mortificaverimus (1), tunc licebit Davidis verba confidenter dicere: sic in sancto, et reliqua. — Vel fortasse: sitiens cupiensque cum sancto tuo coniunctionem. Quis porro sanctus, nisi unigenitus filius tuus?

(1) Merito voluptates saepe castigat in hac expl. Cyrillus luxuriosissimae urbis episcopus.

v. 4. **Quoniam melior est misericordia tua super vitas.**

Qui misericordiam Dei, id est Christi, adepti sunt, et praesentem vitam nihili aestimant, ii verba haec pronunciabunt; nempe cuilibet longae in hoc mundo vitae praestare concessam sibi ab Unigenito misericordiam. Vel misericordiam dicit salutem in Christo; vitas autem legem, seu secundum legem vitae genus. Melior itaque, ait, quam vitae sunt, misericordia tua.

v. 4-5. **Labia mea laudabunt te, sic benedicam tibi in vita mea.**

Labiorum quasi fructum laudes sacras promittit; Deoque non ore tantummodo benedicere statuit, verum etiam vita sua, id est morum suorum honestate glorificare:
Co. p. 369. aitque, manus se ad alienum Deum non esse sublaturum, sed tibi soli, tuique unius nomen in precibus invocaturum, nec quicquam a falsis diis petiturum; sed tibi vero suapte natura Deo supplicaturum. Est autem haec digna sanctis hominibus atque optima gloriatio, nosse unum omnium Deum, eique preces offerre.

v. 6. **Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea.**

Demonstrat quantum capiant emolumentum ii, qui in Deo solo spem collocarunt. Sicut enim corpus ab adipatis id est pinguibus eduliis fit obesius, ita et animae accidit ex copiosa Spiritus largitione ac hilaritate; qua quidem repleri propheta postulat, ut labio exultante Dominum laudet spiritali cibo saturatus. Cum, inquit, nomen tuum in memoriam revoco, tunc enimvero os meum gaudio repletur.

v. 8. **In velamento alarum tuarum exultabo.**

Tutelarem Dei vim significat. Vel alarum vocabulo vetus novumque testamentum innuit.

v. 9. **Adhaesit anima mea post te.**

Adhaesionem vocat, mentem veluti defixam, et in virtute constantiam, et indi-
* Rom. VIII. 35. vulsum amorem. Huiusmodi Paulus erat, dum aiebat *: quis nos separabit a caritate Christi? Cum vero purus aliquis puro copulatur, tunc ab eius deinceps dextera regitur, id est Christi. Ipse enim dextera Dei est, per quam omnia regit atque operatur. Ille autem Domino adhaerere potest, qui ad ipsum beatitudinis finem pervenerit; qui
* Deut. V. 31. et Deum sibi dicentem audit *: tu vero heic permane mecum.

v. 10. **Introibunt in infima terrae.**

Increpat deinceps adversarias potestates, a quibus passus est vim, orans ut aeternis tradantur suppliciis; vel potius vaticinatur (1) fore ut in illas mala recidant quae sibi fuerant machinatae; mors nimirum, descensus ad inferos, gladius quem contra ipsum intenderant, bestiis traditio.

v. 11. **Tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.**

Poenam quae illic dabitur demonstrat gladius, cuius manus existimandae sunt
Co. p. 370. vel dolores ab ipso inflicti, vel eius ministri, qui irae vasa dicuntur. Propter improbitatem autem suam malae potestates appellantur vulpes: etenim laniant infirmiorum animas vulpes intellectuales, quae mortuis putridisque cadaveribus nutriri solent, id est improbi et perversissimi spiritus. Nam quum callidum immundumque animal vulpes sit, in impurorum malitiae spirituum exemplum sumitur, a quibus hac illac circumaguntur ignavi homines, non autem legis observatores. Nam recte de iusto di-
* Ps. XXXVI. 31. ctum est *: lex Dei in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus eius. Lex enim ad ea quae Deo sunt placita dirigit.

(1) Bona observatio, quod nempe in sacris libris imprecationes, vaticinia potius saepenumero sint.

Rex vero laetabitur in Deo, laudabitur omnis qui iurat in eo. v. 12.

Adeo gaudium eorum, regum scilicet, Christus erit, ut ipsis merito laudi tribuendum sit quod etiam per illum iurent. Iurant enim Deum verum, uti scriptum est. Certe divus Moyses ait *: dominum Deum tuum timebis, et per nomen eius iurabis. * Deut. VI. 13. Nos quoque opus est, quotiescumque iurandum fuerit, unicum verum suapte natura Deum commemorare, alium praeterea neminem. Simile quid nunc etiam beatus David exponit dicens: laudabitur omnis qui iurat in eo. Namque et hoc, praeter cetera, amoris erga illum indicium est, si quum iurandi occasio evenerit, ipsius unice mentionem faciamus. Ergone illud adfirmamus, quod propheticus nempe sermo nos ad iurandum adhortetur? Atqui quid ni sit melius, numquam iurare? Namque ita nosmet gerere ipse iussit Servator *. Quid ergo haec sibi verba volunt? Cur sit laudandus qui * Matth. V. 34. iurat per ipsum? Habet prudentem et necessarium sensum hic sermo. Audi igitur. Israhelis posteri, quamquam divina eruditi lege, atque unum solumque Deum adorare iussi, ob summam suam nihilominus nequitiam, ad absurdos idolorum cultus lapsu temporum conversi sunt, atque opera manuum suarum adoraverunt, relicto illo qui suapte natura Deus est, ac per eos iurabant qui reapse dii non erant. Erat igitur tunc fidelis et germanus, et ab idololatriae crimine alienus, quisquis per alium quemlibet Deum non iurabat, sed ubi iureiurando opus erat, nomen veri naturaliter Dei interponebat. Ab illo igitur tunc vigente usu, fidelem vere genuinumque adoratorem designat dicens: laudabitur omnis qui per Deum iurat.

PSALMUS LXIII.

Exaudi, Deus, orationem meam cum te deprecor, a timore inimici eripe animam meam. v. 2. *Gr. p.* 371.

Dictio « exaudi me cum deprecor » ponitur pro « exaudi me non silentem sed orantem. » Nam in huiusmodi rerum adiunctis perniciosa res est silentium. Vel dicit: cito exaudi me, atque in ipso orationis momento. Veluti illud *: adhuc te loquente, * Is. LVIII. 9. dicam: ecce adsum. Videsis autem quam accurata sint precum verba: non dixit ab inimico eripe animam meam, sed a timore inimici. Non timet certamina, non deprecatur pugnam, non fugit adversitatem; postulat potius ut a Deo roboretur, ne timori succumbat. Id enim demonstrant verba: a timore inimici eripe animam meam. Fortitudinem poscit Deum, ut adversarium prorsus sternere queat.

Intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum. v. 4.

Rem amaram appellat calumniam contra insontem et immaculatum: nam et cuilibet calumniari, indignum est; iusto autem, multo gravius; quem in occulto, id est latenter, sagittant; quia non audent publice in illum invehi. Non enim visibilibus proeliantur telis qui terrena sapiunt, neque sagittis ligneo calamo infixis, sed arcûs instar suam malitiam intendentes, amaris telis et nequitia instructis sanctorum animas vulnerant.

Et non timebunt. v. 5.

Quem timeant? Quandoquidem haud metuunt, inquit, protectorem sanctorum Deum; immo eum fortasse latere se putant, dicentes *: non videbit Dominus, nec in- * Ps. XCIII. 7. telliget Deus Iacob.

Firmaverunt sibi sermonem nequam. v. 6.

Mala enim, ut saepissime iam dixi, sunt impiorum consilia, qui omne genus nequitiae excogitantes, amatorem virtutis Deum offendunt.

PSALMUS LXIV.

v. 2. **Te decet hymnus, Deus, in Sion; et tibi reddetur votum in Hierusalem.**

Sionem dicit haud terrenam illam in Iudaeae regione sitam, sed supernam in
Gr. p. 372. caelis, veram Callipolim (1), primogenitorum ecclesiam, sanctorum matrem, angelorum sacratissimum habitaculum. Ad huius similitudinem nos quoque occupamus terrenam Sionem, id est ecclesiam, et laudationibus universalem Servatorem Redemptoremque ornamus. Illic enim perfecti vereque hymni Deo redduntur. Itaque hymnus in Sione dictus, sive in illa caelesti, aut etiam terrestri ecclesia, decet unum laudatum Deum, cui etiam vota reddi par est. Votum porro solet scriptura appellare pro-
v. 3. missionem quamdam quam quis Deo facit. Dum autem ait « ad te omnis caro veniet » id est tibi omnis homo credet, per synecdochen loquens, parte scilicet totum demonstrante, vocationem cunctarum gentium nunciat, non autem unius Israhelis, prout a legis littera factum fuerat.

v. 4. **Sermones iniquorum praevaluerunt super nos.**

Iniquorum sermones dicit sapientiam doctorum saeculi huius, cuius etiam causa infirmati sunt, a vera scientia excidentes (2).

v. 7. **Praeparans montes fortitudine tua.**

Praeparare dicit pro complanare et commodos efficere; ita ut quidam valeant in montes quoque conscendere, id est ad altissimas pervenire virtutes.

v. 8. **Qui conturbas fundum maris, sonum fluctuum eius. Turbabuntur gentes.**

Maris nomine mundum dicit, omniumque in eo versantium populorum multitudinem. Ad sensum quod adtinet, conturbat Christus, ceu alveum quemdam latitudinemque maris, multitudinem gentium, dum non sinit eas in antiquis erroribus desidere, sed magis commovet ad suae potentiae eminentiaeque cognitionem, ac veluti sonos quosdam undarum excitat omnium erga se laudationes. Quippe ubinam aut a quibus Christus iam non laudatur? Tum paucis interiectis. Quonam autem modo, turbandi sint, rursus ipse explicat dicens: et timebunt, qui habitant terminos, a signis tuis. Extimuerunt reapse gentes Christum; audierunt enim patrata ab eius vi poten-
Gr. p. 373. tiaque miracula: noverunt excitatos e sepulcris: uno verbo nutuque paralyticum ex tam longa infirmitate liberatum: caecis subito visum collatum; mare procellosum mirabiliter sedatum. His auditis gentes prodigiis, universalem Servatorem Redemptoremque merito extimuerunt; et omisso vetere congenitoque errore, fidem receperunt. Vel mare dicit hoc loco impurorum spirituum turmam, quae Christi adventu contur-
* Matth. VIII. 29. bata fuit. Quare et territi aiebant *: venisti huc ante tempus ad torquendum nos. Vel denique mare dicit multitudinem tyrannorum, propter ingratam idololatrici ipsorum cultus salsedinem. Sonos autem fluctuum, persecutiones cruciatusque martyrum (3); quos certe quisnam tolerasset, nisi Christi viribus munitus atque firmatus?

v. 9. **Exitus matutini et vesperae delectabis.**

Nempe et quum coeperit matutinum tempus decurrere, itemque vespertinum, id est initio diei ac fine. Profecto, visis his magnis prodigiis, mundi incolae salutari ti-

(1) Id est *egregiam pulcramque civitatem*. Sic enim non indocte explicat Cyrillus, vel potius ex Philonis aut Origenis lexicis recitat, nomen יְרוּשָׁלַיִם.

(2) Hoc quoque frustum tribuit Cyrillo Nicetas, non Athanasio.

(3) Horum extat luculentissima et horrenda descriptio etiam in monumentis a nobis nuper editis, nempe in actibus S. Artemii ·M· Spicil. T. IV, et in oratione Constantini diaconi de laudibus omnium martyrum T. X.

more quatientur. Tunc etiam a mane ad vesperae exitum, id est omni tempore, delectationes (1) erunt exultantibus ob ea quae Christi adventus bona adtulit. Quin et ipsius Christi duo exitus, id est processus fuerunt; matutinus quidem ante omnia saecula ex patre, prout legitur *: exitus eius ab initio, a diebus saeculi: alter vero de Virgine, qui in saeculorum contigit consummatione. Uterque vero non sine delectatione gaudioque est. Ceterum Symmachus dicens « processiones matutini et vesperae hymnis celebrabunt » hoc videtur dicere, quod et incipiente et desinente die, gratam Deo extollent hymnodiam, qui relicto errore, verum naturaliter Deum agnoverint. Nonnulli (2) autem, exitus matutini, intelligunt orientales terrae partes: exitus autem vesperae, occidentales. Ergo tu, inquit, humanatus, atque in terra vitam degens, tum orientis tum occidentis incolas gaudio afficies. — In lumine tuo educ gentes, et in consummatione saeculi gaudio comple illas. * Mich. V. 2.

Visitasti terram, et inebriasti eam. v. 10.

Satiasti, inquit, supernis bonis universam terram; spiritalibus donis replesti eam, cunctos videlicet mundi incolas. Nos vero errore deceptos, aridam olim terram et inaquosam, uberem effecisti et fructuosissimam.

Flumen Dei repletum est aquis. v. 10. *Gr. p.* 374.

Dei flumen est ipsius sermo. Ipse etiam vitae fons, prout dictum est *: apud te fons vitae. Huius impetus, id est doctrinae, ecclesiam laetificant. * Ps. XXXV. 10.

Quoniam ita est preparatio eius. v. 10. *Gr. p.* 450.

Dicit « ita » pro providentissime, atque ut Deum decet. Hinc videlicet fit futurarum rerum praedictio, non praeteritarum narratio.

Sulcos eius inebria. v. 11. *Gr. p.* 374.

Sulcos dicit, intima cordis; quae ubi Spiritûs diribitione inebriata fuerint, virtutum copiam germinant.

Benedices coronae anni benignitatis tuae. v. 12.

Sensus est. Annus benignitatis, fructum ferens pietatem, tempus est quo Christus apparuit; quo tempore etiam benedictum nobis fuit, Deo ingenitam benignitatem clementiamque expromente. Sic et ipse Christus Isaiae prophetae voce ait *: spiritus Domini super me, propterea quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, et reliqua, vocare annum acceptabilem Domini. Certe acceptabilis annus ille erat, quo homo factus est unigenitus Dei filius; nosque item recepti fuimus per fidem, ipso ad patrem Deum adducente. Et paulo post. Cum ergo benedices coronae anni benignitatis tuae, tunc etiam campi ubertate implebuntur. Campis terrisque comparat credentium animas, quas divinis spiritalibusque bonis Deus pinguefacit, ut pietatis fructum reddere queant. * Luc. IV. 18. ex Is. LXI. 1.

(1) Apparet Cyrillum habuisse τέρψεις loco nominis, non verbi. Divus pariter Hilarius in commentario ad hunc locum scribit: *exitus matutini et vespere delectationes.* Vulgatus cum hebraico aliisque consentit. Ceteroqui sententia eadem est.

(2) Didymus nimirum, ut est in catena apud Corderium. Conspirat autem Diodorus tarsensis in cod. vat. C. f. 134, cuius ineditum fragmentum recitare non piget. ΔΙΟΔΩΡΟΥ. Οὐκέτι γὰρ μόνοις ἡμῖν τὴν πνευματικὴν ἄρδειαν προσφέρεις, ἀλλὰ πᾶσαν εἰς κόρον ἀρδεύεις τὴν οἰκουμένην· ἐπλήθυνας γὰρ τοῦ πλουτίσαι αὐτὴν, ὑετὸν πνευματικὸν διδοὺς, πρώϊμον μὲν διὰ τῆς παλαιᾶς, ὄψιμον δὲ διὰ τῆς καινῆς διαθήκης· δι' ὧν μεθυσθεῖσα ἡ ἀλληγορουμένη γῆ ψυχῆς ἀνθρώπου, ἐπλουτίσθη παντὶ λόγῳ καὶ πάσῃ γνώσει καὶ ἔργοις ἀγαθοῖς, πληθύνοντος αὐτὰ τοῦ θεοῦ. DIODORI. *Haud iam nobis tantummodo spiritalem facis irrigationem, sed universum mundum ad satietatem irrigas; grandi enim copia hunc ditasti, spiritalem imbrem largiens, matutinum quidem per testamentum vetus, serotinum autem per novum: quibus allegorica animae terra inebriata, redundat doctrina omnigena, et sapientia, bonisque operibus, auctore opum suarum Deo.*

v. 13. **Et exultatione colles accingentur.**

Sensus est. Dei apparente benignitate, ea quae olim erat deserta terra fructificabit; et colles idolicis sacrificiis polluti, receptis ad habitandum hominibus angelicam vitam profitentibus, laetabuntur. Vel collibus comparat sanctarum ecclesiarum per tempora duces, et populorum praesules seu pastores atque magistros. Nam sicut prae reliqua omni regione eminent montes collesque, ita pariter sanctorum doctorum dignitas ceteris excelsior est. Hi etiam exultatione accinguntur, id est sancti Spiritus consolationem intra se habent.

v. 14. **Et valles abundabunt frumento.**

Tunc etiam valles, id est ecclesiae, frumenti illius copiam suppeditabunt, de quo
* Ioh. XII. 24. Gr. p. 375. Dominus aiebat *: nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: quod si mortuum fuerit, multum fructum adfert. Cur autem ecclesiae vallium nomine denotantur? quia nimirum intellectualium montium, id est prophetarum, aquas excipiunt.

PSALMUS LXV.

v. 1. **In finem, canticum psalmi resurrectionis.**

Praedicit simul gentium quoque vocationem ac salutem, et resurrectionem spi-
* Ps. CXII. 7. ritalem illarum quae deinde facta est nunciat; prout dictum fuerat *: qui suscitat de terra inopem. Immo et apostolorum introducitur persona narrantium quanta pro evangelica praedicatione passi sint; et quomodo hae tribulationes ad aeterna gaudia ipsos deduxerint. Insuper iudaici quoque populi reiectio significatur (1).

v. 3. **Dicite Deo: quam terribilia sunt opera tua!**

Atque historicus sensus, ita se habet (2). Quod vero ad spiritalem adtinet, valde terribilia sunt opera Christi, id est prodigia, et impurorum spirituum cohors fugata. Culmen vero et excessus potentiae eius resurrectio, quae mortis imperium evertit, et universam hominis naturam ad immortalitatem renovat. Sed enim iudaicus populus, quamquam magnorum Christi miraculorum spectator, quum illorum operatorem
* Matth. XII. 24. admirari deberet, contra potius maledicebat *: hic non eiicit daemonia, nisi in Beelzebul daemoniorum principe. Et post pauca. Increpat ergo illos beatus psalmista inquiens: dicite Deo, terribilia sunt opera tua. Et desinite, ait, intemperantem adeo effrenemque linguam contra omnium servatorem Christum commovere. Sane mos est sanctorum, non parum irascendi, si quid nonnulli adversus communem servatorem Christum peccant. Et beatus quidem David mitius illos obiurgat inquiens: dicite, et
* Is. LVII. 3. reliqua. Verum propheta Isaias contumeliosis his fervidius instat dicens *: filii perversi, progenies adulterorum ac meretricis. Et paulo post. Nonne vos estis perditionis filii? Itaque contumaces cernens, omissa ad eos adlocutione, ad accusatum Christum
Gr. p. 376. verba convertit dicens: multa tua potentia est, quandoquidem et inimici tui mentiuntur tibi; sponte nimirum contra exortam mundo lucem conniventes, quin tantus miraculorum excessus ad credendum eos compellat. Quamvis enim magnitudine virtutis suae Dominus noster, propriae humanitatis e mortuis resurrectionem perfecit, hostes tamen eius Hebraei mentiti sunt illi, id est resurrectioni eius obtrectarunt.

(1) Fragmentum hoc alii Athanasio inscripserunt. Sed tamen Nicetas a Cyrillo sumit.

(2) Nullus mihi vaticanus codex partem hanc Cyrilli de historico psalmi sensu suppeditavit. Ceteroquin alii in catenis auctores de babylonicis captivis cogitant. Alii rectius cum Cyrillo, ut infra apparet, explicant de Christi resurrectione, gentiumque vocatione.

– Nimirum inimicos mendacesque denotat Iudaeorum doctores qui negarunt resur-
rectionem, atque ob id pecuniam militibus erogarunt *. * Matth. XXVIII. 12.

Universa terra te adoret et tibi psallat. v. 4.

Licet, inquit, Iudaei te negent, attamen loco illorum incurvabit se tibi teque adorabit universa terra, id est eius incolae gentes. Neque enim deinceps adorabitur Hierosolymis, cessante iam legali umbra, secundum dictum illud *: unusquisque de loco suo adorabit. * Soph. II. 11 Scilicet subintrante adoratione in spiritu et veritate, operibus adorationi Dei respondentibus, atque illius appellatione ipsis imposita. Haec autem praesentis temporis praedictio est, quo in cunctis gentibus universalis celebratur hymnis Deus, et dominus Christus altissimus ab omnibus appellatur.

Ibi laetabimur in ipso. v. 6.

Sensus est. Ibi cum Christo regnabimus, cum ipse novo saeculo dominabitur. Atque in eo laetabimur: laetabimur quippe in eo qui aspera mitigat. – Ibi nostras absterget lacrymas, ibi omni nos maerore abducet, amanter inclamans dicensque *: * Is. XLIII. 25. ego sum, ego sum qui peccata tua deleo, neque illorum amplius meminero.

Qui exasperant, non exaltentur in semet ipsis. v. 7.

Exasperantes dicit Iudaeos. – Id est ne superbe sapiat populus arrogans, nempe Israhel, neque adversus gentes grave attollat supercilium. Ne secum ipse dicat: ego sum primogenitus filiorum Dei, ego patrem habeo Abrahamum. Ne, inquam, superbe sapiat; sciat potius, incredulitate sua contra se exasperasse vindicem Deum.

Auditam facite vocem laudis eius. v. 8. *Gr. p.* 377.

Quum audieritis, inquit, a nobis quemadmodum dici laudes debeant, tunc nobiscum laudate, haud iam ut olim falsos deos, sed Deum nostrum. – Id est a nobis discite, et tum demum glorificate nobiscum Deum, perpetuis ornantes laudibus universalem Servatorem ac Redemptorem.

Quia probasti nos, Deus, igne nos explorasti, sicuti exploratur argentum. v. 10.

Sensus est. Afflictiones, quae acciderunt apostolis ob praedicationem, Spiritus praedicit, ex ipsorum persona has enarrans. Sicut enim argentum igne liquefactum optime purgatur, ita sanctorum quoque animae quavis sorde arcentur, si tentationum incursibus viriliter resistant: nempe harum probatio quasi igne atque arte fusoria fit. Namque huiusmodi locutiones sanctis martyribus Paulus attribuit *. * I. Cor. III. 13. Verum et illi qui per ardentis irae ignem, et per medias lubricae voluptatis concupiscentiaeque aquas incedunt, neque tamen his passionibus detinentur, refrigerium inveniunt. – Servatoris discipulus nobis inclamat *: * I. Petr. IV. 12. fratres, nolite mirari (1) hanc apud vos exustionem, quae probationis causa vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat; sed quatenus Christi passionibus communicantes, gaudete. Exustionem scilicet heic dicit probationem per adversitates. Oportet enim vosmet in his fortes exhibere, scientes quod probatio vestrae fidei patientiam operatur *. * Iac. I. 3. Sed patientia, inquit, perfectum opus praestet, ut sitis perfecti et integri, nulla in re deficientes. Et paulo post. Igitur qui strenue pro religione certamina obierint, et in tentationibus recte se gerere consueverint, ac demum vicerint, atque ad spei suae terminum devenerint, aiunt: transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium. – Exustionem, ut iam dixi, appellat in con-

(1) Ita habent *nolite mirari* Gelasius PP. et Beda apud Sabaterium; Tertullianus autem et Fulgentius *ne expavescatis,* aut *nolite expavescere.* Varietas vulgati ex graeco manat μὴ ξενίζεσθαι, ut idem Sabaterius recte observat; ξενίζομαι enim utrumque significat *mirari* et *peregrinari.* Cyrillus autem priori significatui favet.

flictibus dolorem. Aquis pariter comparat persecutorum iniurias, sive immanes impetus et intolerandos incursus. Est enim intolerabilis fluvialium aquarum incursio.

v. 11. **Imposuisti tribulationes dorso nostro.**

Ubinam periti athletae virtus dignoscitur, nisi indictis certaminibus et coronis propositis? Ubinam miles exploratur? nonne cum occasio ad proelium vocat? Sic ergo fortem quoque religionis verae amatorem labores comprobant, et tentationes faciunt
Gr. p. 378. illustrem. Nam Deus quidem ita in laqueum induxerat, ut haud ipse tentationem instrueret, sed tentari potius permitteret; ut qui germani essent appareret, ut immarcessibilem coronam acciperent.

v. 15. **Holocausta medullata offeram tibi etc.**

Intelligenda sunt spiritaliter omnia, tam holocausta quam boves et hirci, quos se oblaturum promittit. Simul vero et arietum fit oblatio. Arietes autem sunt commotiones impetusque, qui a parte animi irascibili veniunt; vel etiam intelliguntur cogitationes, quae duce ratione contra passiones cornu veluti dimicant. Bovem is mactat, qui se ipsum hostiam viventem per sua opera offert. Habet autem quamdam cum terreno corpore analogiam bos, quum sit animal terrae colendae idoneum. Hirci denotant paenitentiae opera, quia pro peccato offerebantur. Postremo thymiama, fragrans est purarum animarum odor.

v. 16. **Venite, audite, et narrabo.**

Veteres historias haud hoc loco commemorat, nec quomodo ex Aegypto liberatus per tempora Israhel fuerit: doctrinam autem tradit haud secundum legalem litteram; sed quasi iam novum praedicasset foedus, nova Servatoris nostri miratur beneficia, quae omnium nostrum animabus contulit.

v. 17. **Ad ipsum ore meo clamavi, et exaltavi sub lingua mea.**

Quid sit, clamavi et exaltavi sub lingua mea, necesse est subtili consideratione cognoscere. Nonnulli enim dum orant, iudaicam imitantur malitiam, et impiorum Pharisaeorum aemulantur iactantiam, alta magnaque voce utentes. Existimant enim, ob multam suam ut videtur inscitiam, quod nisi valide clamaverint, Deus auditurus non sit. Oportet itaque, quia Deus nos omnes, immo et cordis arcana, novit, solitatim et clam ipsum orare: clamet autem mens ad Deum ex valida precum intensione.
* Matth. VI. 6. Ita nos ipse orare docuit Servator dicens *: tu autem quum oraveris, et reliqua. Quid ergo significat, ad ipsum clamavi? Interiorem heic intensumque clamorem dicit, quem ardens cor pariebat.

v. 18. **Iniquitatem si aspiciebam in corde meo, non exaudiat me Dominus.**

Pulcra sanctorum fiducia! puram enim habent qualibet iniquitate conscientiam.
Gr. p. 379. – Iterum coram Deo gloriatur, quod nempe extra omnem iniquitatem fuerit; ideoque se exauditum iri confidit. Symmachus tamen sic: « iniustitiam si praevidi in corde meo, non exaudiat Dominus. » Si dum precarer pro libertate et postliminio, cogitavi simul iniquum aliquid agere post reditum, ne divinam impetrem benignitatem. Quod autem non mentiar, facta testantur. Non dixit aspexi, sed aspiciebam. Prius vocabulum malam brevis temporis cogitationem significat; alterum, diuturnioris.

v. 19. **Benedictus Deus, qui non repulit orationem meam.**

Purum me huiusmodi cogitationibus cernens, donorum suorum copia dignatus est. His dictis piorum chorus, hymno concludit sermonem: purum habentis cor pura oratio repulsa non fuit. Misericordia ab oratione non abest: namque ego orando misericordiam a Deo postulo.

PSALMUS LXVI.

Ut cognoscamus in terra viam tuam. v. 3.

Oro, inquit, Domine, ut tuus appareat aspectus, qui gentes in tenebris sedentes illuminet atque ad salutem adducat, ut terrae incolae et ethnici salutis viam cognoscant. Nam te faciem tuam revelante, via quae ad te ducit cognoscitur. Quaenam vero haec, nisi is qui dicit *, ego sum via, et nemo venit ad patrem nisi per me? qua gradientes salvati etiam fuimus per fidem. Ergo denuo cognovimus viam ad patrem esse ipsum filium. Via insuper Domini sunt mandata, iuxta effatum *: viam iustificationum tuarum edoce me: quas quidem non in Iudaea tantummodo, ubi lex data fuit, praedicari postulat, sed a gentibus cunctis cognosci.

* Ioh. XIV. 6.
* Ps. CXVIII. 27.

Confiteantur tibi populi, Deus. v. 4.

Omnium gentium in Christum fidem vaticinatur propheticus spiritus, et salute mundi delectatus, saepe eadem loquitur, continua laetitiae suae narratione fruens. Ait igitur par esse, ut omnes populi, et sparsae per orbem gentes laetentur, et choreas agitent, tuaque benefacta enarrent. Noverunt enim, nullius rei te curam non gerere, sed universalem esse iudicem, iustas ferentem sententias; et errantes quidem ad veritatem deducentem, incredulos autem punientem. Nam postquam cognita est terrae *Gr. p. 380.* incolis via, Deique salutare cunctis gentibus apparuit, hae demum omni malitia deposita et polytheismi errore, gaudent moralem virtutem exercentes, susceptamque Dei notitiam sibi gratulantur. Populi vero et gentes pro synonymis habentur.

Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes. v. 6.

Quid ni enim, dicit hoc vaticinio, quid ni enim per orbem homines laudassent et oblationes adtulissent incenso ubique thymiamate, puraque hostia proposita? Porro dictionum repetitiones, intentos faciunt auditores. Sciendum est autem, homines dum Deo benedicunt, verba tantum ad eum adferre, opere bene facere ei non posse. Deus vero benedicens firmat sermones opere, et omnimodorum bonorum benedictis copiam confert. Deinde monet ut divinam consequamur benedictionem.

Terra dedit fructum suum. Benedicat nobis Deus! v. 7.

Tunc uniuscuiusque hominis operum fructus comperitur. Nam terra heic pro homine dicitur. Quin etiam crux subobscure innuitur (1). Similiter et benedictionem exquirit. Dum autem gentes benedici se rogant, videntur certe iudicium legis a se deprecari, magisque optare salutem per Christum et gratiam.

Et metuant eum omnes fines terrae. v. 8.

Dei enim timor ad virtutem exercendam compellit; quo facto, iis quidem qui ita se habent, bene prorsus et quaqueversus esse continget. Nam qui pie divina mandata sectatur, et futurum veretur iudicium, hac regula utens Deo famulatur. Iam Dei famulatus benedictionem conciliat. Animadverte autem, quod sub ipso fine, non Iudaeis tantum sed hominibus cunctis divinum insinuat timorem. Cunctae reapse tribus ac linguae timent honorantque Trinitatem. Observa insuper, quod ter pronunciato nomine Dei, subiungit singulariter « et eum metuant: » atque ita sanctae simul Trinitatis patefecit mysterium, et unitatem deitatis (2).

(1) Pie hoc dicitur: nempe terra lignum, ex quo crux, protulit. Patres nostri magna erga Christum caritate inflammati, nihil quod ad ipsum quomodocumque spectare videretur negligebant.

(2) Biblica aenigmata, quae sanctissimam Trinitatem praefigurarunt, collegit Iosephus in hypomnestico cap. LXVII.

PSALMUS LXVII.

v. 2. **Exsurgat Deus, et dissipentur inimici eius.**

Gr. p. 381. Quamdiu tolerat, nec peccantibus iustam poenam infert, creditur quodammodo Deus dormire et quiescere: quum autem irae frenum remittit, tunc veluti exsurgere bellumque gerere adversus inimicos suos videtur. Atque ad hoc ipsum provocant eum sanctorum voces. – Cum Deus itaque factus est homo, tunc dissipati sunt inimici eius, fugeruntque quotquot ipsum oderant.

v. 6. **Turbentur a facie eius, patris orphanorum, et iudicis viduarum.**

Dei vim providam demonstrat, patrem dicens; iustitiam vero, cum iudicem ait; tutorem videlicet desertorum ab auxilio, et iudicem iniurias patientium. Quinam vero turbantur, nisi scelesti daemones? Nam quia vocatae sunt ad veritatis notitiam gen-
* Matth. VIII. 29. tes, idcirco illi adeo turbantur, ut clament *: quid nobis, et tibi? Qui autem olim errore tenebantur, et creaturam pro creatore adorabant, pupillorum instar in hoc mundo sine tutela erant, et omni iniuriae expositi, ac veluti viduae sine Verbo sponso, direpti a Satana, et partes vulpium effecti; hi, inquam, postquam Christo crediderunt, patrem tutoremque sunt nacti Deum, sponsumque qui divina ipsis semina inserit, ceu sibi copulatis per fidem.

v. 6. **Deus in loco sancto suo.**

Locus Dei sanctus amatores eius sunt, nempe cuiuslibet sancti anima.

v. 7. **Deus inhabitare facit unius moris in domo.**

Firmam illis, inquit, et tutam concedit in omni re bona mansionem. Id enim significat fieri inhabitantem in domo a Deo. Quinam vero sint unius moris homines, dicendum est. Multi scilicet fidem Dei admiserunt; sed quia nondum mentem suam ab antiquo errore penitus abstraxerunt, partim adhuc aegrotant. Nam Deum quidem Christum esse credunt, sed ethnicas consuetudines conservant; respuunt enim cibos
Gr. p. 382. quosdam veluti vitandos, dies certos observant; sed et fatum nescio quod fortunamque nominantes, et genealogias confingentes, his gubernari putant res humanas (1). Iamvero qui ita, et quidem post susceptam fidem, opinatur, non est unius moris, immo vero multiplicis sententiae est, et varius, inconstans, instabilis.

v. 7. **Educens vinctos in fortitudine.**

* Is. XLIX. 9. Simile dicto illi: qui ait vinctis, exite; et obtenebratis, revelamini *. Porro vincula ac tenebrae, idolorum cultus est, atque in inferno detentio (2). Ait ergo ad inferos profectum cum potestate Dei, spiritibus illic praedicasse olim incredulis, et criminum catenis compeditos, vinculisque antea diabolicis irretitos, dimissis peccatis liberasse (3). Quin etiam eos qui a saeculo morte detinebantur, secum suscitavit, mortis

(1) Reapse temporibus etiam christianis supererant adhuc superstitionis ethnicae apud rudem praesertim plebem vestigia, quae tamen animarum pastores delere pro viribus satagebant. Id luculenter apparebit etiam ex Eusebii alexandrini sermone *de astronomis*, quem ex parisiaco codice acceptum postea vulgabimus. Confer etiam editum a nobis tertium Attonis sermonem Script. vet. T. VI. cum adn. De fato alibi noster in his commentariis.

(2) In graeco p. 382. v. 8. κατοχή, quod vocabulum apud alexandrinum Cyrillum notatu dignum est, quoniam id apparet eodem sensu non semel in alexandrinis graecis papyris tam musei britannici, quam vaticanis a me editis; de quo vocabulo recte disseruit egregius adolescens Bern. Peyronius in sua harum papyrorum nova declaratione p. 11. seqq. ubi opportune etiam memorat narrationem de Simeone Iacobi filio in κατοχῇ detento a fratre Iosepho in Aegypto.

(3) En dogma descensionis Christi ad inferos, quod americani Protestantes delere de symbolo ante hos annos volebant, ut R. Kenrichius narrat catholicus noster episcopus in sua praestante theologia T. I. p. 184.

restibus expeditos. Haud vero eos solos qui ex ethnicis crediderant liberare voluit, sed etiam circumcisos. Hos enim exasperantes vocat. Vel exasperantium nomine dicit incredulos, quos pariter eripere malis volebat. Quippe qui in infidelitate perseverant, hi propriis in corporibus tamquam foetentibus sepulcris habitant.

Deus quum egredereris in conspectu populi tui. v. 8.

Quo tempore colentem idola Israhelem, et Aegyptiorum moribus innutritum liberare Deus constituit, atque ad veritatis notitiam revocare, omnia paene commovere visus est, aquis in sanguinem versis, grandine caelo missa, diviso mari fluctibusque eius concretis, manna caelo depluente. Et nunc psalmista demonstraturus, qui modo ad inferos descendit, eundem esse qui olim per Moysem ex Aegypto Israhelem eduxerat, ait ipsi: et eo tempore quo Iudaeos educebas, praeibasque eis in ignea columna ac nube per desertum, universa terra commota fuit, fama aures omnium implente, prodigiosi Israhelitarum egressûs, qui nemini mortali ignotus fuit. Namque audita sunt opera tua, atque ad universi orbis notitiam traducta. Nam ceu quis diceret, commota est universa civitas, pro, id audiit ac mirata est, ita et hoc loco intelliges dictum psalmistae voce, terra commota est. Obstupuit enim ob ea quae mirabiliter Gr. p. 383.
fecisti in Sina monte, Israhelis filiis oracula reddens. Sed et altior quidam sensus est. Cum a populo suo discessit Deus, dicens * reliqui hereditatem meam, et migravi in * Hier. XII. 7.
desertum id est ad ethnicorum ecclesiam, tunc motus mutatioque maxima rerum subsecuta est. Nam caeli, id est caelestia sapientes apostoli, divinas spiritalesque doctrinas ac leges destillaverunt. Id ipsum duobus quoque illis hircis denotabatur, quorum alter immolabatur, alter in desertum liber dimittebatur (1); ut Christum et carne passum a Iudaeis cogitemus, et impassibilem deitate manentem, ac veluti in desertum a deicidis ad ethnicos transmigrantem. Supervenit etiam Spiritûs gratia, guttas veluti roris imitata.

Pluviam voluntariam segregabis Deus hereditati tuae. v. 10.

Pluvia secundum litterae sensum heic denotat manna, quod peculiari beneficio Iudaeis depluit. Spiritaliter vero pluviam dicit evangelicum sermonem, qui desuper de caelo per Christum ad nos est delatus; vel ipsum ad humanam conditionem demissum Servatorem; sicuti et alio in psalmo dicitur *: descendet sicut pluvia, et re- * Ps. LXXI. 6.
liqua. Voluntariam vero, ut a legali cultu distinguatur. Nam quaedam veteris testamenti praecepta, non fuerunt Deo voluntaria, nec quasi hominis apprime propria data sunt; sed ea tantummodo accipientium naturae accommodata erant. Ideo dictum fuit *: * Hier. VI. 20.
quis exquisivit haec de manu vestra? Verum Christi hereditas, ethnicorum ecclesia est, secundum illa verba *: dabo tibi gentes hereditatem tuam. Sic ergo Dei voluntate ac * Ps. II. 8.
placito evangelica doctrina electa seu decreta fuit.

Evangelizantibus virtute multa. v. 12.

Nempe apostolis, quibus multam signorum prodigiorumque vim attribuit.

Speciei domus dividere spolia. v. 13.

Orbem beati discipuli inter se diviserunt, et alii aliis gentibus praedicaverunt. Ergo spolia diviserunt; nam diaboli antea cultores monitis suis ceperunt, Christoque Gr. p. 384.
ad domus eius ornamentum attulerunt. Etenim species ornatusque est ecclesiarum, sancta credentium Christo multitudo.

Nive dealbabuntur in Selmon. v. 15.

Apostoli scilicet perlucebunt. Hi ergo in Selmone nive sunt dealbati. Selmon au-

1) De hac re extat peculiare Cyrilli nostri scriptum.

tem hebraicum est vocabulum significans retributionem (1). Et hi ergo invicem divisi, nive dealbabuntur, id est splendidi fient, hunc suae erga Christum fidelitatis, mercedis loco, nacti splendorem. Praedicit ergo pentecostes diem, qua in Selmone, id est Hierosolymis, Spiritum receperunt apostoli eoque illustrati fuere. Idem his mundi regnum distribuit, atque ut alii aliis gentibus praeessent mandavit.

v. 18. **Currus Dei multiplex.**

Currum Dei dicit caelestes et intellectuales potentias, quibus quasi currui insidet Deus. Currus intelligi possunt etiam apostoli, quibus vectus Deus Verbum mundum discurrit: itemque successores eorum, puri aeque et virtutibus abundantes, Deoque pietatis suae fructum ferentes: et longe plures numero, quam ii qui olim apud Iudaeos divino insessu digni fuerunt.

v. 19. **Ascendisti in altum, captivasti captivitatem.**

Qualem in altitudinem conscendit Dominus? in crucem scilicet, ut ipse te docet
* Ioh. XII. 32. dicens *: et ego si exaltatus fuero de terra; id est quum pro omnium vita procuranda crucem pertulero, cunctos traham ad me ipsum. Dominatum quippe universi mundi optinuit, destructo principe huius saeculi, cunctisque ad se ipsum pertractis.

v. 19. **Accepisti dona in homine. Etenim non credentes etc.**

Quaenam haec sint, ipse filius manifestabit tamquam ex Dei patris persona dicens: postula a me, et reliqua. – Namque incredulos olim et errore deceptos tradidit pater filio, ut in ipsis per Spiritum inhabitans, filios eosdem Dei efficiat.

v. 20. **Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.**

Qui nobis salutem, inquit, donavit, idem viam quoque nobis sternet, quominus a tantis bonis aberremus; ianuamque aperiet doctrinae, ut per viam nos evangelicam prospere faciat incedere.

v. 20. Gr. p. 385. **Deus noster Deus salvos faciendi, et Domini exitus mortis.**

Manifeste confidunt apostoli, quos usque ad mortis limina progressos ob suam praedicationem, Deus fortiter eripit. Potentiae eius officium esse dicunt educere, id est avertere a morte, adiuvando scilicet amatores suos, quô mortis evadere seu effugere laqueos queant. Solus enim Deus salvos faciendi et fons salutis, mortis exitum invenit, resurgens a mortuis. Namque omnis homo mortis quidem ianuas adit, inde vero nequaquam potest exire. Ille autem qui his verbis denotatur Dominus, mortis exitu invento, eiusque inextricabili custodia nobis reserata, factus est Deus salutis.
* Iob. XXXVIII. 16. Ideo Iobo quoque aiebat *: pervenisti ad maris scaturiginem, et in abyssi fundo ambulasti? aperiuntur tibi metus causa portae mortis, et ianitores inferni te viso consternati sunt?

v. 23. **Convertam in profundum maris.**

Delatos, inquit, in voluptatum abyssum, mundanisque deliciis mersos, ad me convertam.

v. 24. **Ut intingatur pes tuus in sanguine.**

Rationem conversionis illorum docet, nempe malignis potestatibus destructis. Deduxit enim in terram sanguinem eorum, quo etiam in victoria sua aspersus est, ut

(1) In hebraico textu scribitur צַלְמוֹן, sine ulla apud Bern. Rubeum varia lectione; quod vocabulum significare *retributionem* non potest. Sed ecce שִׁלּוּם, prima videlicet mutata eiusdem prope soni littera, prorsus significat *retributionem* apud Oseam IX. 7. et Mich. VII. 3, nec non alibi: unde manifestum fit, vel ita cum שׁ lectum olim fuisse vocabulum in hoc psalmi loco, vel certe Cyrillum aut quos ipse sequitur lexicographos Philonem vel Origenem, ita scripsisse.

loquitur Isaias *, ita ut pes quoque eius sanguine intingeretur. Historico autem magis more heic sermo fit, et belli ducisque instruit figuram. Nam qui in bello proeliisque victores fiunt, cadentium cruoribus pedem inquinant dum mortuos conculcant. Ergo nunc pariter dum omnium Deum repraesentat ceu fortem aliquem hostes debellantem, et immerito oppressos liberantem, graphice pingit sanguinum rivos, et calcata cadavera sine honore sepulcri proiecta, et canum voracitati exposita. Ait itaque: tu periclitantes salvas, hostes profligas, ita ut pes tuus sanguine tingatur, tingatur item canum tuorum lingua sanguine hostili. Sumit rursus a re notoria exemplum: nam pecorum greges comitantur semper canes, qui latratibus morsibusque feras absterrent. Adsunt pariter spiritalibus Servatoris gregibus sacri ac sapientissimi canes, qui eloquentia sua, quasi quibusdam latratibus extraneas beluas arcent (1). Canes itaque Domini dicit intellectualis ovilis custodes, sanctos apostolos et episcopos, quorum lingua propemodum spiritalium inimicorum sanguinem gustat. Ait igitur fore ut quodammodo enecentur mali daemones, apostolorum voce ab ipso, id est Deo, adiuta. Hoc item est metaphoricum; namque hostibus interfectis, occidentium quoque canes sanguinem hostium lambunt, et corpora discerpunt. Alioquin vero, pes Christi est homo de Maria natus, qui in passione sua tinctus est sanguine. Canum vero, id est impurorum ethnicorum, lingua immaculatum sanguinem gustavit (2), postquam iidem a diabolo recesserunt.

* Is. LXIII. 3.

Gr. p. 386.

In ecclesiis benedicite Deo domino de fontibus Israhel. v. 27.

Fontes Israhelis videntur beati prophetae, et ante hos lex. Ait ergo, haud aliunde oportere nos Deum, quam ex horum magisterio haurientes, laudare. Id vero monet, propter diversa haereticorum scripta. Namque ex legalibus propheticisque scripturis laudatur Dominus ab iis qui valent ex ipsis salutis fontibus cum gaudio aquam haurire (3).

Ibi Beniamin iunior in mentis excessu. v. 28.

Ubinam vero? in ecclesiis, vel in mediis psallentibus. Quis porro Beniamin, nisi beatus Paulus qui fuit de Beniamini tribu? Iunior quidem, quia ipsi postremo apostolorum Dominus apparuit. In mentis autem excessu, ob suum in tertium caelum raptum, et propter revelationum sublimitatem; prout ipsemet ait *: sive mente excedimus Deo, sive sobrii sumus vobis. Tum denique quia diviniorem ipsi contigit facere conversionem. Unde et illud verum evasit: mane comedet, et vespere dividet escam *. Nam qui persequebatur ecclesiam, brevi post fidei evangelista fuit.

* II. Cor. V. 13.

* Gen. XLIX. 27.

Principes Iudae duces eorum. v. 28.

Reliquorum etiam meminit magistrorum ecclesiae et apostolorum, qui ex omni prope Israhelis tribu delecti fuerunt ut oecumenica essent luminaria, aitque principes ducesque psallentium creatos; ex Iudae tribu, veluti fratres Domini ac Levis sive Matthaeus; ex tribu Zabulonis et Nephthalimi, ut Petrus atque Andreas, et Zebedaei liberi, ac Philippus, pago Bethsaide oriundi; Iacobus Alphaei de Capharnaumo; Simon Zelotes, qui cananaeus vocitatus est. Haec omnia sunt Galilaeae oppidula; ubi Zabulon et Nephthalimus sortem suam nacti fuerant. Rei huius testes duo, alter propheta, alter evangelista; ille praedicens, hic testans. Quamobrem ex dictis tribubus hi apostoli processerunt, qui principes ducesque ecclesiarum sunt constituti.

Gr. p. 387.

(1) Socordes contra et inepti episcopi ab Isaia LVI. 10. dicuntur: *speculatores, canes muti non valentes latrare*. Funesto tunc abutentes silentio lupi gregem Christi discerpunt.

(2) Nimirum in sacrosancta eucharistia, quae simul cum baptismo neophytis dabatur.

(3) In hoc praesertim et seq. versiculo congruunt fere cum Cyrillo quae Athanasii esse dicuntur.

v. 29. **Manda, Deus, virtuti tuae.**

Virtutem patris dicit filium, iuxta illud: Christus Dei virtus, et Dei sapientia. Orat igitur apostolicus chorus patrem ut filio imperet praedicationem evangelii: nam-
* Ioh. XII. 49. * Ioh. XVI. 13. que a me ipso, ait, nihil loquor *; sed quicquid audierit *Spiritus* a patre *. Atque ut confirmet illis quod eisdem adstruxerat, digito propemodum ostendens, fore ut infirmum corpus, et in mortem deciduum propter factam in Adamo (1) transgressionem, fore inquam ut vivificet suo tempore Christus; postulant *sancti* ut corruptioni ereptum corpus, immortalitate convestiat, ad primigenium statum revocans, id est ad beatam quae initio erat et integram vitam; id quod reapse praestabit suo tempore Dominus, cum de caelo veniet, et mortui resurgent incorruptibiles.

v. 31. **Increpa feras arundinis.**

Quia multi vitae sanctorum secundum Deum actae irascuntur, praecipue impuri daemones, ideo postulat ut increpentur arundinis ferae. Porro sciendum est, locum esse in Palaestina, in itinere ad urbem Hierusalem, cui nomen Calamus, propterea quod ibi plurimus calamus sit, in quo latent saevi cruentique leones, atque aliae saevae beluae in luco reconditae, quae iter facientibus Hierusalem versus insidiantur (2). Igitur ex re notoria ad arcanos spiritalesque sensus psalmistae sermo nos transfert. Quid enim agunt in calamo ferae? nempe crudeli animo insidiantur iter facientibus ad urbem Hierusalem. Id ipsum ab impuris quoque daemonibus fieri comperiemus: insidiantur enim peregrinantibus ad intellectualem Hierusalem intellectuales leones, qui sterilitati levitatique inconstantium hominum subeunt, quiescuntque in iis qui sunt
Gr. p. 388. aridi ad virtutem, lubrici autem ad voluptatem. Sicuti apud Iobum dictum est de diabolo, nempe eum iacere sub omni arbore, intra calamum, palustres frutices, atque
* Iob. XL. 16. papyrum *. Sunt denique et aliae calami ferae, nempe impiarum haereseon inventores, qui latenter digna bestiis et perversa scribunt, qui dentis instar calamo utentes simpliciorum animas mandunt.

v. 31-32. **Dissipa gentes. - Venient legati ex Aegypto, Aethiopia praeveniet manum suam Deo (festinabit dare manus suas Deo.)**

Quasi dissipatis iam intellectualibus inimicis, deinceps ad praedicationem currunt apostoli. Credent porro Aegyptii, itemque Aethiopes id est fines mundi; extremi enim sunt tum in oriente tum etiam in occidente Aethiopes. Significat autem per Aegyptios quidem, nationes apprime idololatricas, et religioni Israhelis adversas: per Aethiopas vero, ut diximus, mundi fines. Iam quomodo Aethiopia ad evangelium accesserit, et vaticinium de ipsa editum ad exitum sit deductum, licet cognoscere in aethiope eu-
* Act. VIII. 27. nucho *, quem Philippus ad veritatem adduxit, qui manus veluti erat reginae Aethiopum, utpote in Aethiopia dynastes, et quatenus universae eius gazae seu thesauro praepositus erat. Age vero quod insuper Aethiopia gentes omnes peccato nigrantes significet, sponsa nos docet in cantico inter suam paenitentiam dicens, nigra sum et
* Cant. I. 4. formosa *; illud quidem ob idololatriam atque malitiam, hoc autem propter ab his vitiis recessum. Sic ergo Aethiopia manum suam Deo praevenit (seu tendit) inter orandum. Vel etiam ita se gessit, dum dona ad regem, tum pietatis aromata, tum adquisitae Dei notitiae aurum adtulit.

(1) Animadverte dici peccatum originale ab humana natura in Adamo contractum; ne quis ad alium sensum, ut faciunt cacodoxi, rem detorqueat.

(2) Narratio haec occurrit etiam apud Athanasium iisdem plerumque verbis; sed eam Montfauconius editor alienam ab auctore suo iudicat.

Super Israhel magnificentia eius, et virtus eius in nubibus. v. 35.

Namque ab Israhele genus ducentes sacri apostoli, Dei magnificentiam patratis miraculis demonstrarunt. Et qui post illos magisterii gratiam susceperunt, ceu quaedam nebulae de sanctissimi Spiritus mari imbrem adtrahentes, irrigationem hominibus intulerunt. Vel dictio « virtus eius in nubibus » ponitur pro « magna, excelsa, admirabilis. » Alioqui ut quisque in Israhele excellit contemplatione, et supra res terrenas extollitur, ita Dei magnalia et virtus huic innotescunt.

Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israhel. v. 36. *Gr. p.* 389.

Virtutis amatores rectae vitae suae exemplis in causa sunt ut Deus laudetur; solique ipsi Deum admirantur, ceu qui magnificam eius providentiam contemplari queunt. Ipse itaque spiritalis Israhelis Deus, seu quod perinde est sanctorum Deus, novum populum corroborabit, ut omnia ob eius gloriam et dicat et agat: et vires quidem ut se subtrahant ab idolorum errore suppeditabit, firmitudinem autem, ut in pura Christi fide permaneant. Est enim Deus benivolus, qui finxit et refinxit et tantis bonis populum suum dignatus est.

PSALMUS LXVIII.

In finem, pro his qui commutabuntur, ipsi Davidi. v. 1.

Continet psalmus Servatoris preces tamquam hominis, ex humani generis persona prolatas, nec non causas ob quam ei inlatum fuit crucis supplicium, simulque ipsam passionem exponit, et eventuras post illam Iudaeis calamitates: praeterea evangelicae vitae introductionem, et adorationis in spiritu ac veritate doctrinam, quicum etiam psalmum concludit. Reapse totam hanc orationem a Servatore fieri ex humanae naturae persona, id ipsum significat sub psalmi finem ubi ait: quia exaudivit Dominus pauperes, et vinctos suos non despexit. Namque in praesentis saeculi consummatione apparuit nobis Deus dominus, et intellectuali conversione immutati fuimus, haud equidem ex bonis in peiora decidentes, veluti in Adamo contigit, sed ex quovis malitiae genere ad omnem bonitatem transmigrantes. Scribit autem in epistola ad Hebraeos etiam Paulus de Christo *, hunc in diebus carnis suae preces supplicationesque ei, qui se poterat e morte eripere, cum clamore valido et lacrymis obtulisse. Et in evangelio *: factus in agonia cum sudore, angelo consolante, prolixius orabat.

* Hebr. V. 7.
* Luc. XXII. 43.

Salva me, Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam. v. 2. *Gr. p.* 390.

Videtur ex persona Domini id quod evenerat narrare, nempe quod homo factus usque ad mortem se humiliaverit. Nam quia nostri causa dolet, merito etiam postulat tentationibus liberari, quae torrentis instar animam ipsius circumdabant. Porro Christi typus Ionas, qui ait *: aquae circumfusae sunt usque ad animam meam. Et apud Iobum *: venisti usque ad maris scaturiginem, et in abyssi fundo perambulasti, ubi inferni regiones conspiciuntur? — Certe aquarum vocabulo inspirata scriptura tentationes denotat.

* Ion. II. 6.
* Iob. XXXVIII. 16.

Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me. v. 3.

Diversis variat sermonem imaginibus, quia dignam non invenit similitudinem illorum quae captivos premunt malorum. Innuit etiam inferni regiones, ad quas unus Christus descendens penetravit. Dictio autem « veni » similis est illi *: « ego pono animam meam a me ipso. » Sponte enim Christus necem pertulit, quam tempestatis nomine indigitat. Congruit item haec locutio ei qui per omnium virtutum pelagus navigans dicat: veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.

* Ioh. X. 18.

v. 8. **Deus tu cognovisti insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita.**

Vel dicit, quia siqua peccata fuissent, quorum causa me crucifixissent, certe tu prior, o Deus, cognovisses quem nulla latere res potest. Vel insipientiam dicit illam quam homines stultitiam appellant, passionem suam scilicet. Facta est enim Christi
I Cor. I. 23. passio Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitia *. Quamobrem stultitiam vocabant Christi passionem, crucem autem infirmitatem. Tu ergo, pater, inquit, prudentem crucis rationem nosti, quae decreto tuo extitit. Hoc autem dicit, quia fuit obediens patri usque ad mortem, mortem autem crucis. Locutio denique « delicta
* II. Cor. V. 21. mea te non latuerunt » similis est huic *: qui peccatum non noverat, hunc fecisti pro nobis esse peccatum.

v. 9. **Extraneus factus sum fratribus meis.**

Hac utique utatur locutione quisquis vere pius est, rectamque habet et incauponabilem fidem. Sane siquando religio persecutionem patietur a veritatis hostibus, tunc langueat oportet affectus erga genus atque familiam; et cum Dei gloria in ignominiam trahetur, tunc amoris in fratres lex cesset; sed unus prae omnibus ametur omnium Deus, cui nostram debemus vitam.

v. 11. **Et operui in ieiunio animam meam, quae res mihi in opprobrium versa est.**

Gr. p. 391.
* Matth. XI. 19. Dicet aliquis: atqui voracis et bibuli famam pertulit Christus apud malignos *. Cur ergo ait se ob ieiunium convicia esse passum? Respondemus itaque, raro Christum conviviis invitatum interfuisse cum propriis discipulis. Calumniatores autem ita loquebantur, quia reliquam ipsius parsimoniam ignorabant. Cui rei demonstrandae satis est continuum quadraginta dierum ieiunium. Id ipsum tempore quoque passionis contigit, cum erepto iam sponso, ieiunabant discipuli. Quamobrem et ipse paratam praevidens passionem, et hinc eventura Iudaeis mala, animam suam ieiunio affligebat. Quippe comprimit irrationalium passionum elationem ieiunium. – Ceterum nonnulli irrident asceticos sanctorum labores; et quae digna admiratione sunt, fiunt illis sannarum occasio.

v. 12. **Et posui vestimentum meum cilicium, et factus sum illis in parabolam.**

Servator ipse pro nobis confitetur et adfligitur. Nam cilicium duram innuit victus rationem ac luctum. Verumtamen id quoque factum est in parabolam, id est convicium, Domino. Solent enim improbi exprobrare bonis quas hi patiuntur afflictiones. Quare fuit consentaneum ut Christus post necem suam, parabola fieret Iudaeis. Verbi gratia: talia patiatur inimicus noster, qualia hic crucifixus. Nonnulli vero interpretes putant cilicii vocabulo corpus denotari, quod durum est atque resistens (1). Ergo propter indutam sibi carnem contumelias pertulit Dominus.

v. 13. **Adversum me nugabantur sedentes in portis.**

Iudaei quoque Christo in conviviis conviciabantur, de eo inter calices fabulantes et ludentes, atque in colloquiis eundem irridebant. Namque otiosorum leschae circa eum tempora insumebant, et nugabantur, id est otiabantur et perpetuo garriebant.

v. 14. **Ego vero oratione mea ad te, Domine.**

Symmachus: mihi autem oratio es tu Domine. His, inquit, contingentibus, ego oculum ad te intendo, tuumque auxilium expecto. Quin etiam Servator patri dicere videtur: etiamsi mihi insultaverint, et mala pro bonis reddiderint, ego tamen pro

(1) Reapse Diodorus tarsensis in cod. C. f. 142, nec non Didymus in cod. B. f. 288. aiunt: τινὲς δέ φασι δηλοῦσθαι ἐκ τοῦ ἐνδύματος τούτου, ὃ ἀνέλαβε σῶμα: *quidam vero aiunt denotari huiusmodi vestimento corpus quod Christus adsumpsit.*

ipsis numquam desinam preces meas tibi offerre. Hoc inde patet, quia evangelista facit eum in cruce pro crucifixoribus orantem *. Deinde verba etiam orationis in sequentibus ponit. Gr. p. 392. * Luc. XXIII. 34.

Tempus beneplaciti, Deus. v. 14.

Placuit Deo patri cuncta instaurare in Christo, id est resumere ac restituere rerum naturam in pristinum statum. Nam beneplacitum vocat Dei voluntatem nos salvandi, prout ei bene visum est. Cum ergo venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret *. Quum ergo hoc sibi proposito fine venisset, ait: tempus beneplaciti; quod idem est atque illud *: venit hora. * Gal. IV. 4. * Ioh. XVII. 1.

In multitudine misericordiae tuae exaudi me, in veritate salutis tuae. v. 14.

Hoc autem effeceris, si mortuum me salvabis per resurrectionem. Nam pro ipsis vitam recupero ac salutem, quia mecum vivificabuntur qui ob peccatum mortui erant. Sola quippe vera salus est quam Deus confert; umbratilis autem illa quam medici ducesque exercituum praestant.

Utinam liberer ex odientibus me, et de profundis aquis! v. 15.

Postulat Servator ut Iudaeorum manu eripiatur, qui eum oderant propterea quod latentem in illorum animis nequitiam palam arguebat. Vel profunditatem aquarum dicit mortem ac tentationes, quas nos Christo adiuvante vincimus. Quam enim rem ipse tentatus expertus est, in eadem potest auxiliari tentatis.

Ne me demergat tempestas aquae. v. 16.

Aquae tempestatem, abyssum, puteumque appellare videtur, vel tentationum pericula, vel ipsos aliquando inferos. Ait enim *: eduxisti ab inferis animam meam: quasi de aliquo sermo sit qui in puteum inciderit, cuius os mox clausum fuerit. Iamvero postquam Dominus verbis illis, infixus sum in limo profundo, corporis in morte dissolutionem ostendit, ingressumque ad inferos narravit, nunc de reditu dicit: utinam eripiar ex profundis aquis! et reliqua. Namque alias quidem animas absorbuit mors praevalens, et puteus eas coërcebat ore suo clauso. Porro puteus ore praeditus mors est, quae omnes a saeculo absorbuit, qui in eam inciderunt, quibus absorptis, os clausit, ne quis ad vitam reverteretur. Mihi vero, inquit, nil tale eveniat. Dicit autem tempestatem, demonstrare volens acerbissimum iudaicae synagogae naufragium, simulque deprecans, ne cum illa incredulitatis profundo suffocetur. Cur autem, quum superius dixisset, tempestas submersit me, nunc ait, ne me submergat? Quia fieri potest ut submersus, denuo enatet, rogat ut quae passus est, rursus non experiatur. Fluctus cognovi, et alia huiusmodi, concitatamque terribilem adversus animam procellam carnis passionibus; quibus oportet se difficilem praebere, neque salsi illarum humoris exundantia obrui; sed orare semper dicentem: utinam liberer ex profundis aquis! et reliqua. * Ps. XXIX. 4. Gr. p. 393.

Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua. v. 17.

Cur vero etiam Unigenitus indigeat exaudiri, quum sit par patri et aequali praeditus dignitate, causam ipsemet dicit, quia nempe benigna est misericordia tua: id est, idcirco exaudiri indigeo quia homo per tuam erga homines clementiam factus sum, atque hominum causa hoc apte officium assumpsi.

Ne avertas faciem tuam a puero tuo. v. 18.

Quia pater quoque ob Adami transgressionem ab humana natura semet averterat, idcirco ut denuo faciem suam ad illam convertat rogat Christus, et ne iram re-

tineat (1): utiturque metaphora illorum, qui cum irascuntur, faciem avertunt. Aversio autem Domini, derelictio est.

v. 18. **Quoniam tribulor, cito exaudi me.**

Propter doloris excessum, subitum mihi solamen impertitor. Quid porro te an-
* Ps. XXXVII. 5. git, fare: quid tibi, o David, molestum est? Audi aperte dicentem *: quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum, ceu onus gravatae sunt super me. Ergo
* Matth. XI. 28. accede ad eum qui ait *: venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. – Christus quoque ita fortasse cum patre loquitur: de communi re, id est homine, sollicitus sum, ut a nobis tamquam captivus in libertatem vindicetur. Cito exaudi, quia haec arcana circa hominem operatio festinatione indiget.

v. 19. Gr. p. 394. **Adtende animae meae, et libera ipsam.**

Dicere videtur patri Servator: redime animam meam ab eo qui eam detinet, id est a morte. Quaenam vero redemptionis ratio? Iustificatio in Christo, salus per fidem, peccatorum per sanctum baptismum remissio. Sic olim liberavit Israhelitas Deus, tamquam umbra ac typis antea nobis depingens Christi mysterium, quod ipsis angelis erat incognitum.

v. 19. **Propter inimicos meos eripe me.**

En ipse Servator, propter eam quam patimur ab intellectualibus inimicis iniquitatem, ob hanc inquam ipsam patrem excitat ut nostri misereatur. Quod si quis ambigat, cur postquam sic oraverit Christus, tentationes tamen non effugerit, audiat sane, eum ut hominem orasse quidem ut in tentationem non induceretur: verumtamen quia utile nostrae saluti erat ipsum pati, passionem excepit, divinam humanae voluntati anteferens (2).

v. 20. **Tu scis improperium meum.**

Servator quoque patri vides, inquit, opprobrium, quo propter nomen tuum adfectus sum, ignominiam quam tuae veritatis causa sustinui, pudorem quo dum gloriae tuae studeo suffusus sum. Certe qui me vexant, exalapant, crucifigunt, haec omnia ante oculos tuos perpetrant.

v. 21. **Improperium expectavit cor meum et miseriam.**

Hinc iam Christus passionem suam enarrat, quam dein diserte apostoli conscripserunt. Nemo vero erat aut compatiens aut consolans, quia discipuli alius aliò diffugerant.

v. 22. **Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.**

Ipsum mihi cibum, inquit, amarum acerbumque effecerunt: namque insuavis est edentibus cum dolore quaevis etiam esca delicatissima. Narrant autem beati evange-
* Ioh. XIX. 28. listae *, sitienti Christo dum in cruce penderet, potumque petenti, oblatum fuisse acetum felle mixtum; quod quum gustasset, bibere noluit. Nempe ut haec psalmi scriptura adimpleretur.

v. 23. Gr. p. 395 **Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum.**

Sic etiam Symmachus interpretatus est: « fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum et in poenam. » Ita ut hinc colligatur, eventura quoque Iudaeis post Christi passionem mala significari. Perinde est ac si diceret: paria patiantur iis, quae me experiri voluerunt. Vae enim impio! quia mala ipsi pro suorum operum merito evenient.

(1) En gratiae iustificantis privationem, quam theologicam esse peccati originalis definitionem, iam diximus p. lat. 221. adn. 1.

(2) En contra Monothelitas duplicem in Christo voluntatem.

Obscurentur oculi ipsorum, ne videant. v. 24

Infer illis tenebrosum tentationum nimbum, ut nullatenus ad divinorum mysteriorum lucem respicientes, mali Iudaei male pereant, propter suam vesaniam, et indomitam incredulitatem (1). Quid ni enim Iudaei obtenebrati sint, qui iustitiae solem non admiserunt? quibus omnium rerum dominum crucifigentibus, sol occidit, diurnumque lumen in caliginem versum est: quod fuit evidens signum excaecatarum populi crucifixoris animarum. Nam parti certe Israhelis caecitas accidit, velumque illorum cordibus est obductum: atque oculis praediti, nil tamen vident, quia verum lumen repudiarunt, cordisque oculos spontanea conniventia clauserunt.

Et dorsum eorum semper incurva. v. 24.

Et ipsorum lumbos prorsus enerva: babylonicam captivitatem decerne, Domine; ut pro suis facinoribus in calamitosum famulatum decidant semper oppressi.

Furor irae tuae comprehendat eos. v. 25.

Irae furorem appellat celerem et aerumnosam poenam. Certe adversus crucifixores furor divinae irae non partim, ut plerumque fieri solet, sed totus insumptus est, corripuitque illos omne genus calamitatis.

Quoniam quem tu percussisti, ipsi persecuti sunt. v. 27.

Tu quidem, inquit, dum vesaniae poenas a me reposcis, ceu quibusdam carnificibus, Babyloniis me tradidisti: hi vero pluribus etiam, quam ipsis mandatum fuerat, me malis implicuerunt, doloresque peccati mei auxerunt. Hanc illis universalis quoque Deus crudelitatem exprobrat dicens *: ego eos potestati tuae tradidi, tu vero * Is. XLVII. 6.
nullam ipsis clementiae partem indulsisti: senioris iugum adgravasti, iunioris non es *Gr. p. 396.*
misertus. Quod si de crucifixoribus verba fiunt, haec ponitur causa, cur ea mala passuri sint. Simile hoc est dictis apud Zachariam *: percutiam pastorem, et dispergentur * Zach. XIII. 7.
oves. Nam quia filium pati sivit, eundem tradidisse dicitur. Passus tamen est filius non coactus, sed sponte; erat enim ipsi mundo passio eius salutaris. Hunc ergo, qui tua, *o pater*, voluntate semet plagis in passione supposuit, ipsi non recipientes, longe ab ipsorummet salute relegarunt. Non itaque quia pater, pro sua optima providentia, filium morti, prout fuerat destinatum, tradidit, idcirco impunes sint qui huius voluntatis ministri fuerunt. Non enim ut Deo gratificarentur, id agere studuerunt, sed animi voluntario peccarunt motu, et truculentae invidiae ductu, illud facinus perpetrarunt. Postea subiungit: et doloris vulnerum meorum incrementum fecerunt. Namque ipse semet humiliavit, illi autem leto dederunt. Vel quia, caede eius non contenti, resurrectionem quoque eius calumniose traduxerunt. Propterea pergit in sequentibus maledicere.

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum. v. 28.

Hoc ait ob addenda civitati Hierusalem supplicia (2). Iniquitatem scilicet dicit pro poena, quae peccato imponitur. Quod si de crucifixoribus sermo est, fore dicit ut iniquitati adversus Dominum expromptae, aliam insuper iniquitatem adiungant, nempe ut Zebedaei filium Iacobum gladio necent, fratrem vero Domini fuste, lapidibus Stephanum. Vel, una quidem iniquitas fuit, veritatis quae in mundum venerat exclusio, dum in umbra legis contra legem perseverare voluerunt: altera vero iniquitas fuit, quod Iudaeâ simulque typico cultu expulsi, nihilominus hunc ubi iam non licet re-

(1) Vaticinia sunt haec potius quam dirae, ut alibi dixit, moxque repetiturus est Cyrillus.

(2) Iam video retinendum fuisse in graeco textu vocabulum πρόσθεσιν (cod. πρόσθησιν) quod ad marginem ablegaveram. Et quidem Eusebius, qui in suo commentario p. 383. parem sensum, diversis tamen verbis, huic loco adtribuit, quique in margine nostro gr. citatur, scribit προσθήκην.

tinent. Quamobrem non intrant in iustitiam per Iesu Christi fidem, atque a gaudio iustis parato longe submovebuntur.

v. 29. **Deleantur de libro viventium, et cum iustis non scribantur.**

Crucifixores, etsi primi propter ipsorum apud Deum viventes progenitores in album relati fuerant, et promissionum beneficium acceperant, attamen post tantum facinus, iure meritoque delebuntur, neque apud Deum conscribentur cum electis iustis,
Gr. p. 397. et apud eum vivere dignis; quia nempe vitae salutisque auctorem repudiarunt. Nam quae imperativo modo heic dicuntur, ea praedictivo potius oportet intelligere (1). Vitae vero liber, ipsa Dei memoria et scientia est. Ibi opera humana scribuntur. Beatus igitur, qui in superna Hierusalem scribi meritus est!

v. 30. **Pauper ac dolens ego sum: salus tua, Deus, me suscepit.**

Verba pauper dolensque sum, ex persona captivorum dicta, hoc significant: cum me pressum miseria cerneres, et multis vexatum doloribus, ope tua salvifica dignatus es. Immo et ipse Dominus ait se pauperem esse, quatenus se ipsum exinanivit hominemque fecit: dolentem autem, quatenus crucem pertulit et inflictas a Iudaeis plagas; dicitque patri: salutare auxilium tuum, o Deus, me suscepit. Utique humano id quoque more dicit, et ubique dispensationis rationem servat: namque hominem factum, dici etiam oportebat a patre suscitatum. Hinc iam evangelicum institutum praedicatur, cuius initium facit Deo addictus chorus, spiritu pauper, qui ingreditur canens datam sibi ab Unigenito salutem. Indicitur autem ne cruenta deinceps sacrificia fiant, sed laudativa potius et spiritalia. Quamobrem dicere pergit:

v. 31. **Laudabo nomen Dei mei cum cantico.**

Merito deflenda est Iudaeorum nequitia, qui legalis cultus infantiam noluerunt cognoscere; quamquam ii, qui Babylone erant captivi, laudaturos se Deum post reditum spondeant.

v. 32. **Placebit Deo magis, quam novellus vitulus.**

Id est trimus ac perfectus; tales enim a lege imperabantur hostiae. – Sciendum est, masculum vitulum immolari solitum, quum synagoga peccasset; et item pro pontifice. Quia ergo pontifices et principes congregati sunt adversus Christum, et subditos quoque sibi populos contra eundem concitarunt, et peccati eorum causa fuerunt, ideoque legali purgatione indigebant, haud materialem, inquit, ego vitulum offero, sed parum incruentumque sacrificium, quod in ecclesia mea constitui.

v. 33. Gr. p. 398. **Videant pauperes, et laetentur.**

Aiunt apostoli de iis qui ipsorum operâ Christo crediderunt, fore ut his cognitis rebus, pauperes spiritu gaudeant.

v. 35. **Laudent illum caeli et terra ac mare etc.**

Universam, inquit, simul creaturam, ipsaque elementa, ad canendos hymnos invito: una quippe divinis non sufficit enarrandis lingua beneficiis. Laudant autem Deum supernae incessanter potestates ob recuperatam ab universo orbe libertatem. Namque id quoque bonum praestitit Servatoris adventus, quod terrestres homines supernis spiritibus copulavit, ut una eademque fiat ab omnibus adoratio. Quod si caelestes de hominum salute laetantur, multo magis qui in terra salvati sunt, Salvatorem suum laudabunt. Ideo additum est « et terra » ut dicat: cuncta illum superna et inferna concelebrent. Mare etiam dixit, quia futurum erat ut insularum quoque incolae salutare Dei reciperent.

(1) Consonat Cyrillus dictis suis p. lat. 232. Sic loquitur etiam Photius amphiloch. quaest. CCLX.

Quoniam Dominus salvam faciet Sionem, et Iudaeae civitates aedificabuntur; et semen servorum eius possidebit eam. v. 36-37.

Altiore autem sensu, Sion est sanctorum ecclesia, cuius aedificatae civitates, animae sunt ex incredulitatis lapsu per confessionem resuscitatae: nam Iudaeae vocabulum significat confessionem *. Iam Dei servi sancti apostoli sunt, quorum semen illi qui per ipsos Christo crediderunt. * יָדָה

PSALMUS LXIX.

In finem, Davidi in rememorationem quod salvum fecerit eum Dominus. v. 1.

Potest etiam (1) Christus *hunc psalmum* dicere pro humano genere, orans Deum ut ad illud adiuvandum consurgat. Sic enim futurum erat ut instantes ei inimici daemones confunderentur; secus vero gauderent quotquot eiusdem saluti favent. Ideo exclamat:

Confundantur et revereantur qui quaerunt animam meam. v. 3.

Spe sua, inquit, excidant qui caedi meae anhelant, et fructum inde ignominiae referant. Sublimiore autem sensu, daemones qui meo casu, propter mortis maledictionem, exultabant, ne mihi diutius dominentur. Digna sane Davide oratio! non enim Gr. p. 399. imprecatur iis qui opibus suis insidiabantur, aut praediorum limitibus: sed insidiatoribus animae, id est daemonibus, et ministris horum pravis hominibus atque incredulis.

Retro vertantur qui dicunt mihi: euge, euge. v. 4.

Qui meis, inquit, malis delectantur, cum ignominia vertantur in fugam, dum meam conversam sortem aspiciunt, neque hoc gaudio fruantur. Namque euge, dicere solent homines ubi rei alicuius cum voluptate potiuntur. Hoc aiunt etiam daemones peccantibus nobis; quin et rident aliquando nobis illudentes. Sed certe peccanti prodest retro cedere, per paenitentiam ad derelictum bonum revertenti, non sine voluntario pudore.

Ego vero egenus et pauper sum; Deus adiuva me. v. 6.

Fortasse etiam ex populi ethnici persona dicuntur haec, egena nimirum ac paupere ob peccatum suum et irreligiositatem; petente autem celerem Christi opem, et intellectualium hostium ignominiam.

PSALMUS LXX.

In iustitia tua libera me, et eripe me. v. 2.

Iustitia patris est filius, a quo liberati culpa fuimus quae nos in corruptela detinebat. Qui ergo in Deo spem collocaverit, nullo umquam aevo pudore adficietur; quod secus illi accidit quum alia re confisus, spe excidit. Nam qui fidit opibus, cadet. Neque speretis a filiis hominum, qui salutem nequeunt praestare. Et maledictus qui spem ponit in homine. Benedictus homo, qui Domino confidit. Ego quoque, ait, si ab homine vel fallaci quavis caducave re spem meam pendere putavi, dignus plane sum qui pudorem experiar. Sin ceteris cunctis contemptis, in te uno fiduciam meam defixi, ne quaeso, o Deus, ullo tempore deludar. Tu vero congenitae tibi iustitiae memor, quae unumquemque pro suis meritis muneratur, libera me de persequentibus seu hominibus seu daemonibus, atque ab ipsorum saevitia incolumem praesta.

(1) Vides heic quoque nonnisi particulam cyrillianam de huius psalmi argumento; et quidem ea in aliis procul me catenis videtur Athanasio fuisse inscripta.

PSALMUS LXXI.

v. 1. Gr. p. 400. **Deus, iudicium tuum regi da.**

* Ephes. I. 10. Quale iudicium acceperit, paucis dicit beatus Paulus *, nempe quod Deo patri placuerit cuncta in Christo instaurare.

v. 3. **Suscipiant montes pacem populo, et colles iustitiam.**

Montes et colles heic dicit angelicas potestates, quae olim quidem propter late grassantem iniquitatem, in terra non versabantur; nunc autem pacem cum omnibus hominibus habere iussae sunt.

v. 4. **Salvos faciet filios pauperum.**

Quinam hoc loco denotentur pauperes, et quinam pauperum filii, oportet cognoscere. Pauperes itaque nominat sanctos apostolos; erant enim pauperes spiritu: nos vero servavit filios pauperum, iustificans per Spiritum in fide atque sanctificans.

v. 5. **Et permanebit cum sole.**

Permanet (1), id est ad omne aevum protenditur Deus simul et homo; namque et ante lunam per saecula saeculorum erat.

v. 7. **Orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis, donec auferatur luna.**

Orietur nobis Christi tempore iustitia per fidem; abundantia vero pacis, propter Gr. p. 450. conversionem ad Deum. Insuper de medio vicissim tolletur diabolus. – Animadverte, quod non dixerit auferatur, sed vicissim auferatur luna: nempe ut significet, diabolum qui hominem antea pessum dederat, vicissim perditum iri.

v. 10. Gr. p. 400. **Reges Tharsis.**

Tharsis gentium, Aethiopes sunt. Praeterea tharsis colorem significat hyacinthi-
* Ezech. I. 16. num, uti est apud prophetam *: similitudo eius ut tharsis (2). Apud Ionam denique
* Ion. I. 3. urbs Tarsus denotatur *.

v. 11-12. **Adorabunt eum. - Quia liberavit pauperem a potente.**

Adorabunt omnes, acerba diaboli tyrannide expediti: nam potentem hunc appellat; pauperem autem, humanam naturam, quae tunc erat Deo destituta.

v. 15. **Et orabunt de ipso (3) semper.**

Gr. p. 401. Quinam vero sunt hi orantes, nisi nos ipsi qui eius recepimus fidem? Intendentes enim ad Deum preces, bona nobis largiri per Christum postulamus.

v. 17. **Sit nomen eius benedictum.**

Ubinam vero non est Christus, aut quae gens appellatione hac non gloriatur? – Ante solem permanet nomen eius. Quomodo ergo accepit, quod semper eum habuisse apparet? Et v. 19. Flectitur ei omne genu, et honorato filio honoratur simul qui ipsum genuit. Patris enim gloriam dicit scriptura esse filium. Sic certe aliquando
* Ioh. XVII. 1. tamquam filius cum ipso colloquens aiebat *: pater, clarifica filium tuum, ut et filius clarificet te. Hoc ergo, inquit, nomen id est filius seu Christus Iesus, sit benedictum in saecula.

v. 18. **Qui facit mirabilia solus.**

Narrans quae fecit incarnationis tempore, hymnum ad eum extollit dicens: tu es

(1) Cyrillus ergo videtur in textu legisse sensu praesentis temporis συμπαραμένει.

(2) תַּרְשִׁישׁ intelligit hyacinthum gemmam, vel potius hyacinthinum colorem, Cyrillus; cui favet vulgatus interpretans *mare*, id est *caeruleum* vel *subnigrum*, quod bene refertur ad Aethiopas. Alii tamen chrysolithum intelligere malunt.

(3) Sic etiam Flaminius Nobilius interpretatur dictionem περὶ αὐτοῦ hoc loco in bibliis sixtinis.

Deus Israhelis, tu unus haec mirabilia patrare potuisti, nempe Satanae potentiam destruere, et irretitos daemonum tyrannide eripere. Animadverte autem, nihil prorsus dictorum in hoc psalmo convenire Salomoni de Uriae uxore nato; nec videlicet: ante solem nomen eius. Nec illud: ante lunam per saecula saeculorum erat. Undique igitur patet de Iesu Christo dictum esse hunc psalmum (1).

PSALMUS LXXII.

Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. v. 20.

De civitate loquitur superna et intellectuali, quae mater nostra est. Nam si imaginem tuam, *o Deus*, conservassent homines, merito civitatem quoque caelestem essent adepti.

Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me. v. 24. *Gr. p.* 460.

Quoniam iustitiae operator, Dei gratia glorians, dixerat « tenuisti etc. » id est observatorem me voluntatum tuarum constituisti; idcirco ceu magnum quid et eximium declarans id universalis Deus, propemodum exclamat dicens mox: quid enim mihi est in caelo? etc.

Quia ecce, qui elongant se a te peribunt. v. 27. *Gr. p.* 402.

Elongant se quidam a Domino non localibus spatiis, sed consuetudine quodammodo, sententia, ac moribus. Namque improbi homines et iniusti, vel aliorum criminum rei, procul Deo esse dicuntur. Etenim quae communio luci cum tenebris? Secus vero boni ac iusti, et praeclarorum erga religionem meritorum conscii, prope Deum sunt.

Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. v. 27.

Fornicationis mater est incredulitas. Nam quis Deum ubique praesentem credens, et singulis actibus adstantem, et cordium voluntates introspicientem, quis inquam vel improbam cogitationem admitteret, vel mali aliquid perficeret? Quare hi, ceu qui Deum de ipsorum actibus haud cogitantem iudicant, merito peribunt. Cessemus a spiritalis fornicationis moribus, ne congruum debitumque peccati amatoribus exitium subeamus. Est autem spiritalis fornicatio omne genus nequitiae et impuritatis. Et quia peccata a Dei propinquitate nos separant, auferamus dirum hoc impedimentum, et quicquid invicem appropinquare prohibet. Deus enim, inquit *, propinquus ego sum, non Deus remotus. * Hier. XXIII. 23.

PSALMUS LXXIII.

Dedisti eum escam populis Aethiopum. v. 14.

Aethiopas dici credendum est homines illos qui obtenebratam obscuratamque mentem habent, et nondum divino lumine illustratam. Verum ii qui genua filio flectunt, de quibus dictum fuit *, coram illo procident Aethiopes, ab eo illustrantur, * Ps. LXXI. 9.
atque exclamant *: sit splendor domini Dei nostri super nos. Qui autem prope indelebilem habent improbitatem, atque in sua perseverant nigredine, hi esca fient apostatae draconis capitibus, et gladio cadent. * Ps. LXXXIX. 17.

Tu siccasti fluvios Ethan. v. 15.

Ea quae in deserto contigerunt dicit, quum elicitis de rupe aquis populo potum praebuit. Ethan (2) interpretantur austrum; ad austrum vero Iudaeae Iordanes est.

(1) Reapse ecclesiae patres, nec non ipsi Hebraei de Christo hunc psalmum interpretantur.

(2) אֵיתָן *notum* sive *austrum* cur interpretetur Cyrillus, non satis ego video; nam certe eius radix

v. 17. Gr. p. 403. **Aestatem et ver tu fecisti.**

Fortasse volens quatuor terrae climata propheta indicare, clamat ad Dominum: aestatem et ver tu fecisti, id est torridas et australes mundi partes, nec non boreales
* Ps. LXXXVIII. 13. et frigidas. Veluti illud *: aquilonem et mare tu creasti. Heic autem praetermisit autumnum et hiemem, quia aestas iuxta autumnum est, et hiems iuxta ver.

PSALMUS LXXIV.

v. 1 **Dixi iniquis, nolite inique agere: et delinquentibus, nolite exaltare cornu.**

Historico quidem sensu praecipitur Assyriis ac Babyloniis ne sint in Deum blasphemi, neque viribus propriis superbiant. Nam cornu ad imaginem virium sumitur,
* Ps. CXI. 9. sive regni; veluti de Christo dictum est *: cornu eius exaltabitur in gloria, id est regnum, et supra res omnes fortitudo ac potestas. Significat etiam superbiam, ut hoc loco: ne cornu erigatis. Ad sententiam quod adtinet, dicit Servator, se stabilitis ecclesiae columnis, id est apostolis, monuisse alios quominus a mandatis aberrent: quod postremum alteri classi id est circumcisis dicitur, qui seditiosi in Servatorem elatique ira fuerunt: quorum causa perdita patria fuit eiusque incolae universi. Tota enim Pharisaei sacrilegis linguis suis frena laxarunt, praecepsque adversus Christum maledictum effuderunt, et omnia iura violarunt, dum illum, quem minime oportebat, impie damnarunt. Cornu quoque erexerunt, se Dei voluntatem cognoscere adfirmantes
* Ioh. IX. 29. dicendo *: nos scimus Moysi Deum esse locutum (1).

v. 6. **Ne extollatis in altum cornu vestrum, neque loquamini adversus Deum iniquitatem.**

Peccant autem, et adversus Deum iniquitatem loquuntur, idololatrae ethnici. Nempe veluti in altum cornu erigunt, arrogantemque intendunt cervicem Deo adversantes, qui vera dogmata oppugnant, mendaciis assueti, neque quid dicant scientes neque quid adfirment. Quippe et cornigera animalia cornibus apprime gloriantur. Verumtamen praesens sermo praedictos hortatur ne peccata augeant, neque adversus Deum linguam commoveant.

v. 7. Gr. p. 404. **Quia neque ab ortu, neque ab occidente, neque a desertis montibus.**

His verbis universum mundum designat; ortu orientem, unde sol oritur; occidente partes hesperias; montibus desertis aquilonarem et australem plagas: hae quippe ob immodicum frigus vel aestum sunt inhabitabiles. Ne peccetis itaque, ait; nihil enim quod in mundo peccatur latet Deum.

PSALMUS LXXV.

v. 5. **Illuminas tu mirabiliter a montibus aeternis.**

Et prophetae et apostoli dici queunt montes, propter haerentis illis virtutis celsitudinem, et quia depressum nihil et humi repens in ipsis est. Aeterni autem, quia incolumis et perpetua manet praedicata ab eis doctrina. Ergo illuminamur per ipsos, id est ducimur, erudimur.

v. 8. **Tu terribilis es. v. 12. Omnes qui in circuitu eius afferent dona.**

Terribilitatem undique innuit. – Circumstantes autem ei dicit sanctos, qui virtutes suas ei offerunt.

ימן alios parit significatus. Obiter autem observo haberi heic methathesim quamdam cum vocabulo *notus*. Ceteroqui Iordanem heic recte intelligi, cuius alveus sub Iosua mirabiliter fuit exsiccatus, exploratum est.

(1) His in locis nonnulla data sunt Athanasio in editis, quae codices vaticani constanter Cyrillo inscribunt.

PSALMUS LXXVI.

Exercitatus sum, et defecit spiritus meus. v. 4.

Exercitatus sum ait, pro meditabar, curis minutis angebar, ut prope animum desponderem. Deinde quid factum sit, et quodnam omnino illud esset exercitium, sive cura, suadens, demonstrat mox dicens: praeoccupaverunt custodias omnes inimici mei. Hoc autem quid rursus est? Si quando hostes urbem obsident, quamdiu cives custodias sive propugnacula servari vident, spem salutis retinent. Quod si custodes dormitent, et mox subeuntes hostes custodias occupent, ac muros superent, tunc hi demum victores fiunt. Cum ergo psalmista, sumpta a bellico negotio similitudine ait: praeoccupaverunt custodias omnes inimici mei, docere vult se victum a cunctis hostibus, et victoriam paenes illos stare. Et paucis interiectis. Veluti urbem devicerunt, potitique sunt victoria hostes.

Et dixi: nunc coepi; haec mutatio dexterae excelsi. v. 11. Gr. p. 405.

Alio quoque modo intelliges; nempe nunc coepi recte sapienterque intelligere, quae Deus per incarnationis mysterium egerit; quod nimirum Christus factus homo rem nostram in melius mutaverit. Mutatus fui et ego de animi habitu in alium; recte iam sentio; bene erga Deum sum affectus, quia is sanctos diligit salvosque facit. Sed et quilibet homo a nequitia recedens, vel in virtute perseverans ac proficiens, dicat utique: nunc coepi; hanc mutationem dextera Dei largitur, nempe ut semper per exercitia pietatis in melius procedamus. Nam qui virtute proficit, non est sine quadam mutatione. Iamvero et ipse Unigenitus mutatus dicitur, ceu si divina natura demissione sua in formam nostram speciemque conversa sit (1), non tamen amissione (2) aliqua sed assumptione.

Deus in sancto via tua. - Tu es Deus faciens mirabilia: notam fecisti in populis virtutem tuam; redemisti brachio tuo. v. 14-15.

Viam Dei esse dicit veritatis studium, rectam cuiusque negotii tractationem, negotii inquam cuiusvis iusti et sancti. – Ipse enim est mirabilium auctor, quia solus est suapte natura et vere Deus. – Virtutem et brachium intelliges esse filium Dei.

Viderunt te aquae, Deus, et timuerunt, turbataeque sunt abyssi. v. 17.

Redimit sanctum baptisma, et a diaboli tyrannide fortiter vindicat. Hic enim nostri dominatur per peccatum, quod in membris nostris gliscit.

Vocem dederunt nubes, etenim sagittae tuae discurrunt etc. v. 18-19.

Secundum tropologiam autem, multitudo collectorum in ecclesiis Dei populorum, aquis comparata, videns inter homines versantem Deum, metum salutarem est experta qui sapientiae initium est. Abyssi autem, id est incredulorum classis, turbatae sunt dum contra ecclesiam insurgunt. Iam nubes, quibus mandatum fuit, ne deinceps supra antiquam vineam Israhelem pluviam demitterent, discipuli Servatoris sunt, qui evangelicum administrantes verbum, toto orbe caelestem pluviam distribuerunt, vocem dederunt, in universam enim terram exivit sonus eorum. Tum etiam salutares electaeque sagittae, quae salvatorum animas feriunt, nimirum ipsi rursus apostoli, vel ignea Dei oracula, et Spiritus efficacia, quaqueversus cursitant. Tonitru pariter, evan- Gr. p. 406

(1) Rectus Cyrilli sensus cuique patet; praeter quam quod alibi centies dicit, deitatem non esse in humanitatem mutatam, neque vice versa etc.

(2) Dixi in graeco margine malle me κατ' ἀποβολήν, quam lectionem omnino confirmat sanctus Nicephorus constantinopolitanus in apologia minore pro sacris imaginibus, quae a nobis mox vulgabitur.

* Marc. III 17. gelicus sermo, qui toto sonuit mundo, unde et quidam dicti sunt tonitrus filii *. In rota datus est, id est in hoc orbe sphaerico, qui circumagitur: cui alia rota inest, hominum scilicet vita, sicuti est apud Ezechielem, rota in rota. Coruscationes item, quae
* Matth. V. 14. spiritali nos luce illuminant, id est evangelici sacerdotes, quibus dictum fuit * vos estis lux mundi, usque ad terminos terrae illuxerunt. Neque enim dicimus coruscationum, quae inter imbrem fiunt, mentionem facere Davidem; sed spiritalis potius divinique luminis splendorem, coruscationis vocabulo denotare voluisse. Sciendum vero est sanctum quemvis hominem nihil habere angulosum aut asperum, sed rotae instar vix levi sui parte terram contingere; cui nil tortuosum habenti vox sapientiae insonat. Secus autem peccator, et alioqui obliquus est; et si forte orat, in angulis orat: et sinuosam, non autem rectà ducentem viam terit anima eius. Nos utique hac quoque sensibiles coruscationes ad tonantem fulgurantemque Deum convertant: percellunt enim admiratione animos, dum subito orbi coruscant, tenebrasque noctis dispellunt; non enim sol tantummodo verum etiam fulgura tenebras solvunt. Quod si adhuc hoc in sermone, ceu similitudine quadam, immorandum est, apostoli rotae seu turbinis instar, evangelicae doctrinae vocem sumunt; atque ita coruscant, splendetque ipsorum lumen coram hominibus; quo fit ut mentis simul et operis ipsorum coruscationes appareant (1).

PSALMUS LXXVII.

v. 13. **Interrupit mare, et perduxit eos.**

Eadem nos quoque ratione dominus noster Iesus Christus servavit: traduxit enim nos veluti per quoddam mare, per vitae praesentis tempestatem, adversitates, tentationes, undosas vices. Ab ipso adiuti adversarios nostros superavimus. Vim nobis suppeditavit calcandi serpentes et scorpios, et quamlibet hostis potentiam. Denique
* Matth. V. 4. nos in promissam regionem introduxit, cuius meminit dicens *: beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

v. 24. *Gr. p. 407.* **Panem caeli dedit eis.**

Caeli panis est Dei Unigenitus: idem reapse verum est manna: panis de caelo rationali cuilibet creaturae suppeditatus.

PSALMUS LXXVIII.

v. 5. **Usque quo, Domine, irascêris in finem?**

Quia Christus prompte admodum sanctorum excipit preces (2), quas pro peccatoribus fundunt; etenim fratribus suppetias ferunt, et afflictorum participant lacrymas, suasque faciunt illorum calamitates, quasi et ipsi caritatis suae causa paterentur; ideo clementi Deo prosternentes se dicunt: usque quo, Domine, irascêris in finem, et ignis instar ira tua exardescet? Ne sine modo atque incessanter ira tua peccantes persequatur. Certe natura tua non ita es comparatus: nam percutit certe Deus illos qui recte vivere negligunt: sed quia magna est et incomparabilis eius clementia, non secundum iniquitates nostras facit nobis, neque secundum peccata nostra retribuit nobis. Semper enim iram cohibet, neque pares peccatis nostris poenas infert; in tantum,

(1) Quia cessat in hoc psalmo codex praestantissimus A, qui unus, ad Cyrillum quod adtinet, ceteros simul omnes ferme exaequat, idcirco longe pauciora iam sequentur Cyrilli segmenta.

(2) Animadverte catholicae ecclesiae doctrinam de utilitate precum, quas sancti homines ad Deum pro ceteris fundunt.

ut nonnulli propter congenitam ei benignitatem et obliviscendarum iniuriarum morem, propemodum eum incusent quod omnino aliquando irascatur. Ecce enim et patientissimus Iobus Deo supplex aiebat *: cur iniquitatum mearum non es oblitus, et peccata non emundasti? Sed enim, cur Dominum, inquam, incusas? Non incuso, inquit, sed peto potius consuetam ei congenitamque benignitatem. Haec ille athleta praeclarus. * Iob. VII. 21.

Effunde iram tuam in gentes, quae te non noverunt. v. 6.

Prosunt nobis sanctorum preces; supplices enim se Deo prosternunt pro nobis, et irruentem in nos iram, ad alios quodammodo divertunt dicentes: effunde iram tuam in gentes, quae te non noverunt, et in regna quae nomen tuum non invocant. Ergone contra alios prorsus, qui nihil peccarunt, effundi vult iram divinam? Qui fieri posset ut Deus ferret hortantem se ad iniustitiam? Vel quomodo sanctus omnino is sit, qui tam duras preces pronunciet? Quid ergo ait? Cum creaturae Dei aliquae peccant, simul tamen eius cultum retinent, tunc sane moderate punit, iram veniae miscens. Cum autem nonnulli ex his qui ipsum ignorant, perpetuo simul irritant, tunc hos effreni ira persequitur. *Gr. p. 408.*

Quia pauperes facti sumus nimis. v. 8.

Quodnam sit spiritalis nostrae paupertatis genus, et quasnam proprie amiserimus divitias, oportet cognoscere. Nudata omni bono fuit hominis natura, supernis donis destituta, a Dei familiaritate alienata (1). Siquidem interveniente peccato, exuti immortalitate fuimus, in crudelem impiumque latronem incidimus, Satanam dico. Nam Deus mortem non fecerat *, sed ad immortalitatem omnia condiderat, mundique origines salute plenae fuerunt: invidia autem diaboli mors in orbem terrarum introivit *. Ergo valde pauperes facti fuimus, sed tamen in Christo divites evadimus, antiquis bonis receptis. Pauper enim nobiscum factus est qui dives erat, ut nos eius paupertate ditaremur *. * Sap. I. 13. * Sap. II. 23. * II. Cor. VIII. 9.

PSALMUS LXXIX.

Veni ad salvandum nos. v. 3.

Dicta sunt haec prophetice. Exitum vero habuerunt, ut dixi, apud nos, in quos saeculorum fines occurrerunt. Extremis enim temporibus unigenitum Dei Verbum homo factum est.

Ostende faciem tuam, et salvi erimus. v. 4.

Faciem Dei patris filium appellant; est enim imago et figura substantiae illius, atque in ipso solo Dei patris pulcritudo manifestatur. – Illucescente nobis patris facie, id est filio, conversi sumus ad Deum viventem ac verum ex vana paterna conversatione, ac per eum salvati fuimus.

Quo usque irasceris super orationem servi tui? v. 5.

Haud iam de morante queritur, sed orat potius ut gratiam acceleret. Ceteroquin qui omnia scit Deus, singularum quoque rerum congruum tempus cognoscit.

Potabis nos lacrymis in mensura. v. 6. *Gr. p. 450.*

Lugentes atque gementes necessarium cibum capimus. Haec autem nobis fecisti iustam poenam peccatis nostris retribuens.

Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris. v. 7. *Gr. p. 409.*

Quomodo autem expositi erant filii Israhelis finitimorum suorum contradictioni,

(1) En apud Cyrillum peccati originalis descriptionem, ut apud nos p. lat. 221. adn. 2.

et hostium irrisioni? Quia nimirum debilitati, et oppressi, et pedibus hostium suppositi. Certe in eo maerore constituti rem prospere agere haud poterant. – Haud queruntur iniuriam a Deo sibi fieri, lugent potius destitutum illius auxilio Israhelem.

v. 10-11. **Dux itineris fuisti ante ipsam, radices eius plantasti etc.**

Praecedens enim eiecit e conspectu eius gentes. Radix autem iudaicae vitis Moyses ac Iosue. Hi terram pietate sua impleverunt; quaquaversus enim virtutes ipsorum discurrerunt. Vitem tropice populum quum nominasset, metaphorae insistit. Et montes quidem vim finitimarum gentium appellat; umbram vero eos cooperientem, dicit Israhelis dominatum ipsis impositum; cedros Dei, excelsos principes qui a Deo potentiam acceperunt; arbustivas vites, quae cedros circumtegunt, dicit israheliticum regnum quod his illustrius evasit: quam rem sub beato Davide ac Salomone evenisse scimus. Nam magnus David non ab alienigenis tantum et Idumaeis, Ammanitis ac Moabitis, verum etiam ab utroque Syro tributa exigebat. Ad Salomonem autem Aethiopum quoque regina venit; adeo apud omnes clarus evaserat! Palmites ait populi multitudinem, propagines vero proselytos ex ethnicis accedentes, Dei notitia suscepta. Denique ex his omnibus antiquam populi ubertatem ostendit.

v. 14. **Solivagus ferus.**

Hoc de diabolo quoque intelligere poteris.

v. 15. **Convertere et respice.**

Gr. p. 450. Omitte aversionem; desolatae vineae memento, atque in eam intellectualem imbrem demitte. Cinge eam ceu quodam sepimento potentiis intellectualibus, et tua virtute ac gratia confirma, vineam inquam quam dextera tua plantavit. Est autem patris dextera filius; nam per ipsum, tamquam manum suam, omnia operatur. Tunc demum ea quae ambusta fuerat, reflorescet ac reviviscet, bonosque fructus germinabit. Etenim qui eam incenderant, peribunt. Facies Dei, filius est; est enim imago et figura substantiae illius, atque in ipso patrem spectamus (1).

v. 15. **Visita vineam istam, et perfice eam.**

Gr. p. 409. Dispone, inquit, quodammodo super filium hominis; id est largire hominibus cor bonum, ut agnoscant ac per fidem recipiant eum qui factus est homo. Et paulo post. Quum ergo, inquit, eam vitem stabiliet, parabitque cor ad suscipiendum per fidem filium hominis, tunc illa succensa et suffossa atque inutilis prorsus effecta, pul-
Gr. p. 410. lulabit iterum et reviviscet bonosque proferet fructus. Nam qui eam succenderant et suffoderant, ab increpatione vultus tui peribunt. Vultum vero denuo Dei, appellat filium, qui est imago et figura substantiae eius, atque in ipso patrem spectamus.

v. 18. **Super virum dexterae tuae, et super filium hominis.**

Fatemur nominari a psalmista his verbis omnium servatorem Christum, id est unigenitum Dei Verbum. Nam quia homo factus est, humano more de ipso loquitur. Hic est Christus, hoc est humanatum Dei Verbum, quod et nostri causa se exinanivit, et tamen mansit quod erat.

PSALMUS LXXX.

v. 6. **Cum exiret ipse de terra Aegypti, linguam quam non noverat audivit.**

Grande hoc et praecipuum, et omnimodae felicitati habendae sufficiens, homini certe Dei amantissimo. Eductus fuit enim de regione Aegypti manu valida et excelso

(1) Postrema haec paulo sunt ampliora in sequente fragmento. Licet ergo cognoscere diversam eclogariorum agendi rationem.

brachio, sicuti scriptum est *, evasitque ex loci illius tyrannide. Et paulo post. Haec omnia praeteriens cantici auctor, mentionem facit datae apud Sinam legis. Illic enim audivit Israhel linguam quam non noverat. Illic primum ipsi editum est vaticinium de omnium nostrum servatore Christo. Quanam id porro ratione, iam dicam. Stabat populus ad montis Sinae radices, cum ecce descendit illuc sub ignis specie Deus. Mox, uti in exodo scriptum est *, protulit Dominus hos sermones: audi Israhel, ego sum dominus Deus tuus, qui eduxi te de regione Aegypti, de domo servitutis. Et paucis interiectis. Deinde aiunt sacrae litterae. Et populus universus spectabat vocem et lampades igneas, et tubae vocem, et fumantem montem. Timuitque cunctus populus, et procul substitit. Dixeruntque Moysi: loquere tu nobiscum, non autem Deus nos alloquatur, ne moriamur. Audin, quomodo insuetam non sustinent vocem? Nempe quia loquentem Deum ferre nequeunt. Et paulo post. Idcirco mirans ait de Israhele psalmographus: cum exiret ipse de terra Aegypti, et reliqua. Audivit enim legem ferentem Deum; sed quia res huiusmodi intolerabilis ipsi accidit, ideo mediatorem poposcit, beato Moysi dicens: loquere tu nobiscum, non autem Deus, ne forte moriamur. Quid ergo hinc portenditur? Nempe Deus pater facile cognovit opus nobis esse mediatore. Sed tamen fieri non poterat ut homo mortalis aeque ac nos Moyses, perpetuus inter Deum et homines esset mediator. Quamobrem de Christo statim prophetiam intulit dicens *: prophetam illis suscitabo inter fratres ipsorum sicuti te: ponamque sermones meos in ore eius, et omnia quae praecepero ipsi loquetur. Porro autem quisquis dicta ab eo propheta in nomine meo non audierit, ego ulciscar. Factus est itaque inter nos Deumque mediator filius. Quanam vero ratione mediator? Quia demisit se ad exinanitionem, sumpsit servi speciem, versatus in terra est tamquam homo. Et multis interpositis. Pater dixit se positurum sermones in ore illius, foreque ut idem loquatur quaecumque ei mandata fuerint. Filius vicissim ait *: a memet ipso non loquor *: sed qui misit me pater, ipse mihi praecepit quid dicam et quid eloquar. Et rursus. Verba quae ego locutus sum vobis, mea non sunt, sed eius qui misit me. Ceterum verba patris loquitur, non tamquam verborum minister, sed ceu ipsum patris Verbum. Ideo dicit Isaias propheta de eo *: filius natus est nobis, cuius imperium super humerum eius: vocaturque nomen eius magni consilii angelus. Magnum porro consilium Dei patris est, quod nobis filius nunciavit, quum sit ipse, ut dixi, patris Verbum.

* Ps. CXXXV. 12.
* Exod. XX. 1.
v. 18.
Gr. p. 411.
* Deut. XVIII. 18.
* Ioh. XII. 49.
* Ioh. XIV. 10.
* Is. IX. 6.

Manus eius in cophino servierunt. v. 7.

Nam qui latericio opere famulabantur, cophino lutum iniicientes humero portabant. Cophinus reapse ad hanc usque diem dicitur instrumentum quo onera gestantur (1). Dorsum itaque illorum avertit ab oneribus, id est gestationibus liberavit. Manus item illorum liberavit, quominus servirent in cophino. Hic est igitur summatim versuum sensus, qui nihil omnino difficultatis prae se fert. Et multis interiectis. Verumtamen populi carnaliter liberati minister erat Moyses; noster vero spiritaliter minister factus est Christus. Is enim intellectualem debellavit Pharaonem, id est Satanam; quem a sua adversus omnes tyrannide depulit. Idem nos non corporali tantummodo, sed spiritali potissimum servitute expedivit.

Inimici Domini mentiti sunt ei. v. 16. Gr. p. 412.

Nam cum expectaretur ab eis ut omni studio et conatu fructum pietatis expromerent, e contrario facti sunt improbi.

(1) Adi Philonis de oblativi cophini festo, ob hunc molestum aegyptiacum ferme instituto, breve opusculum, quod nos ex florentino codice edidimus.

v. 17. **De petra melle saturavit eos.**

Quasi diceret: tamquam infantulum nuper natum atque tantillum, multaque cura indigentem, sic eos Deus nutrivit, panem ad saturitatem praebens, melleo cibo replens, quae propria puerulorum esca est.

PSALMUS LXXXI.

v. 1. **Deus stetit in synagoga deorum.**

Deum hoc loco sine dubio appellat Servatorem, Deum inquam verum non spurium aut falsi nominis: haud sane ab aliquo hanc appellationem gratiose adeptum, sed qui vere et suapte natura quod est, id esse dicitur (1). Deos contra illos dicit, qui revera tales non sunt, sed ita gratiose nominati: quorum etiam sapientissimus Paulus
* I. Cor. VIII. 5. meminit dicens *: nam etiamsi multi sunt qui dii dicuntur et domini tum in caelo tum etiam in terra, nobis tamen unus est Deus pater, ex quo omnia, et nos ex ipso: et unus dominus Iesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. Sunt igitur non-
* Ps. LXXXI. 6. nulli gratiose tantum nominati dii. Quare nobis quoque dictum est a psalmista *: ego dixi, dii estis, et filii Altissimi omnes. Deus ergo verus, unigenitum Dei Verbum, in synagoga stetit deorum. Quorumnam vero deorum? nempe eorum qui ob sacerdotii
* Act. XXIII. 5. dignitatem, Dei titulo honorati sunt. Sic enim hos Paulus quoque nuncupat dicens *: diis non obtrectabis, neque principi populi convicium facies.

PSALMUS LXXXII.

v. 3. **Qui oderunt te, caput extulerunt.**

Rursus, tamquam si de serpentibus aspidibusque verba faceret, ait extulerunt caput. Nam sicuti serpentes tacite caput ad mordendum attollunt, seque solo elevant,
Gr. p. 413. sic etiam qui Christi gloriam oppugnant, caput aliquantum attollunt; sed mox concidunt ab ipso percussi, qui draconum capita conterere solet.

v. 7. **Tabernacula Idumaeorum, et Ismahelitae etc.**

Erant hi barbari populi et carnali Israheli infensi, alienigenae potissimum dicti. Verumtamen illos quoque tunc Deus salvavit, vanos reddens hostium incursus.

v. 9. **Assur quoque sociatus est illis.**

Eodem peccat proposito, qui alicuius mentem naturali lumine praeditam peccare cogit. Qui vero bellum tibi indixerunt, Gebalitani sunt, nec non Syri, etc.

PSALMUS LXXXIII.

v. 2. **Quam dilecta tabernacula tua!**

Aeterna et caelestia dicit tabernacula.

v. 4. **Turtur nidum sibi invenit.**

Carminis huius auctores admirantur, ut dixi, ecclesiae pulcritudinem: laudant insuper magistrorum eius piam caritatem; quia veluti quidam turtures pullos suos apud divina fovent altaria. Magistrorum pulli sunt, qui per illos fidem susceperunt, nam spiritalium patrum locum tenent. Mos quippe est divinae scripturae comparandi turturibus sanctos doctores. Cur id, inquam? quia vocalissimus et suavis est turtur. Nobis autem discendi studiosis, tales videntur sacrorum magistrorum sermones. Sunt igitur hi spiritalium turturum instar. Neque animus tantum laetatur et gaudet, sed

(1) Admiremur hanc quoque de Christi divinitate insignem Cyrilli praedicationem in civitate Arii natali.

corpus etiam fit laetitiae particeps, spe resurrectionis concepta. Id enim et subsequens sermo innuit. Propterea et antea Deum vivum dixit, ceu vitae datorem. Certe Babyloniorum dii, itemque maiorum nostrorum, exanimes insensilesque omnino erant. Quo fit ut egregie prorsus, qui illos dereliquerunt, hunc, qui vere Deus est, viventem nominent.

Ascensiones in corde suo disposuit. v. 6.

Quasnam ascensiones? in caelum scilicet. Etenim id mente agitamus, atque hanc spem fovemus, fore ut in supernam civitatem ascendamus, sanctorum matrem, cae- *Gr p.* 414.
lestem ecclesiam, atque ibi cum omnium servatore Christo versemur (1).

Domine Deus virtutum. v. 9.

Dominum virtutum et Deum Iacobi appellat Christum, ne quis eum recentem existimet Deum, propter nativitatem in carne, sed illum potius esse credamus, quem ipsi Israhelis patres coluerunt, quem provisione spectarunt, cuius mysterium non ignoraverunt, revelante scilicet Deo patre, sancto Spiritu illuminante (2).

Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. v. 11.

Cura tua fruens, o Domine, populus tuus, templo tuo semper adsidet, multam inde utilitatem capiens. Nam quae bona vel unico die ibi percipit, haud alibi adquirat, multis laborans dierum millibus. Haec dicere captivos quoque apud Babylonem decuit, cum impiis hominibus vivere coactos, nullumque inde emolumentum capientes, sed reputantes potius quantam a Dei templo utilitatem essent capturi.

PSALMUS LXXXV.

Ad te clamabo tota die. v. 3.

Tota die dicit, pro per diem totam, nempe omni tempore. Oportet enim nos semper Deo supplices fieri, eiusque misericordiam exquirere.

PSALMUS LXXXVI.

Fundamenta eius in montibus sanctis. v. 1.

Montibus comparat ecclesiam inspirata divinitus scriptura, propter dogmatum illius altitudinem. – Montes itaque existimamus esse ecclesias, sive degentes in iis homines. Templa enim sumus Dei viventis, et Dei domus ut aiunt scripturae *. Quaenam * I. Cor. III. 16.
vero sint fundamenta quae in nobis collocat Christus, docebit Paulus dicens *: fides, * Gal. V. 22.
spes, caritas; et praeter has, fortitudo ac patientia, temperantia et continentia, mansuetudo et longanimitas, et omnino virtutum omne genus. – Terrestris Sion, quae in *Gr. p.* 415.
iudaica regione est, pars est urbis Hierusalem, excelsa videlicet ac veluti in monte sita. Illam propterea interpretantur speculam (3). Huic veluti in monte conditae Sioni comparant ecclesiam, id est credentium multitudinem, sacrae litterae *. Est enim ex- * Hebr. XII 22.
celsa ecclesia, nihil humile habens: nam terrestria sapere dedignatur, sed quaerit potius superna: ecclesiae autem alumni ambulant quidem in terra, sed eorum conversatio in caelis est.

(1) Animadvertamus piorum christianorum beatae in caelo aeternitatis spem, pro qua mundani homines, et voluptatibus dediti, parum sunt solliciti.

(2) Adhuc contra Arianos, immo et Eusebianos. Namque a caesariensi Eusebio nonnisi minorem, post patrem, Deum existimatum esse Filium, manifeste demonstrat Montfauconius praef. ad Euseb. comment. in psalm. cap. VI.

(3) De hac vocabuli hebraici *Sion* interpretatione diximus p. lat. 109. adn. 2.

PSALMUS LXXXVIII.

v. 5. **Usque in aeternum semen tuum parabo.**

Nempe de semine eius suscitatus est secundum carnem Christus, et ex Iudae tribu, ex qua David ipse erat oriundus.

v. 11. **In brachio virtutis tuae.**

Patris brachium appellat filium, per quem omnia operatur; sicuti manu nostra et nos omnia facere solemus.

v. 16. **Domine, in lumine vultus tui ambulabunt.**

In lumine, quod est ex Spiritu, quodque a tuo vultu emittitur, id est a filio tuo, ambulabunt. Ducit enim nos Spiritus sanctus ad singula quae in lumine facienda sunt opera.

v. 17. **In nomine tuo exultabunt.**

Semper enim nos ornat Christi super nos invocatum nomen. Siquidem ex Christo christiani sumus nominati.

v. 21. **Odientes eum in fugam convertam.**

Post Servatoris crucem, in graves atque inevitabiles incidit calamitates Iudaeorum synagoga. Traditi enim fuerunt in hostium manus, qui universam ipsorum vastarunt regionem. Itaque dispersi sunt.

v. 25. **Cornu eius extolletur.**

Solet inspirata divinitus scriptura cornu designare superbiam, si de peccatoribus agitur; gloriam vero, si de iustis sermo est.

v. 29. **In aeternum servabo illi misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi.**

Populum ipsum alloquitur sibi credentem; misericordiam autem dicit veniam per fidem. Fidele autem foedus dicit, id est firmum ac permanens. Nam prius foedus
Gr. p. 416. cessavit propter ipsius infirmitatem atque inutilitatem. Nihil enim perfecit lex. Cessavit, inquam, prius illud, quia umbratilem typum solamque veritatis speciem habebat: verumtamen spei melioris introductio nobis fuit, ob quam Deo propinquamus,
* Hebr. VII. 19. ut beatus scribit Paulus *.

v. 37. **Thronus eius sicut sol.**

Thronum hoc loco dicit principatum illius, id est ecclesiam. Nam Christi reapse thronus est ecclesia: in ipsa enim velut in sanctis angelis requiescit. Scriptum quippe
* Is. LXVI. 1. est *: caelum mihi thronus est. Certe superna ecclesia throni vice fungitur; tum et haec terrestris, Dei omnium nostrum thronus est. Splendebit itaque, inquit, Christi ecclesia mundumque illuminabit, atque instar solis lunaeque perpetua manebit. Nam sicuti nemo in caelis solis lunaeve orbem extinguere poterit, sic nullus umquam homo ecclesiae radios sive spiritalem splendorem obscurabit. Nam aeque ac sol et luna semper lucet.

v. 39. **Tu vero repulisti et despexisti, distulisti Christum tuum etc.**

Sic ait, pro: repelli et despici permisisti. Neque enim pater proprium filium repulit aut despexit; Iudaei potius ita se gesserunt, verumtamen permittente Deo patre. Distulisti Christum tuum, id est, promissionum de illo editarum exitum distulisti. Quomodo autem distulit? Subvertisti foedus servi tui. Promiseras, inquit, in aeternum esse mansurum: ita enim se habebat foedus a te cum illo initum. Nihilominus eum crucifixere Iudaei, et inter mortuos reputatus fuit. Passus est, inquit, et in crucem sublatus. Ergo foedus servi tui subvertisti: humi detractum sanctuarium eius pro-

fanasti, gloriam eius prostravisti. Nam quatenus patiebatur, merus homo reputatus est. Atqui inter mortuos non mansit, neque dedecus ei passio attulit, immo hinc maiorem adeptus est gloriam. Verumtamen res veluti iam actas narrant prophetae.

Non es ei auxiliatus in bello. v. 44

Quandoquidem qui suapte natura Deus erat, verusque filius et virtutum dominus, passionem admisit, etsi non pati poterat si ita voluisset, tuque o pater ea in re siluisti, propterea dicimus, te illi non esse auxiliatum. Iamvero bellum appellat tempus honorandae crucis, quo dimicarunt adversus Christi gloriam Herodes, Pontius Pilatus, cum ethnicis populoque Israhelis *, nec non ipse in primis Satanas. *Gr. p.* 417. * Act. IV. 27.

Dissolvisti eum ab emundatione. v. 45. *Gr. p.* 451.

Dissolvisti, pro deiecisti; nam res dissoluta deiicitur. Deiecisti ergo ab emundatione ipsius, id est quominus se mundum crederet. Etenim improbus reputatus est, ac tamquam peccator punitus.

Usque quo, Domine, avertis in finem? v. 47. *Gr. p.* 417.

Viden quomodo res divinae incarnationis vult cognoscere? Quo usque, Domine? id est quamdiu praevalebit Iudaeorum audacia? Interfecerunt, inquit, vitae auctorem. Num mortuus iacebit? Num tu sine fine aversus eris, atque ut ignis exardescet ira tua? Sed enim aversatio et ira haud contra Christum est; cave id putes; sed adversus nos. Nos enim multifariam peccavimus, nos paradiso deliciarum, in progenitoribus inquam, excidimus.

Quis est homo qui vivet et non videbit mortem? v. 49.

Vere igitur quod filios hominum non frustra creaveris, ipsa eventuum natura testabitur: namque in Adamo mortui, per Christum reviximus.

Quod continui in sinu meo multarum gentium. v. 51.

Recipimus quodammodo in sinum, quae aliqui nobis conferunt dona. Hoc loco rogatur Deus ut promissionis meminerit, quam in sinum multarum gentium contulit. Quid enim promisit gentibus Servator? peccati veniam, liberationem a morte, salutem ac vitam.

Quod exprobraverunt commutationem Christi tui. v. 52.

Id est ecclesiam, sive credentes in eum; namque ex his componi dicimus ecclesiam. Cur autem commutatio dicta est? quia pro Iudaeorum synagoga (1) dedit pater filio conflatam ex gentibus ecclesiam.

PSALMUS XC.

Deus meus, et sperabo in ipsum. v. 2.

Vides quantam habeat apud Deum fiduciam: totum enim se illi tradens, spem salutis omnem in eo collocat. Beatissimus hic enimvero est, atque omni prosperitate cumulabitur. Canit ergo beatus David *: domine Deus virtutum, beatus homo qui sperat in te! * Ps. LXXXIII. 13.

Ipse eripiet de laqueo venantium, et a turbulento sermone. v. 3. *Gr. p.* 418.

Quinam est turbulentus sermo? nempe impiorum haereticorum, qui orthodoxorum corda conturbant, effrenate blasphemantes, nec quid loquantur nec quid adfirment intelligentes. Hi filium a paternae substantiae, quantum in ipsis est, consortio abstrahunt, et de sublimi throno deponunt, creaturis eum adnumerantes; et rerum

(1) De synagogae defectu librum scripserat noster Cyrillus, teste Gennadio cap. LVII: cuius operis frustum fortasse aliquod me aliquando prolaturum non despero, cum minutiores Cyrilli reliquias colligam.

omnium creatorem et artificem, facturam esse aiunt, atque ex non extantibus ad existentiam perductum. Alii de sancto Spiritu falsa tradunt, ipsum quoque rem creatam dicentes (1): ignem ita atque vindictam in capita sua attrahentes. Quid ergo de his
* Ps. LIV 10. psalmista *? Submerge, Domine, et divide linguas illorum, quia facti sunt veritatis accusatores, et mendacii patroni. Est itaque turbulentus sermo eorum, qui a veritate non fulcitur.

v. 5. **Non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die.**

Quid hocce est? Duo genera noxii molimini esse scimus. Nam vel clam et occulte, ac veluti nocte et tenebris latentes nonnulli quibus volunt laqueos tendunt, dolosque struunt: vel palam et tamquam in die publiceque id agunt. Vel timoris quidem nocturni vocabulo secretum periculum designat, latentemque in nocte et tenebris malitiam; sagittam vero in die volantem dicit conspicuam et publicam adgressionem.

v. 6. **A casu et daemonio meridiano.**

Meridianum daemonium appellat acidiam seu negligentiam, quae nonnullis aliquando obrepit. Et paulo post. Casum nonnulli patiuntur cum mens ipsorum voluptati succumbit, cum cor labascit atque ad carnis delectationes devolvitur, cum ad religionis opera torpet, et virtutis studium negligit. Sed tunc etiam salvat Deus; retrahit enim a casu atque acidia, id est meridiano daemonio.

v. 7. **Cadent a latere tuo mille.**

Latus hoc loco dicit partem sinistram seu obliquam. Etiamsi itaque multi sint, inquit, numeroque longe plures ii qui religiosos erga Deum invadunt, nihilominus
Gr. p. 119. cernes eos hinc et inde cadentes, temet vero mirabiliter a tutore tuo ac defensore ser-
* Exod. XVII. 16. vatum. Namque ut aiunt sacrae litterae *, manu occulta dimicat Deus contra Amalec omni tempore. Neque desinit amatoribus suis ferre salutem.

v. 9. **Quoniam tu Domine spes mea. Altissimum posuisti refugium tuum.**

Animadvertendum est, praedictos versiculos aliter a quibusdam intelligi, perverse nimirum et vitiose: etenim illos ad ipsius personam Christi referunt, copulantes uno sensu ac dicentes: quia tu Domine spes mea, Altissimum posuisti refugium tuum. Et paulo post. Aiunt Christum refugium suum habere Deum altissimum, videlicet caelestem patrem (2). Huius intelligentiae auctor illis Satanas fuit, qui talem reapse ver-
* Matth. IV. 5. siculis sensum attribuit, id quod ex evangelica scriptura cognoscemus *. Nam cum Christum tentavit, transtulit super templi pinnaculum, aitque: si filius Dei es, mitte te hinc deorsum. Scriptum est enim: angelis suis mandavit de te, ut te custodiant in omnibus viis tuis. Calumniator enim et seductor quum sit Satanas, quae de nobis erant dicta, ipsi accommodavit Christi omnium nostrum Servatoris personae. Verumtamen nos haud illum sensum qui Satanae placet sectemur. Quod si ita intellexerunt Ariani, nil mirum est; parenti enim tuo obsequuntur. Porro mendax est Satanas, et
* Ioh. VIII. 44. veritas in eo non mansit, prout Servatoris ait oraculum *. Et paucis interpositis. Nam si id, prout ipsi putant, verum sit, nos autem spem nostram fecimus ipsum, qui pariter refugium suum habet patrem; sequitur ut ad opis indigentem confugerimus, et servatorem eum nominemus qui ab alio servatur. Verum enimvero non ita res plane

(1) Perpetuum Cyrillo bellum fuit contra Arianos et Pneumatomachos.

(2) Impiam hanc reapse davidici versiculi interpretationem scribit Eusebius caesariensis in suo ad hunc psalmum commentario p. 596. seq. Et quidem ex dicto etiam ad psalmos commentario arianus innotuit Eusebius; ita ut post cognitam eius operis editionem, iam sit inutilis, A. Zacharia iudice, docta illa apologia, quam olim paraverat pro tuenda Eusebii orthodoxia Fr. Stavolus S. I., de cuius inedito codice locutus ego sum in mea chronici eusebiani editione mediolanensi praef. p. ult.

se habet. Nos ergo his qui ita interpretari solent dicimus: aliena nobis narratis; novam hanc aberrationem suadetis. Certe extra rectum tramitem, omissa regia via gradimini, in tribulos foveasque deciditis, a veritate receditis. Etenim aequalis similisque per omnia patri est filius, et figura substantiae eius, imago et splendor gloriae eius, denique altissimus aeque ac pater est.

Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. v. 10. *Gr. p.* 420.

Tabernaculum apud inspiratam scripturam non ubique (1) corpus denotat (2), sed vel urbem vel regionem vel domum. Ei rei fidem facit beatus David dicens *: * Ps. CXXXI. 3.
si ascendero in lectum strati mei; si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, ac requiem temporibus meis; donec invenero locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.

Quoniam angelis suis mandavit de te. v. 11.

His usus est versiculis Satanas, de nostro omnium servatore Christo, tamquam communi homine, eos recitans *. Nam quia totus caligo est, caliginosam habet men- * Matth. IV. 6.
tem, neque dictorum vim intellexit. Ignorabat insuper, Verbum Deum factum esse hominem, ipsum esse qui se humano more tentari patiebatur. Verumtamen Satanas, ut iam dixi, tamquam de homine communi, vel de aliquo sancto propheta dictum id esse existimavit. Atqui absurdissimum foret, si nos cognito accurate hoc mysterio, credentesque hunc esse Deum, et Dei filium, et nostri causa hominem factum, nihilominus de ipso loqui versiculos hos putaremus. Non ergo congruit ut de persona nostri omnium servatoris Christi, dicatur: Altissimum posuisti refugium tuum (3). Quippe ipsemet Altissimus est, omnium refugium, omnium spes, omnipotens patris dextera. Oportuit potius, unicuique vero adoratori intelligi dictum a patre: Altissimum posuisti refugium tuum: non accedent ad te mala, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Tuetur enim Altissimus, nempe Christus, de se sperantes et cum fide accedentes.

In manibus portabunt te etc. v. 12.

Nam sicuti carnales parentes, sicubi viderint viam asperam aegreque gradibilem, puerulos manu sustollunt, ne forte vexentur, pedibus adhuc tenellis, duramque viam nondum tolerare valentibus; sic etiam intellectuales potestates (4), eos qui nondum labores ferre queunt, puerili adhuc mente praeditos, non sinunt supra vires fatigari, sed omni tentatione eripiunt, ne animum despondentes sub diaboli pedes concidant, et divini famulatus studium abiiciant.

Super aspidem et basiliscum ambulabis. v. 13. *Gr. p.* 421.

Et olim ipsum conculcavit Christus, et adhuc nunc conculcat, quia discipulis potestatem attribuit calcandi serpentes et scorpios, et quamlibet inimici potentiam.

Et conculcabis leonem ac draconem. v. 13

Leo, draco, basiliscus, intelligatur idem Satanas, et cum eo rebellantes improbi

(1) Graece πάντως, sed mallem πάντοτε, atque ita transtuli, quia certe apud divum Petr. apost. II. cap. I. 13. et 14. σκήνωμα *tabernaculum* pro corpore aliquando ponitur.

(2) Hoc quoque contra Eusebium, et Theodorum heracleotam aeque arianum, qui ambo hanc proponunt interpretationem. Porro hoc fragmentum extabat anonymum apud Corderium; sed ecce nunc duo codices vatt. Cyrillo inscribunt.

(3) Hinc denuo cognoscimus quantopere intersit, scripturam sacram ducibus patribus orthodoxis, non autem heterodoxis doctis licet hominibus, interpretari atque intelligere. Ecce enim ex uno versiculo alii arianum venenum, alii vitae potum hauriebant.

(4) Videsis angelorum custodum erga homines officia.

angeli, qui dignitatem suam non retinuerunt, quibus caligo tenebrarum in aeternum
* II Petr II. 17. reservata est *. Rursus aspis et basiliscus, nec non leo dracoque, intelligi queunt etiam illi qui diaboli voluntatibus obsequi solent, eiusque perversitatem imitantur, amari, violenti, asperrimi, et a saevis beluis haud differentes, serpentium quoque venenum prae se ferentes. Et si placet, serpentes ac basiliscos intellige impiarum haereseon inventores.

v. 14. **Quoniam cognovit nomen meum.**

Quisnam vero est, qui nomen eius agnoscit? Nempe is qui illum solum colit, solum adorat, nullumque praeter ipsum Deum novit: qui pura conscientia illum veneratur, et omni idololatriae crimine alienus est: qui docile illi mentis collum subiicit: qui eiusdem voluntatibus obsequitur: hic demum nomen eius agnoscit. Iam no-
* Prov XXII. 1. men cum audis, gloriam cogita. Scriptum est enim *: melius est bonum nomen, id est gloria, quam opes multae.

v. 16. **Longitudine dierum replebo illum.**

Quemnam autem repleturum se spondet dierum longitudine? Revertamur ad totius psalmi initium. Ait ibi: qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei caeli commorabitur. Si quis itaque sub Altissimi praesidio est, et Dei caeli tutela protegitur, hic dierum multitudine cumulabitur, videbitque salutare Dei, id est salutem a Christo collatam. Promittit ergo amantibus ipsum futuram aeternam vitam, beatam, tranquillissimam, incolumem et ad infinita saecula producendam.

Diximus p. 422, quantum Cyrillo iure optimo accessurum sit ex anonymis apud Corderium fragmentis, et ex iis quibus idem Corderius alienum nomen imposuit, a psalmo XCI. ad XCVI. Heic ergo nonnisi quae sunt nova apud nos fragmenta, latine repraesentabimus.

v. 7. *Gr. p. 422.* **Ps. XCI. Insipiens non intelliget haec.**

Haud facile omnibus datum est, tam profundum ac sacrosanctum Christi mysterium posse cognoscere; sed iis potius quibus ipse pater revelaverit.

v. 14. **Plantati in domo Domini, in atriis Dei nostri florebunt.**

Domum Domini et atria, sanctas ecclesias esse ait, in quibus plantati per fidem fructum adferunt in patientia. Florent nimirum in suis singuli ecclesiis. Nam Dei domum generatim vocavit diffusam per universum orbem ecclesiam.

v. 3. *Gr. p. 423.* **Ps. XCII. Elevaverunt flumina voces suas.**

Magnum quid et immensum sanctorum sermo sonuit, et ad universam terram
* Ps. XVIII. 5. devenit sonus ipsorum, sicuti scriptum est *, et usque ad mundi terminos verba eorum. Nam flumina hoc loco appellatos dicimus sanctos apostolos, quorum voces, id est magisteria, ubique innotuerunt.

v. 4. **A vocibus aquarum multarum.**

Sicut enim, inquit, ex multarum aquarum seu fluctuum consurgentium sonitu, mirus fragor attollitur, sic est gentium laudes sacras canentium strepitus, quae universalem servatorem Christum celebrant.

v. 8. **Ps. XCIII. Intelligite insipientes in populo.**

* Prov. III. 11. Correctio hoc loco increpationem indignationemque significat. Ait enim Salomon *: fili mi, ne contemnas disciplinam Domini, nec deficias cum ab eo corripieris. Quem enim diligit Deus corripit, et quemlibet sibi acceptum filium flagellat. Ergo heic correctio castigationem denotat. – Vox naturae est, numquam minorem esse creantem

creato. Insipientes igitur enimvero stultique, qui res naturae ne eatenus quidem norunt, quatenus ad sententias naturae contrarias minime devolvantur, et factorum suorum iudicium detrectent; immo et aliis suadeant nullum fore iudicium: et quod est impossibile, opinentur; nisi forte Deum et dicta non audire, et facta non intueri aut scire, quispiam existimet. *Gr. p. 424.*

Quem tu erudieris Domine. v. 12.

Quomodo autem erudies? num verberibus? Non ita ait. Sed qui modus sit heic intelligendus, ipse explanat psalmista dicens: de lege tua docueris illum.

A diebus malis. v. 13.

Dies revera nefasti et mali iis qui prorsus sunt extrusi, et ad ignis poenam profecturi, dies inquam inexorabilis iudicii.

Non repellet Dominus populum suum. v. 14.

Excessit quidem a nobis, quod ad carnem adtinet, post suam a mortuis resurrectionem, in caelum redux, et ad Dei patris dexteram sedens. Sed quia utpote Deus omnia implet, eoque tum caelum tum ipsa terra plena est, amanter credimus eum nunc quoque nobiscum versari, eiusdemque ope posse nos diaboli fraudes superare, peccatique tyrannidem, et congenitarum voluptatum incursionem. Et paucis interiectis. Num igitur, quia nos quidem in mundo mansimus, ipse autem ad patrem ascendit, ab amatoribus suis abest? Minime gentium. Namque ipsemet spopondit nobis *: non relinquam vos orphanos, sed ad vos veniam. Venit autem ad nos, cum pro se et tamquam se ipsum ad nos misit Paraclitum, id est procedentem a Patre Spiritum, qui est etiam ipsius filii proprius (1). * Ioh. XIV. 18

Donec iustitia convertatur in iudicium. v. 15.

Iustitia est ipse omnium Servator et dominus. Sic enim eundem Deus pater sanctorum prophetarum ore nuncupat dicens *: appropinquat brevi iustitia mea, et misericordia mea mox apparebit. Et paulo post. Convertetur in iudicium, id est de caelo veniet cum gloria patris sui, comitantibus angelis, ut mundum iuste iudicet. Tunc enim, inquit, quum iustitia convertetur in iudicium, iuxta illam erunt, id est cum illa, omnes recti corde, id est iusti. * Is. LVI. 1. *Gr. p. 425.*

Consolationes tuae laetificaverunt animam meam. v. 19.

Consolatur Deus eos qui defatigantur propter virtutem, laborantes pietatis causa, vitae genus ipsi acceptum sectari volentes, carnis motum mortificantes, suismet voluntatibus resistentes, donec id quod studiose intendunt, recte perficiant.

Num adhaerebit tibi sedes iniquitatis? v. 20.

Iniquitatis vocabulo Satanam designat, qui est iniquitatis peccatique inventor ac magister. Sedes autem denotat principatum seu potestatem. Num ergo, Domine, est quisquam, ait, adeo ineruditus et insipiens, qui putet aut animo admittat, quicquam negotii cum regno tuo habere sedem iniquitatis, id est diaboli tyrannidem ac principatum? Absit, inquit. Solus enim tu Deus es, virtutum dominus, omniumque rerum dominatum habens cum proprio patre.

Venabuntur animam iusti. v. 21.

Venati sunt sanctorum animas, laqueosque illis intenderunt mali execrandique daemones, et horum dux Satanas. Insidiantur revera cuique sancto, et dentibus strident adversus eos qui honestatis fama celebrari solent. Scriptum est enim *: cibus eius electus. * Habac. I. 16.

(1) Hoc tum ad naturam Spiritus sancti pertinet, tum etiam ad processionem. Recole p. lat. 57. adn. 1.

PSALMUS XCIV.

v. 1. Gr. p. 426. Insultemus Satanae, iubilemus ipso victo et iacente, triumphum agamus de impia belua insolubili laqueo constricta (1).

PSALMUS XCV.

v. 2. **Annuntiate de die in diem salutare eius.**

Cuiusnam vero? Nempe Dei patris; filium scilicet de quo dicit nobis per unum
* Is. LVI 1. de sanctis prophetis *: appropinquat brevi iustitia mea, et misericordia mea mox ap-
Is. LXII. 1. parebit. Salutare vero meum ceu lampas accendetur *. Misericordiae quippe et iustitiae nomine filium indigitat: per ipsum enim clementiam experti sumus, et omnem iustitiae viam didicimus. Et paulo post. Dictio de die in diem ponitur pro omni die; quod sane praestiterunt beati discipuli, qui nullo praetermisso tempore, per quamlibet regionem civitatemque discurrerunt, Christum nunciantes, sacramque doctrinam tradentes. – Praedicaverunt cunctis ubique populis res eius mirabiles, prodigia ipsius, id est magnifica opera praeter omnium expectationem patrata.

v. 8. Gr. p. 427. **Tollite hostias, et introite in atria eius.**

Quanam vero via introibitis? fide scilicet; haec est enim ad salutem introductio.
* Rom. XII 1. Et paulo post. Quasnam porro hostias tollemus, beatus admonet Paulus dicens *: exhibete corpora vestra hostiam puram, viventem, Deo placentem, rationalem cultum vestrum.

v. 10. **Iudicabit populos cum aequitate.**

Populos recte iudicavit Dominus, servavit enim mundum, diaboli eripuit manibus, daemonum tyrannide expedivit, iustificavit fide, qui olim aberraverant iugo suo subiecit, sanctos effecit adoratores, pestilentem Satanam cum angelis eius damnavit.

v. 11. **Commoveatur mare.**

Mare heic cum audis, ne hoc notissimum cogites, sed aliud potius, id est terrestre hoc spatium, sive orbem universum eiusque incolas.

v. 12. **Tunc omnia silvae ligna exultabunt.**

Profecto nequaquam dicimus, fieri posse ut insensibilia ligna laetentur; id enim potius sanctos decet, quos potissimum Christo orbi illucescente laetatos dicit.

v. 13. **Quoniam venit ad iudicandam terram.**

Venit consilio ex dignitate Dei suscepto. Damnabit principem malorum beluam, atque in ignem incessabilem mittet. Liberabit eos qui sub eius ditionem devenerant, nos videlicet, ac fide iustificabit.

PSALMUS XCVI.

v. 1. Gr. p. 428. **Davidi, quando terra eius restituta est.**

David saepissime appellatus est ab inspirata scriptura natus de stirpe Davidis secundum carnem Christus; sicut etiam Israhel, oriundi Israhele; et Iacob, oriundi ex eo. Canitur ergo psalmus Davidi secundum carnem Christo. Quandonam vero et quam ob rem canitur? Quando, inquit, terra eius restituta fuit. Et paulo post. Apparuit nobis unigenitum Dei Verbum, perturbationes sedavit, terram restituit. Quanam vero

(1) Ut diximus pag. gr. 426, plura sunt Cyrilli ad hunc etiam XCIV. psalmum fragmenta, quae Corderius partim anonyma, partim aliter inscripta edidit, quaeque idcirco nos interim omisimus; nunc tamen codices vaticani demonstrant esse Cyrilli.

id actum sit ratione, psalmus docebit: Dominus regnavit, exultet terra, laetentur insulae multae. Sic rem nostram restituit; nempe quia Christus regnavit. Haec est sollemnitatis causa.

Illuxerunt fulgura eius orbi terrae. v. 4.

Apparuit Christi splendor cunctis terrae populis, et corda illustravit.

Montes sicut cera fluxerunt coram facie eius. v. 5.

Montes dicit excelsas superbasque potestates, adversarias nimirum; sive rectores tenebrarum harum, quos ob multam superbiam montibus comparat. Has Servator potestates cerae instar dissolvit, tamquam ignis videlicet cerae iniectus.

Rectis corde. v. 11.

Quid significat, rectum habere cor? Nempe erectum et invertibile.

Confitemini memoriae sanctitatis eius. v. 12. *Gr. p.* 429.

Confessio denotat gratiarum actionem. Oportet igitur gratias agere, quia qui Deus suapte natura est, et omnium dominus, et patris consessor, qui omnes dignitate superat, dignatus est memor esse nostri: memor vero, benedixit. Quod pariter nos docebit beatus David dicens *: Dominus memor fuit nostri, et benedixit nobis. * Ps. CXIII. 12

PSALMUS XCVII.

Cantate Domino canticum novum. v. 2.

Novum fit canticum, quia omnia in Christo nova sunt, vetera transierunt. Et paulo post. Quaenam sunt haec nova? etc. Et paucis interiectis. Quam autem ob rem et quid canere debeamus, ipse te rursus docebit: quia mirabilia fecit Dominus. Quaenam vero sunt haec? Eximia scilicet illa et admiratione digna, quae universalis Servator ac dominus fecit.

PSALMUS XCVIII.

Confiteantur nomini tuo magno. v. 3.

Magnum enim et excelsum est deitatis nomen, seu gloria (1). Non enim est ut creatura aliqua omnium creator, sed incomparabili potius excessu cuncta superat. Nihil porro ei simile, praeter unicum quod est ex ipso et in ipso et consubstantiale ipsi Deus Verbum, quod factum homo a Seraphim hymnis celebratur. Ipsum enim est nomen super omne nomen *; namque in nomine eius omne genu flectitur caelestium, terrestrium, et infernorum; et omnis lingua confitebitur, quoniam dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Magnum ergo et admirabile deitatis nomen, siquidem, ut diximus, omne ei flectitur genu, rebus creatis eum adorantibus, et digna Deo honorificentia exornantibus. * Philip. II 9.

Exaltate dominum Deum nostrum. v. 5.

Id est altissimum esse creditote illud quod humanatum est Dei Verbum, nihil humile de eo opinantes, quod secus infelices Iudaei factitaverunt.

PSALMUS XCIX.

Scitote quoniam dominus ipse est Deus. v. 3. *Gr. p.* 431.

Hic est Christus, qui universam sanguine suo terram redemit. Idem nostrae quoque creationis auctor est. Neque enim propria virtute facti fuimus, sed manuum eius

(1) Confer p. 266. v. 12.

opus sumus. Idcirco et populus eius, et oves eiusdem existimus. Populum autem reputare licet, partem mortalium magis rationalem: oves vero partem illam hac discre-
* Ps. CXVIII. 176. tione destitutam, neque divinorum oraculorum participem; iuxta illud *: erravi sicut ovis quae periit.

v. 1. Gr. p. 130. **Ps. C. Non adhaesit mihi cor pravum.**

Id est homo pravum cor seu distortum habens.

Ad v. 4. et 5. Sanctae mentis fructus est, detestari impios. Summae vero improbitatis argumentum est, fratribus obtrectare.

PSALMUS CIII.

v. 25. **Animalia pusilla cum magnis.**

Hoc quoque divinae providentiae argumentum est, quod minuta animalium genera cum magnis versantur, quin ab his omnino consumantur.

v. 34. **Iucundum sit ei eloquium meum.**

Eloquium dicit laudationem; nam qui psallit, Deum alloquitur.

v. 35. **Deficiant peccatores a terra.**

Sed ad haec fortasse dicet aliquis: ergone beatus propheta imprecatur iis qui in peccato versantur? ergone omnes peccatis irretitos perire destruique vult? Atqui decebat sanctum et divino Spiritu instinctum hominem orare potius pro infirmitate animae laborantibus. Et paulo post. Audi deinceps, nam paucis rem edisseram. Ante
Gr. p. 131. Servatoris adventum, cuncti in peccatis volutabamur, dominabatur mundo Satanas, non erat qui bonum faceret ne unus quidem, omnes declinaverant, simul inutiles facti erant. Ethnici idolorum cultores modestiae mores nesciebant, honestae vitae semitam ignorabant, immo ne ipsum quidem omnium creatorem servatoremque Christum cognoscebant. Iudaei item habebant quidem paedagogi instar legem, sed tamen in lege iustificari homo non poterat. Et paulo post. Ergo omnes in peccatis eramus; iniquitate terra redundabat. Postquam vero apparuit unigenitum Dei Verbum, et factum est homo, desiverunt peccatores, defecerunt qui iniquitatibus indulgebant. Quomodo id, inquam? Iustificavit nempe omnes, criminibus avertit, liberos purgatosque effecit. Sic ergo peccatores relicti sunt pauci, multi vero iustificati (1).

PSALMUS CIX.

v. 2. **Virgam virtutis emittet tibi Dominus ex Sion.**

Factus est nobis virga virtutis Christus, qui est ex Sion, superna scilicet. Idcirco et caelestis nominatur. Non enim ceu primus Adam de terra terrenus, sed ex caelo
* I Cor. XV 47. supernus, ut beatus loquitur Paulus * (2).

PSALMUS CXIII.

v. 16. **Similes illis fiant qui faciunt ea.**

Etiamsi facimus imagines piorum hominum, non tamen ut eas adoremus tamquam deos; sed ut iis inspectis, ad ipsorum aemulationem impellamur. Ideo autem Christi imaginem facimus, ut mens nostra ad illius amorem excitetur. Haud certe corruptibilem imaginem vel corruptibilis hominis adoramus. Sed quoniam Deus dignatus

(1) Pulcra enimvero ac pia versiculi interpretatio!

(2) Est hic quartus ex iis psalmis quos Cosmas indicopleusta topogr. christ. lib. V. ed. p. 226. nonnisi de Christo posse intelligi dicit.

est, sine aliqua tamen sui conversione, homo fieri, facimus ipsius tamquam hominis imaginem, quamquam alioqui scimus eum esse natura sua Deum. Non ergo imaginem dicimus esse Deum; sed Deum esse scimus qui in imagine pictus est, et quem imago repraesentat (1). Secus vero ethnici errore abrepti iconas deos esse credunt.

Ps. CXIV. Dilexi. Non cuiuslibet hominis est dicere « dilexi » sed perfecti, et qui servili timori superior est factus. Neque additur « certum aliquem nempe dilexi; » sed subintelligendus a nobis est universalis Deus. v. 1. Gr. p. 132

PSALMUS CXVII.

Haec est porta Domini. v. 20.

Prorsus aliter fieri non potest ut ad Dei patris notitiam perveniamus, nisi per eum ipsum quem dixit Christus *. Nemo enim, inquit, venit ad patrem nisi per me. – Ingredimur enim veluti ad familiaritatem cum Deo; itemque in regnum caelorum, veluti per quoddam ostium aut portam, per servatorem nostrum Christum. * Ioh. XIV. 6.

Qui venit in nomine Domini. v. 26.

Illi quidem veniunt servitutis induti schemate et conditione; hic autem cum gloria Deo digna et in nomine Domini, nempe vere et suapte natura talis. – Quid enim reapse significant verba in nomine Domini? Scilicet cum gloria Deo digna, dominatu, et gradu cunctos excedente.

PSALMUS CXVIII.

In corde meo abscondi eloquia tua. v. 11.

Nam veluti si quis aeneo in vase ignis favillam ponat, totum prorsus caloris particeps reddet; sic mens quae in animi recessibus ac praecordiis divinam caelestemque doctrinam fovet, propter suum omnis virtutis studium, semper ad hoc doctrinâ illâ inflammatur. – Sicuti enim nihil non prodest vitaeque salutare est, sermonum Dei semper meminisse, ita exitii causa est illorum oblivio. – Abscondere oportet in corde praecepta Dei, propter daemones qui ea diripere solent. Eadem admonet in proverbiis Salomon *: fili, inquit, si verba mandati mei recepta apud te celaveris, audiet * Prov. II. 1. sapientiam auris tua. Ergo ea quae mandata dicuntur, in evangeliis Dominus semen appellavit quod a caeli volucribus diripitur *. Is ergo mandatum abscondit, qui sem- * Matth. XIII. 4. per illud exsequitur. Nam qui rapiunt illud, propterea quod nos idem exsequi non Gr. p. 133. sinunt, idcirco rapere dicuntur.

In aequitate tua vivifica me. v. 40.

Vivificat nos iustitia sua Deus pater; est haec autem Christus.

Prius quam humiliarer ego deliqui. v. 67.

Namque ob praevias mentis passiones, atque ut ita dicam praecurrentes physicarum cogitationum aegritudines, tentatoris praepotentia intolerabilior fit; et prius quam a diabolo prosternamur, iam nos peccavimus; ante externum incursum, interiore pernicie laborantes (2). – Ante enim quam prorsus succumbamus, nos quidem mentis nostrae consensu peccatum quasi honorantes admittimus, aditumque Satanae

(1) Notabilis Cyrilli locus de sanctis apud Christianos imaginibus, cum iisque comparandus quae de crucis et sepulcrorum martyricorum veneratione dicit idem Cyrillus contra Iulianum lib. VI. et X. Item notanda adfirmatio quod ethnici reapse ceu deitatem quandam idolis inesse putarent.

(2) En cogitata peccata evidenter adfirmantur, de quibus recole adnotationes nostras p. lat. 98. et 132.

per hoc patefacimus. Rei huius typus et imago sunt, quae proditori Iudae infeliciter acciderunt.

v. 96 **Latum mandatum tuum nimis.**

Requirit enim Deus spiritalem fortitudinem, continentiam, patientiam, aliasque insuper virtutes.

v. 109 **Anima mea in manibus tuis semper.**

Manus esse dicit practica opera, quibus ad Dei visionem pervenire meremur.

v. 5. **Ps. CXIX. Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est.**

Fastidit praesentem vitam; et quia prorogatur ei hic incolatus, queritur lugens et eiulans ac deplorans diutinam in carne mansionem.

CANTICUM MOYSIS IN EXODO.

Cap. XV. 1. Gr. p. 134 Cyrilli. Ausus est quidam ex ethnicis dicere, partem aliquam Aegyptiorum fuisse Hebraeos, gregum scilicet ipsorum pastores: qui deinde contra dominos quum rebellassent, Aegypto excesserunt. Verum hic ethnicus non consideravit, tum ex hebraicae linguae genio, tum etiam ex hebraicorum nominum proprietate, quantum distet inter Hebraeos atque Aegyptios (1).

CANTICUM MOYSIS IN DEUTERONOMIO.

Cap. XXXII. 15. **Incrassatus, impinguatus, dilatatus.**


Cyrilli. Postquam supernis deliciis cumulatus fuerat, a Dei caritate recessit.

v. 19. **Vidit Dominus, et zelavit, et ad iracundiam concitatus est.**

Cyrilli. Zelantem si dicunt Deum sacrae litterae, nemo idcirco scandalum patiatur. Non enim nostri moduli est divina et ineffabilis natura; sed adeo in altum extollitur, mentemque nostram effugit, ut incomparabilis differentia sit. Namque in nobis quidem rerum actionumve varietas non sine passione fit. Nostra quippe natura laborat infirmitate quadam, et peccato valde est obnoxia. Verumtamen in Deo nostro res huiusmodi nonnisi vocabulis usuque sermonis apud nos designantur, sed revera non ita se habere intelliguntur. Caret enim passione Deus: zelare autem dicitur, quatenus neminem, qui eius gloriam semel noverit, ad turpia vult deflectere. Iram vero dicit pro commotione ad puniendum: sicut etiam verbum « concitari » impetum significat motumque ad infligendam poenam.

EXPLICIUNT QUAE REPERTA SUNT DE CYRILLI EXPLANATIONE IN PSALMOS.

(1) De pastorum in Aegypto dynastia Eusebius in chronico editionis nostrae mediolanensis lib. I. cap. XX. ex Manethone, et cap. XXI. ex Iosepho. Item lib. II. ad Abrahami annum CXC.



S. EIUSDEM CYRILLI ALEXANDRINI

FRAGMENTA EXPLANATIONIS IN LIBROS REGUM

EX CODICE VENETO (1).

LIBER I.

Et sumpsit Samuhel agnum lactentem unum. I. Reg. VII. 9. *Gr. p.* 435.

CYRILLI ALEXANDRIAE ARCHIEPISCOPI. Viden uti mediatorem simul salutisque dispensatorem faciebat Christum? atque ut huius mysterium, ceu invictam armaturam, alienigenarum incursioni opponens, Israhelem servavit? Namque agnum lactentem immolavit ceu Christi typum, iamdiu prophetarum voce clamantis: ego tamquam agniculus innocuus qui ad sacrificium ducitur, non cognovi. Animadverte autem, quomodo vis sacrificii, promptiorem ad opitulandum (2) laborantibus patrem reddidit. Tonuit enim in hostes grandi immanique strepitu; et iis qui victimam adtulerant, mercedis loco salutem largitus est. Atque hic typus mysterii in Christo consummati fuit.

Et nunc regem nobis constitue. VIII. 5

CYRILLI. Renuit Israhel diutius a Deo gubernari per prophetas; regemque depoposcit hominem. Hinc accidit, ut a lege quoque postea discederet: nam primus Salomon Baalim coluit; post quem Hieroboamus iuvencas (3) adorandas proposuit.

Dixitque Dominus Samuheli: audi vocem istorum etc. v. 7. *Gr. p.* 436.

CYRILLI. Quum res bene Israhelitis procederent, atque optimo rei publicae statu fruerentur, acerba sibi infeliciter concinnarunt. Etenim divini veluti regni abiecto iugo, ad beatum accessere Samuhelem dicentes: constitue nobis regem, qui ius nobis dicat, et reliqua. Deinde quum Samuhel quae forent regis iura ipsis exponeret, multisque eos compleret terroribus, atque a tam nocuo pravoque consilio summopere retraheret, hi nihilominus instabant dicentes: nequaquam, sed regnum nobis constituatur.

Dixitque Saul puero etc. quid adferemus etc. IX. 7.

CYRILLI, EX COMMENTARIO IN MATTHAEUM. Natura comparatum est, ut qui beneficio aliquo usi fuerint, id est rem aliquam apprime iucundam abs quolibet receperint, gratiam pro viribus referre velint, et paribus vel etiam maioribus eum qui sibi benefecit muneribus adficere (4). Atque ad hanc probae mentis demonstrationem ii praecipue prompto studio feruntur, qui bonis ingenuisque moribus praediti sunt.

Ibique erat unus de Saulis famulis etc. cui nomen Doec. XXI. 7.

CYRILLI. Fuit vir quidam gente idumaeus, cui nomen Doec. Hic a beati Davidis stipatoribus submotus fuerat, eratque officio iumentarius, homo acerbus et barbarus, nihilque bonae frugis habens. Is clam Saulem adibat, cunctasque ei molitiones et con-

(1) Videant lectores mei quae dixi in pag. gr. 435. adn. 1.

(2) In graeco deesse videtur πρὸς, nempe πρὸς ἐπικουρίαν.

(3) Nempe Aegyptios imitatus, quorum in pictis papyris Apim aut iuvencas sacras passim videmus.

(4) Fortasse loquitur Cyrillus de leproso illo, quem Iesus sanavit apud Matth. VIII. 2; qui apud Marc. I. 45, Iesu beneficium coepit praedicare; itemque alius apud Lucam XVII. 15, cuius ut gratum animum laudavit Dominus, ita aliorum aeque mundatorum ingratitudinem vituperavit.

silia renuntiabat. Promiserat etiam se idoneo tempore Davidem illi fore traditurum. Iam vero beatum virum domum Dei ingressum quum vidisset, quo tempore panes oblationis comedit, et cum Achimelecho sacerdote collocutus est, rem Sauli significavit, nempe quod paucis omnino stiparetur, facilique negotio a superveniente capi posset atque in potestatem redigi. Sic ergo Doec quidem Davidem prodidit Sauli, revelans quod in aede Dei congressus fuisset cum Abimelecho; servavit tamen prophetam universalis Deus, nequitiaeque eius cassum conatum reddidit (1).

LIBER II.

II. Reg. V. 6. Gr. p. 437. **Dictumque est Davidi: non ingredieris huc, quia caeci claudique adversantur.**

Cyrilli. Beato itaque Davidi quotquot Hierosolymis, sive in urbe Iebus, habitabant caeci et claudi obsistebant, cuius rei causa misere perierunt; etenim urbem David occupavit. Pari modo servatori omnium Christo, tempore adventûs eius, Hierosolymorum incolae claudi et caeci adversati sunt; neque enim rectâ incedere valebant, vel divinum mente recipere lumen, qui fidem non admiserant, scribae potissimum ac Pharisaei.

XI. 4. **Missisque David nunciis cepit illam, atque ad eandem ingressus est.**

Cyrilli. Ne facile perturberis, si quando sancti quoque homines errore labuntur. Nam fortissimi etiam milites, corporum robore et arte bellica celebres, vulnerantur quandoque in proeliis, non tamen prorsus succumbunt. Praeter quam quod dictis antea nobis hanc etiam addere oportet sententiam, nempe unius esse praerogativam benigni servatoris Christi, peccatum non pati, quia quum suapte natura Deus esset, factus est caro. Quamobrem ipsemet de se aiebat: venit princeps huius saeculi, et in me non deprehendet quicquam (2). Et paulo post. Atque haec aio de peccato Davidis, quo tempore ad uxorem Uriae Bersabeam accessit. Cunctos autem respicit huius historiae narratio. Nam etsi ut homo fragilitate laboravit, et inopinum aliquid passus est, demonstravit tamen sanctorum casum celerem nancisci relevationem.

XII. 13. **Dixitque David Nathani: peccavi Domino.**

Cyrilli, ex commentario in quinquagesimum psalmum (3). Heic mecum admirare beatum Davidem. Non est obrutus omnino voluptatis concupiscentia, non existimavit sibi gravem prophetam, non tulit aegre reprehensionem, doni loco habuit admonitionem, commissum ilico confessus est, culpam deflevit. Ac veluti fortis peritusque Gr. p. 438. auriga, equorum indomito impetu extra stadium abreptus, pudibundus erubescit; sic etiam beatus David deflexit aliquantum a recto; sed, ut dixi, propositum suum recepit, peccatumque deflevit.

v. 14. **Et quidem natus tibi filius, morti occumbet.**

Cyrilli, ex commentario (4) in psalterium, super illud: domine ne in furore tuo arguas me. His tamen a propheta auditis, securus mansit (5), animum non despondit,

(1) De Doeco confer dicta a Cyrillo ad psalmum LII.

(2) Ioh. XIV. 30.

(3) Tractus hic Cyrilli transferendus erit ad initia explicationis cyrillianae psalmi huius, quum universa Cyrilli in psalmos lucubratio, adsumptis etiam corderianis fragmentis ordinabitur.

(4) Priore loco in gr. ἐκ τῆς, id est ἑρμηνείας *interpretatione;* posteriore ἐκ τοῦ ὑπομνήματος *ex commentario.* Utrum ergo Cyrillus in titulo posuerit, incertum videtur.

(5) Patet sermonem adhuc esse de Davide et propheta Nathane. Et quidem fragmentum hoc deest apud nos in commentario Cyrilli ad psalmum sextum; itaque illuc aliquando transferendum erit.

vigorem non remisit: sed valde delectatus indulgentis Dei benignitate, et gratiarum hymno persoluto, nihilominus in maerore versabatur, quia peccaverat: etenim sanctos laudari magis decet, quam veniam impetrare.

Et regis Molchomi cepit coronam. II. Reg. XII. 20.

Cyrilli. Bellum gerebat contra Ammonitas, et horum vesaniae opitulantes Syros, quos vicit vique subegit: potitusque Molchomi corona, repertam ibi praegrandem pretiosamque gemmam proprio inseruit diademati.

Ascendebatque David lugens, capite operto. XV. 30.

Cyrilli. Quia ante bellum cum Abessalomo beati Davidis peccatum contigerat, illud videlicet contra Uriam, rumor de eo erat in universa ut ita dicam Iudaeorum regione, neque frustra suspicabantur nonnulli propter commissum in Uriam crimen poenas Davidem luere; et ob Dei offensam, nunc hostibus suis facile deditum iri, atque ad animi consternationem esse redactum.

Dissipa consilium Achitophelis. v. 31

Cyrilli. Dissipa, inquit, Achitophelis consilium, domine Deus mi. Quippe erat Achitophel alti consilii vir, acerbus, prudens admodum, et expediendis negotiis idoneus, atque insuper militaris rei scientissimus. Metuebat ergo David prae ceteris Achitophelem, ob sententiarum eius acerbitatem et belli gerendi peritiam.

Ecce autem occurrit ei Chusi. v. 32. *Gr. p.* 439.

Cyrilli. Chusi huic familiari suo suadet David, ut secessionem ab ipso simulet, et Abessalomi partes sequi, quò latenter Achitophelis consilia oppugnet; quod et reapse contigit.

Atque ita dicebat Semei, quum ei malediceret. XVI. 7.

Cyrilli. Quum ei Semei conviciatus fuisset, totque amaras voces in eundem iaculatus, incolumis tunc a Davide dimissus est; etsi postea acerbas illi debitasque poenas persolvit. Patienter vero David, multis licet eum concitantibus, illo tempore silentium tenuit, non sine plurima admirandaque prudentia. Reputabat enim quia Deum offendisset, nunc se plagis expositum, quarum partem esse iudicabat nonnullorum convicia, dicteria, atque irrisiones. Ubi enim adversus aliquem Dei aversio fit et derelictio, quamlibet modica sit, ibi sine dubio molestiae multae creari solent.

Quia Dominus mandavit illi ut malediceret Davidi. v. 10.

Cyrilli. Rei huius meminit in psalmo (XXXVIII. 9.) dicens: ludibrium insipienti dedisti me.

Dixitque Achitophel Abessalomo etc. XVII. 1

Cyrilli. Abessalomus quidem fugientem patrem persequi avebat; idque viriliter esse faciendum suadebat Achitophel. Chusi contra callide eum deterrebat: patris asperitatem consideraret, temere ad hoc non decurreret, pararet potius idoneas vires, militumque multitudinem contraheret, eo quod fortis valde et bellandi peritus et pugnacissimus esset beatus David.

Et mulier sumptum velamen expandit etc. v. 19.

Cyrilli. Igitur, etiamsi ab hominibus beneficium aliquod nobis contingat, cavendum est ne magis his quam Deo, qui per ipsos nobis gratificatus est, gratias agamus.

Cognovitque Achitophel infectum consilium suum. v. 23.

Cyrilli. Praevaluit Chusi sententia. Quod aegerrime ferens Achitophel, laqueo vitam finivit, ipse sibi iustam poenam decernens.

II Reg. XVIII. 33. **Luxitque et ita aiebat etc.**

Gr. p. 440. Cyrilli. Bellum Abessalomus beato Davidi intulit, atque insperato hostilia arma contra genitorem commovit adolescens: sed captus periit. Haud tamen gavisus est eius nece pater, sed uti filium deflevit.

LIBER III.

III. Reg. I. 1. **Et rex David senuerat provecta iam aetate.**

Cyrilli. Gravissimis perfunctus certaminibus, hostium domitor, contra insidiantes invictus. Etenim non alienigenis solum potitus fuerat, et cruentorum barbarorum phalanges prostraverat, verum etiam rebellantes sibi identidem eorumque auxiliares.

III. 9. **Et dabis servo tuo cor docile, ut populo tuo recte ius dicat.**

Cyrilli. Oportet esse sapientes, et rerum utilium peritos, qui Deo famulari student; atque insuper mente vigilantes, qui ex huius vitae tempestatibus enavigare volunt. Sicut enim navigia si gubernaculis sint instructa, rectà ad scopum feruntur, et undarum impetu evadunt, quamvis saeviat contra ipsa mare: secus vero gubernaculis destituta, hac illac facile iactantur, et vago errore nutant, scopulisque et cautibus allisa franguntur; sic hominis anima si bona mente regatur, vitabit facile procellosum Satanam; cassas item efficiet insidiantium sibi nequitias. Verumtamen cor sapientia carens, dirum patitur naufragium.

v. 10. **Et placuit coram Domino etc.**

Cyrilli. Placuit, inquit, Domino quod Salomon rem hanc petisset; qui sane magnam laudem meruit, et beneficio donatus fuit. Annuit enim ei munifice rerum omnium Dominus: nam bene petentibus sine mora Deus favet. – Vere enim eximium Dei donum est sapientia atque intellectus. Namque huiusmodi donis ornatur pariter angelorum natura, et caelestium spirituum beata multitudo. Nam quaenam alia, prae-
Gr. p. 441. ter hanc, est animi propria possessio? Num aurum argentumve? At haec nihil ad nos adtinent, quia et temporalia sunt et fluxa et omnino caduca, nihilque hominis animam iuvant. Verum enimvero pretiosa et vere desiderabilis animae hominis possessio, sapientia est et scientia, Dei scilicet.

v. 13. **Illa quoque quae non postulasti, tibi concessi, divitias etc.**

Cyrilli. Erudit nos quaenam oporteat postulare, quaenam vero additamenti instar accipere. Nam petenti sapientiam, post hanc datam, reliqua omnia adiecit. Etenim ipse in evangeliis dixit: petite primo regnum Dei, et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis.

VIII. 29. **Ut sint oculi tui aperti super domum hanc.**

Cyrilli. Oculi inquit, oculi tui auresque tuae pateant. Iamvero cum partium, seu membrorum, sacra meminit scriptura, nobiscum de Deo loquens, ipsam ex norma eorum quae naturaliter nobis insunt loqui solere sciendum est: neque enim aliter res Dei intelligere possumus. Vera igitur causa quamobrem corporaliter de Deo nobiscum inspirata scriptura loquitur, mentis nostrae linguaeque tenuitas est. Nam divina sunt ineffabilia. Nec intelligere quicquam summe necessariorum liceret nobis, qui in tangibilibus crassisque versamur corporibus, nisi exemplorum loco membra propria habentes, vix adhuc ad persubtiles circa Deum intelligentias erigeremur (1).

(1) Contra anthropomorphitas peculiaris extat S. Cyrilli liber.

Sed et regina Saba etc. III. Reg. X. 1

Cyrilli, ex commentario in Lucam (1). Mulier barbara, magno locorum intervallo distans, socordiam omisit, non ut opes conquireret, sed ut Salomonis sapientiam audiret, parabolas et aenigmata loquentis, et humanorum morum laudes vituperationesque describentis.

Tunc aedificavit Salomon fanum Chamos idolo Moab. XI. 7.

Cyrilli. Inter absurda vero peccata, quodnam ingratius esse potest quam cum honoris amorisque cultus uni suapte natura Deo debitus, daemoniorum gregibus impenditur, immo etiam lapidibus lignisque exhibetur, atque his templa aedificantur?

Iratusque est Dominus Salomoni etc. v. 9. Gr. p. 442.

Cyrilli. Cur autem mandatum fuerat et ipsi et ceteris cunctis sub lege viventibus hominibus, ne affinitates cum alienigenis contraherent? Edixit enim: filiam tuam non dabis filio illius; neque vicissim filiam illius filio tuo coniugem accipies. Futurum est enim ut filium tuum a me abalienet, isque ad alios Deos adorandos pergat. Iam mandati huius immemor Salomon, alienigenarum filiabus amore copulatus est. Quandoquidem igitur, inquit, datum praeceptum flocci faciens, atque ad apostasiam declinans alienigenarum deos adorasti; et quum omnem creaturam scires mihi esse servam, nihilo tamen minus meum mihique tantummodo congruentem honorem eidem contulisti; ego quoque regnum tuum discindam, idque servo tuo tradam; ut tuum facinus ex his quae evenerint agnoscas. – Victus amore mulierum, quamquam adeo sapiens Salomon, ad immanes ausus ut ita dicam prorupit, nempe ut regnum Dei diviserit, idolis tribuens cultum honoremque Deo unice debitum. Iure igitur meritoque divisurum se regnum illius Deus comminabatur, pari ratione eum crucians, sicuti apud Ezechielem scribitur: sicut fecisti, ita tibi eveniet; retributio tua in caput tuum retribuetur.

Et excogitato consilio abiit rex, duasque fabricavit iuvencas. XII. 28.

Cyrilli. Causa ruinae fuit Israhelitis Hieroboamus, docens eos praeoptare hominum imperium, atque a Dei regno per prophetas administrato recedere. En, inquit Deus, Hieroboamus me dominum irritavit iuvencarum nova structura, cultuque his adhibito. Et rursus. Excogitavit ab initio Hieroboamus iuvencas, iisque legalem cultum exhiberi mandavit, convenientem Deo gloriam inventis suis miser attribuens: atque ut tutum sibi haberet regnum, re sua veluti Deum exspoliavit.

Vinea una erat Naboth. vat. XX. 1. vulg. XXI. 1 Gr. p. 443.

Cyrilli. Ut vineam intelligamus Israhelem, Isaias (cap. V.) nobis suggerit. Verum populi principes, quorum typum gerit Achaabus, optaverunt eam obtinere; neque tamen persuaserunt domino ut vinea patris electa sibi traderetur, ut eam in hortum herbarium converterent, docentes praecepta hominum, eumque lutulenta subversione rigantes. Deinde vero quid egit invisa Deo Iezabel, id est Iudaeorum synagoga, ducum suorum secuta simultates? Dolo circumvenit iustum Naboth, quod interpretatur veniens (2). Extinctus enim calumniis fuit Emmanuel.

Deus montium Deus Israhelis. vat. XXI. 23. vulg. XX. 23.

Cyrilli. Putabant [alienigenae] Israhelitas discessisse victores, quia in montibus

(1) Nempe ad Luc. XI. 31. Hoc quoque fragmentum addendum erit commentario Cyrilli in Lucam a nobis edito.

(2) Recte; est enim ab hebraico בּוֹא *venit.* Figura fuit Redemptoris interfecti Naboth. Respicitur autem ad vaticinium illud: *donec veniat qui mittendus est.* Et ad verba: *benedictus qui venit in nomine Domini.*

tantum collibusve salutem conferre posset Deus. Victi, itaque aiebant, fuimus quia Deus montium Deus Israhelis. Quod si puro in campo acie confligere accidat, superiores sine dubio erimus, Deo Israhelis in vallibus vires amittente. Sunt autem hae fatuitates ethnicae blasphemiae, et linguae gravis intemperantia eorum qui verum naturalemque Deum ignorabant. Indignabatur itaque iure meritoque universitatis Deus alienigenis, quia quum Israhelem, ut dixi, superassent, diis suis gratias agebant, nugaciterque se putabant ipsum vicisse Deum.

vat XXI. 37. vulg XX 37 **Invenitque alium hominem, cui dixit: percute me.**

Cyrilli. Audin, quomodo is qui prophetam percutere recusaverat, misere periit, in saevam beluam incidens? Atqui quomodo vere non diceretur pietatis fructus, si quis sanctum atque prophetam percutere ausus non esset? Attamen verbo Domini interveniente, piaculum inevitabile erat inobedientia. – Adeo crimen est, praeter Dei voluntatem quicquam agere, aut socorditer quicquid ille imperaverit exsequi! – Ergo oportet absque ignavia aut cunctatione a nobis fieri quod Deo libuerit. Porro quidvis aliud praeter id agere, aut faciendum iudicare, superbiae crimen infert. Namque hi propemodum arguere videntur, Deum ipsum haud recte iudicavisse.

LIBER IV.

IV Reg. V 26. **Et nunc recepisti argentum etc.**

Cyrilli. Hoc etiam Christus in sanctis evangeliis (Luc. X. 4.) dixit: nolite portare sacculum neque peram, et neminem in via salutaveritis. Oportet enim recto cursu ad opus pergere, et ne benedicenti quidem vicissim benedicere. Detrimentum quippe diligentiae est, si ad alios respiciamus, et debitum praedicationi tempus, in negotia haud necessaria insumamus. Sed ne amicitiis quidem inutile otium indulgendum est (1).

XVII. 24. **Et sortiti sunt regionem Samariae.**

Cyrilli. Hi ergo qui regionem Samaritanorum sortiti fuere, filios quoque genuerunt fortasse; atque ad Iudaeorum sacra transiverunt, leonum incursu territi. Ex horum numero fuerunt Sarasar et Arbeseser, qui et rex nominatus fuit, propterea quod is dux illo tempore fuerit redeuntium Samariam ex regione Persarum.

XVIII. 1. **Regnavit Ezecias filius Achasi regis Iudae.**

Cyrilli. In tantam gloriam potentiamque venit Ezecias, ut populos qui erant Iudaeae finitimi subigeret, multaque ab his tributa exigeret. Et paulo post. Deinde humanum aliquid passus est. Nam deliciis nimiis, et gloriae sublimitate victus, alta coepit cogitare, superbiae morbo inflatus, atque ipsi Dei legi adversari. Putavit enim oportere ipsis quoque sacri sacerdotii insignibus semet exornare. Itaque ausus est divinum ingredi templum, manuque propria Deo thus adolere, et legales ritus obire. Huius rei causa ilico lepra percussus fuit, et summa ignominia notatus: etenim legali iure execrandus est, qui leprae morbo fuerit correptus.

v. 34. Gr. p. 445. **Ubi est Deus Aemath? etc. num Samariam de manu mea eripuerunt?**

Cyrilli. Existimavit fortasse homo mente pariter ac lingua barbarus (2), unum esse de falsi nominis diis etiam terrae caelique regnatorem, rerumque omnium creatorem ac dominum. Porro mos est atheorum deridendi spem sanctorum, atque eos liberatum iri audacter negandi. – Attamen haud ignorabat, falsi nominis deos ma-

(1) Puta quum amici vanis colloquiis nobis tempora eripiunt. Quare et S. Ignatius loiolaeus interdum queritans aiebat: *amici fures temporis*.

(2) De Rhapsace, qui tamen verbis regis assyrii loquebatur, videsis adn. 3. p. lat. 225.

nibus hominum factos; quum contra verus ac naturaliter Deus a nemine sit creatus, immo ipse potius quae numquam fuerant ad existentiam produxerit. – Capta est ergo Samaria, Deo opem subtrahente. Atque ut retro dixi, etiamsi nullus ex appellatis apud ethnicos diis regionem propriam conservasset, nihil hoc ad Deum, qui vere naturaliterque Deus magnus est. Et illi quidem visibilem tantummodo formam ab humana arte sortiti sunt, hic autem universitati rerum imperat, et potestatum est dominus.

Vestimenta sua discidit. IV. Reg. XIX. 1

Cyrilli. Viden, quomodo rerum suarum oblitus, Dei causâ maeret, et ultionem postulat? Discidit, inquit, vestimenta sua, et saccum induit, et templum Domini ingressus est. Quaenam vero lacerandae vestis causa erat? Mos Iudaeorum fuit, si quando contra Deum blasphemias audirent, id factitare; quod in evangeliis quoque a Caipha factum narratur.

Praecidi magnitudinem cedri eius. v. 23.

Cyrilli. Cuiusnam vero? Libani videlicet seu Iudaeae. Altitudine vero cedri, regnum ipsorum denotat. – Futurum quippe erat ut Ezeciae regni in altum extolleretur gloria. *Gr. p.* 446.

Ponam, inquit, circulum in naribus eius, et camum in labiis eius. v. 28.

Cyrilli. Nempe, ut sic loqui iam non audeat. Verumtamen etiamsi, cum reliqua multitudine non periit (1) praedictam ob causam, propter quam Pharao quoque ceterorum qui puniebantur Aegyptiorum servatus est spectator, attamen filios suos parricidas nactus est, statim ac in suam regionem regressus fuit.

Protegam urbem hanc propter me. v. 34.

Cyrilli. Hoc enim Deum decet. Propterea id faciam mei causa, non quod hi auxilio digni sint.

Egressusque angelus Domini percussit in castris Assyriorum CLXXXV. milia. v. 35.

Cyrilli. Solutum est bellum, recesserunt cum periculis minae: ita ut posthinc Hierosolymorum incolae Dei auxilio magnopere laeti dicerent: convertisti luctum meum in gaudium mihi. Observa rerum conversionem; considera sedulo verba: convertisti luctum meum in gaudium mihi. Grandis erat luctus ob hostium multitudinem, grande aeque postea fuit gaudium ob occisorum numerum.



S. Irenaei episcopi lugdunensis fragmenta duo ex eadem veneta catena (2).

Irenaei lugd. ep. Lavit, inquit, in Iordane septies. Haud frustra olim Naaman leprosus, lavando mundatus est; sed ad nostram eruditionem, qui peccatis facti leprosi, sanctis aquis et Domini invocatione veteribus culpis mundamur, ceu infantes recens nati spiritaliter regenerati, sicut et Dominus ait: nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non intrabit in regnum caelorum. IV. Reg. V 14 *Gr. p.* 447.

Irenaei lugd. ep. Si Elissaei cadaver hominem mortuum suscitavit, quanto magis Deus hominum corpora vitae restituta in iudicium adducet? IV. Reg. XIII 21

(1) Videtur scribendum in graeco συναπώλησε pro συναπήλασε.

(2) De his Irenaei et mox Theophili fragmentis dixi in pag. gr. 446. et 452. Dogmaticas ex Irenaeo auctoritates iam animadvertimus p. 447.

Theophili alexandrini fragmenta tria ex catenis veneta et vaticana.

II. Reg. XIII. 21 THEOPHILI ALEX. Colorem improbitati suae obtendens, violentum illi stuprum intulit, nobilem puellam nefaria copula polluens (1). Appetitus enim minime cohibiti, ad absurdissimam impudentiam proruunt.


II Reg. XXIV. 11 EIUSDEM THEOPHILI. Sermo, inquit, Domini factus est ad Gad prophetam, ne videlicet praesentis peccati venia, occasio aliorum fieret. Ingressus ergo ad Davidem regem Gad propheta, quae sibi Dei oraculum dixerat, retulit: nempe elige, utrum tres famis anni eveniant in regno tuo, et reliqua. Et paulo post idem Theophilus. Elegit sibi David mortem; ut et ipsemet erudiretur, quominus exercitus numero, sed Dei magis providentiae confideret; et populus aeque agnosceret haud sibi, quae ventura forent, tribuenda; sed ex Davidis vicibus, bonos eventus disceret providentiae adscribere.

Gr. p. 451. EIUSDEM THEOPHILI ad psalmum XCII. 1. Dominus regnavit, decorem indutus est. Postquam corruptibile corpus susceperat, decore indutus est, cum illud non iam corruptibile sed corruptionis expers resuscitavit. Dominus, inquam, regnavit, decorem indutus est. Resumpsit enim in resurrectione corpus suum, prout ipse praedixerat: solvite templum hoc, et tribus diebus excitabo illud. Corpus ergo sibi induit, quod resuscitavit. Dictum enim fuerat: non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem. Insuper: et caro mea habitabit cum spe (2). Quia resurrexit, in sepulcro non mansit: sed ne in sepulcro quidem expertus est corruptionem; corruptio adversus eum non praevaluit. Incorruptibile Verbum corpus per se corruptibile ad immortalitatem suscitavit.

Tituli epistolarum Severi antiocheni in veneta ad libros Regum catena laudatarum.

Gr. p. 447-448. 1. Ad Photium et Andream presbyterum. 2. Ad Bostrenses. 3. Ad Ammonium presbyterum (*in cod. vat.* ad Ammonium et Petrum.) 4. Ad Constantinum episcopum. 5. Ad Anastasium consulem. 6. Festalis ad episcopos. 7. Ad Auxonem. 8. Ad Timotheum archiepiscopum. 9. Ad Isidorum comitem. 10. Ad Misahelem diaconum. 11. Ad Sergium. 12. Ad Caesarium (*in cod. vat.* ad Caesariam patriciam.) 13. Ad Antonium episcopum. 14. Ad Euphemium. *Aliorum operum tituli.* 15. In auditorio (3) de martyribus. 16. Ex sermonibus 45. 48. 82. 105.

(1) Sermo est de Amnone ac Thamare.
(2) Ioh. II. 19. Act. II. 27. Ps. XV. 9.
(3) Ita subdubitans explico vocabulum ὑπακοή. Nisi forte aliquis mavult *in obsequium martyrum.* Certe et Montfauconius bibl. coislin. p. 54. parem titulum non est ausus interpretari.



SANCTI BASILII

AD URBICIUM MONACHUM

EPISTOLA DE CONTINENTIA.

(Ex codice veneto. Videsis eius notitiam pag. gr. 448.)

Recte facis, iustos nobis fines definiens, ut non solum continentiam verum etiam eius fructum cognoscamus. Est igitur fructus eius, Dei participatio: etenim non corrumpi, perinde est ac Deum participare; sicuti corrumpi, mundi participatio est. Continentia negatio corporis est, et Dei confessio: a quavis re mortali semet abstrahit, et instar corporis habet spiritum Dei, et Deo nos commiscet, aemulatione qualibet atque invidia carens. Nam qui corpus amat, alii invidet. Qui autem corruptionis morbum in cor non admittit, labori cuilibet deinceps sustinendo par est; et licet corpore occumbat, vivit immortalitati. Immo si rem perfecte cognoscamus, continentia videtur esse Deus, qui nihil concupiscit, sed omnia in se habet, nihilque appetit, nec sive oculis sive auribus passionem experitur; sed nulla re indigens, plenus usquequaque est. Concupiscentia morbus est animae; sanitas eiusdem, continentia. Verumtamen haud in una specie continentiam oportet spectare, veluti circa res venereas; sed et in alia re qualibet, quam anima prave appetit, necessariis non contenta. Gignitur invidia, ob aurum; et improbitates innumerae, ob alias cupiditates. Iam et ebrietate carere, continentia est: et cibi crapula non dirumpi, et corpus suum cohibere, continentia est. Item pravis dominari cogitationibus, quoties animam turbat aliqua phantasia neque bona neque veritati consentiens, corque in vanas distrahit curas. Prorsus nos liberos praestat continentia, quia simul medicina virtusque est: non enim temperantiam docet, sed praebet. Gratia Dei, continentia est. Iesus ipsa continentia visus est, cum terra marique levior fuit: nam neque tellus illum portavit neque mare; sed sicuti mare calcavit, ita telluri oneri non fuit. Nam si ex corruptione mors sequitur; ex corruptionis autem immunitate, immortalitas; utique Iesus deitatem magis prae se tulit quam mortalitatem (1). Manducavit bibitque singulari modo, quin quicquam comesum ex se redderet (2): tanta quippe fuit in eo continentiae vis, ut cibus in eo non corrumperetur, quia ipse Iesus corruptibilitate carebat (3). Si modo aliqua continentia in nobis sit, superiores omnibus sumus. Nam et angelos audivimus, postquam incontinentes sunt effecti, caelo propter concupiscentiam praecipites actos: victi sunt enim, non ipsi per se descenderunt. Quid enim illic ageret morbus hic, si (4) huius-

Gr. p. 449.

(1) Ludit quodammodo, Basilius in vocabulis θεότητα et θνητότητα, quod latine fieri nequit.

(2) Hac super re reverentissime theologiceque scribit Athanasius Corinthi episcopus in fragmento quod nos edidimus AA. class. T. X. p. 499-500, quod incipit: ζητοῦμεν εἰ ἡ πλήρωσις τῶν βρωμάτων ἐπὶ Χριστοῦ ἐκέκτητο καὶ κένωσιν. Erat enim haec quoque una ex obiectionibus haereticorum. Definit autem, corpus Christi hac in re fuisse ceteris superius, sicuti etiam in insolita nativitate. Utitur quoque Athanasius exemplo trinitatis illius apud Abrahamum convivantis, neque tamen naturali necessitati obtemperantis; quod item de Christo post resurrectionem edente intelligendum dicit.

(3) Non natura sed gratia et inhabitantis divinitatis privilegio. Videsis opus Severi antiocheni contra incorrupticolas, apud nos in Spicilegio rom. T. X.

(4) Graece εἰ μή τις. Sed μὴ redundare videtur, propter ea quae sequuntur.

modi oculus ibidem extitisset? Propterea dixi: aliquantulum continentiae si in nobis sit, et mundum minime diligamus, sed caelestia saecula, illic inveniemur quò mentem intenderimus. Hic enim videtur esse oculus, qui invisibilia cernere potest: nam etiam vulgo dici solet: mens videt, et mens audit. Pauca tibi haec videntur, sed multa ego scripsi: etenim unumquodque verbum, sensus quidam est; atque id scio te legentem fore cogniturum.

Ex Theodoro mopsuesteno, psalmi LIV. argumentum (1).

Babylonica captivitate Iudaei mirabiliter a Dei potentia liberati, instauraverunt templum, suamque rursus patriam incoluerunt; ipsaque urbs totum recepit splendorem veterem, altaque pace cuncti fruebantur. Progressu autem temporis pontifex gentis factus est Onias, vir iustissimus et religiosissimus: tunc enim ad pontifices principatus quoque gentis deferri solebat. Ergo Onia rei publicae praesidente, legis iure accurate observato, religione erga Deum optime exercita, Simon quidam de tribu Beniamini, Seleuco Asiae universae Syriaeque et Phoeniciae imperante, quadam templi praepositura praeditus, parum honeste ab Onia dissidebat: in qua contentione victus, convenit Apollonium praefectum, eique indicavit plurimam esse in templo pecuniam, quae inde protracta, regi ad militum stipendia utilis foret. Quod quum a praefecto regi significatum fuisset, hic eo indicio usus Heliodorum quemdam familiarem suum misit qui pecuniam caperet. Iam vero illuc profectus Heliodorus, comperit non tantas esse in templo opes quantas Simon delator dixerat, sed thesaurum modicum, et quidem ex alienis depositis hominum qui loco fidentes et Dei potentiam religionemque spectantes, ibi sua reposuerant. Hortabatur porro Heliodorum Onias, ne quid inde detraheret: etenim Deo factum iri iniuriam gravemque offensam, si deposita apud ipsum pecunia diriperetur. Verumtamen haec nihil pensi Heliodorus habebat, cui prae omnibus cordi erat regis mandatum exsequi. Preces igitur ac lamentationes tota urbe erant orantium Deum, ne is ausus foret inultus. Ecce autem ille sequenti die ingrediebatur pecuniam sumpturus; cum Deus populi precibus annuens et pontificis pietatem respiciens, terribili admodum visione facinus inhibuit. Apparuit enim iam ingredienti equus in aëre terribilis aspectu, splendida forma, equitem gerens aurea tectum armatura; isque valido cum impetu prioribus calcibus Heliodorum percussit. Duo insuper iuvenes, terribili pariter specie, ac splendido ornatu, utrique lateri adstantes Heliodorum verberabant. Atque ita tum ea visione tum plagis consternatus, semivivus inde elatus est. Tum vero Heliodori comites Oniam orabant, apud Deum intercessorem fieri, ut ille imminente morte liberaretur. Quod ilico faciens Onias, sacrificio eius gratia oblato, hominem infirmitate expedivit, Deo ipsi apparente, multasque gratias pontifici reddere iubente. Sic ille servatus, oblatis Deo victimis, ad regem reversus est, quae sibi acciderant narraturus. Non tamen destitit a sua nequitia Simon, neque a calumniis contra Oniam struendis: ita ut hic ad regem profectus, et criminationes sibi inlatas cognoverit, et simul populo idoneam pacem conciliaverit.

Haec dum ageret Onias, Seleucus moritur, regnumque occupavit Antiochus illustris; cui Iason quidam, Oniae frater, pecuniam plurimam se daturum spopondit, si pontificatum ipse impetraret. Alia insuper dona plurima offerebat, si gymnasium

(1) Recole huius scripti notitiam p. gr. 453.

in urbe struere, circumcisionem antiquare, atque omnino legis ritus abolere sibi permitteretur. His promissis persuasus Antiochus, dignitatem illi contulit. Igitur Onias quidem religiosissimus ac iustissimus vir, exauctoratus pontificatu est; Iason autem sacerdotio simul et principatu potitus, statim ad ethnicos mores aggressus est Iudaeos traducere, et gymnasium praeter iudaicam consuetudinem aedificavit: et legem immutare pergens, cunctis a Dei cultu praeceptisque legalibus recedere suadebat, atque ethnicorum mores suscipere, gymnasia, palaestras, et alia huiusmodi frequentare. Iamque omittebatur circumcisio, sabbatorum observantia negligebatur, generatimque ethnicam formam civitas induebat. Haec videns beatus Onias diu fieri, angebatur animo, ferebat aegerrime, ac deplorabat. Malo autem quotidie ingravescente, urbem dereliquit, atque in Aegyptum profectus altare ibi erexit, templum adornavit, divinique ibi cultus curam gessit, Iudaeis indigenis in his quae ad religionem pertinent ministerium suum commodans.

Haec beatus David praesente psalmo vaticinatur; adsumptaque Oniae persona ea dicit, quae dici ab illo oportebat qui insidias a suis passus erat, et ab Antiochi satellitibus sacerdotio deiectus, et qui ob incolarum urbis nequitiam, postremoque ob irreligiosorum civium praepotentiam, legalium rituum abolitionem, semperque auctam malorum molem, se in pedes dederat. Ceteroqui hunc psalmum David Saule insectante composuit, quum exul esset et deserta loca incolere coactus. Praedicit simul Iudaeorum quoque adversus Servatorem insidias, atque in se ipso Domini passionem ante tempus describit. Ipse enim a Saule, cui bene fecerat, exagitatus, et ab aliquot familiaribus proditus, Dominum spiritalibus oculis praevidebat eadem passurum. Propterea etiam inscriptio « in finem » ad res praedictas lectorem transmittit, sapienterque dictis attendere monet, ceu prophetico sensu illic latente, qui suo tempore ad finem deducendus erat. Insuper hic psalmus inter hymnos quoque numeratur, quia passionis dominicae continet adumbrationem. Merito enim ille hymnis celebrandus est, qui talia pro hominum salute pati voluerit. Iam nemo dictionum humilitatem considerans, indignas has servatore Christo existimet: consideret potius, eum qui fel acetumque et alia huiuscemodi toleraverit, eundem facile ne dictionum quidem humilitatem recusavisse. Etenim verba consonare factis consentaneum est. Nam et ipsius vox est: discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Et rursus. Mandatum accepi, quid dicam et quid eloquar, et nihil a me ipso facio. Et, Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me? Haec et huius generis alia humano more loquebatur, ut humanam suam naturam ostenderet, atque ut se Iudaeorum infirmitati accommodaret. Hoc certe loco David et iniurias sibi illatas docet, et simul Domino eventuras praedicit; ob passionum communionem plaudens sibi, ac propemodum cum Paulo exclamans: ego stigmata domini Iesu in corpore meo porto.

Ex eodem Theodoro, argumentum psalmi XXXIV.

Hoc in psalmo res beatus David sub Hieremia gestas praedicit, cuius adsumpta persona, ea loquitur quae homini conveniunt in eadem conditione versato; prout ipsius sollemnis consuetudo est, dicendi nimirum illa quae iis conveniunt de quibus vaticinatur. Iam hic psalmus, mutata tantum persona differt ab illis qui de captivis apud Babylonem detentis extant. Fuit enim Hieremias circa illud tempus propheta, eademque proximus dicit, quae alii multo ante cecinerant; ideoque a populo quae

sunt notissima passus est, quia de eodem vaticinatus fuerat. Sane manifeste vult demonstrare haec illos merito passos, quia ne proximo quidem temporibus ipsorum prophetae crediderant, cum rerum instans eventus praedictioni fidem faciebat. Haud tamen de beato solo Hieremia vaticinatur heic beatus David, sed prout in plerisque psalmis solet, futuros populorum eventus simul addit.

Didymi alexandrini de titulo psalmi quarti: « in finem, in psalmis, canticum Davidi. »

Canticum est triumphalis aut eucharistica laudatio, voce tantum prolata (1). Psalmus, est hymnus qui ad instrumentum, cui nomen psalterium vel etiam cithara, canitur. Secundum vero anagogen, ode est contemplatio veritatis quae solo intellectu, musica veluti harmonia temperato, fit. Psalmus item actiones denotat, quae secundum rectam rationem fiunt: ita ut psallat, qui practicae vitae genus sequitur; canat autem, qui theoreticum. Quoniam itaque David contemplatur puro corde Deum eiusque veritatem, canticum profert, quod ait esse in psalmis, propterea quod ipse plurima agendo recte fecerit. Haec de cantico. Iam dictio « in finem » illud significat quod vulgo extremum appetibile dici solet, quia huius gratia cetera omnia optanda et appetibilia sunt; ipsum vero haud alterius gratia; quae cuiusvis rei perfectio est. De quo etiam Paulus loquitur. Secundo loco finis est, quo quis Deo factus similis, ipsum videbit. Cur autem canticum Davidi, non autem canticum Davidis inscribitur? Aiunt nonnulli, Davidis esse psalmum aut canticum, cum ipsemet a Deo inspiratus recitat. Davidi autem esse canticum aut psalmum, cum ea quae dicuntur ipsum respiciunt (2). Saepe autem accidit, ut et ipsius et ipsi sit, quod recitatur; nempe quum David Spiritui obsecundans, quae sibi ab hoc suggeruntur vaticinatur: deinde psalmus alicui cantori datur, a quo vicissim Davidi recitatur. Quomodo autem reapse se habeant, quae in sacris iacent scripturis, ille tantummodo, qui secundum Deum sapiens est, cire poterit.

Sancti Cyrilli deperditum opus, quod diximus p. lat. 263. *in adn. sic a Gennadio cap. LVII, et deinde ab aliis memoratur:* libri Cyrilli sunt de synagogae defectu. *Pastrengius autem veronensis scribit:* extare dicuntur et libri Cyrilli de synagogae defectu. *Iamvero quum istius* de synagogae defectu *operis vestigium nullum mihi occurreret, legi demum apud Bandinium in descriptione bibliothecae laurentianae plut. IX. cod. XXIV. p.* 18. *inter auctores a Niceta choniata in sua partim adhuc inedita panoplia citatos, cyrilliani operis eum titulum quem mox scribemus cum ipsius operis non contemnendo fragmento. Profecto vidimus dici a Cyrillo nostro in hoc volumine p. gr.* 417. *et p. lat.* 263, *ad ps. LXXXVIII.* 52, *commutationem Christi intelligendam esse ecclesiam, quia Christus synagogam in ecclesiam suam commutavit. Porro titulus a Niceta nobis conservatus, videtur mihi synagogae mutationem in christianam ecclesiam, quae ex ethnicis praecipue coaluit, significare: cui rei suffragatur fragmentum quod sequitur, seu similitudo, transnominationis Abrami in Abrahamum ab ipso Deo factae. Itaque si coniectura*

(1) Loci huius scripturam videsis apud nos excusam in aere ex codice vat.

(2) Canones grammatici aiunt, ut cuique hebraeophilo notum est, articulum ל tam secundo quam tertio casui apud Hebraeos inservire. Itaque לדוד tam *Davidis* significat quam *Davidi*. Licuit ergo alterutrum pure interpretari. Ceteri ergo sensus figuratae altiorisque exegeseos sunt.

mea aliquid valet, habemus denique in manibus fragmentum praedicti operis, quod certe Cyrilli esse Nicetas testatur.

Ad rem quod adtinet, exploratum est, Philonem iudaeum de hac Abrahami transnominatione saltem quinquies locutum, nempe in allegoriarum libro III. ed. Mang. T. I. p. 103, *et de Cherubim p.* 139, *nec non de gigantibus p.* 271, *et denique copiosius in libro de nominum mutatione pp.* 588. 589. *Tum etiam T. II. p.* 13. *in libro de Abrahamo. Verumtamen nihil habet de Trinitate iudaeus homo Philo. Hieronymus quoque noster in quaestionibus hebraicis, paeneque omnes auctores, qui ad locum illum geneseos XVII. 5. commentati sunt, nominis eius etymon attigerunt. Duos tantum appellabo Glassium in philolog. sacr. T. I. de nom. propr., et Ikenium in secunda sua dissertatione. Atqui ex his nemo, quos ego viderim, Cyrilli hoc fragmentum se legisse demonstrat: quod tamen Cyrillo in argutiarum numero non est deputandum; nam contra Iudaeos pugnantem, ipsorum methodo ac genio paulisper indulgere non fuit absurdum.*

Reliquum est ut dicam, egregium hoc Cyrilli fragmentum debere me humanitati ac liberalitati cl. ac reverendissimi Gasparis Bencinii canonici, et richardianae bibliothecae in florentina urbe praesidis, graecarum litterarum peritissimi, ut eius plurima hac in re merita orbi iamdiu demonstrarunt.

SANCTI CYRILLI

Ex libro, cui titulus demonstratio ex divinis ad inclytos patriarchas editis olim oraculis circa mutationem ac translationem Iudaeorum atque ethnicorum (1).

Abrahami transnominatione significari comperimus ternarium numerum divinarum sublimium personarum. Nam quum Abram appellaretur inclytus patriarcha, Abraham divinitus transnominatus fuit. Id si quis volet interpretari, nominis quidem priorem litteram A, cum copulata sibi et proxima B, omnino comperiet, facta etiam traiectione alterius A, quae est post R, significare *patrem:* etenim *aba* (2), *patrem* interpretamur. Quod si postremam litteram, id est M, cum copulata sibi et proxima A, legere et explicare quis voluerit contrario ordine, inveniet, adsumpta simul eadem R, inveniet inquam significatum *altissimus:* reapse enim *mar* (3) explicatur *altissimus;* quod vocabulum sanctissimi Spiritus denotat personam: quippe quia Deum ipsum naturaliter esse haec nos dictio periphrastice docet: nihil enim est aliud *altissimus,* quam omnino suapte natura Deus. Quum haec igitur a Deo facta fuerit patriarchae transnominatio, deprehenditur manifeste, iamdiu scriptum praemonstratumque fuisse sanctae quoque Trinitatis ineffabile prorsus arcanumque dogma; manifeste omnino, vi ipsius vocabuli, demonstrante ac significante mysticeque nos docente Patrem Filium et sanctum Spiritum ipsa Abrahami appellatione, iuxta Christi servatoris

(1) Hoc argumentum attingit etiam titulus capituli quarti Glaphyrorum in leviticum Cyrilli nostri ὅτι συνέβη πεσεῖν τὴν τῶν Ἰουδαίων συναγωγὴν ἐξ ἀπειθείας: *quod ob suam contumaciam contigit ruina synagogae Iudaeorum.* Nulla pars tamen sequentis fragmenti ibi legitur.

(2) Ergo ex chaldaica potius seu syriaca, quam ex vetustiore Hebraeorum lingua interpretatur Cyrillus, nempe *aba* pro *ab;* et mox *bar* pro *ben.* Sic reapse *abba* ter in novo testamento.

(3) Hoc quoque syriacum. Sed miror, quomodo *mar* pro *ram* dicatur. Reapse enim *mar,* est *dominus; ram, altus* vel *altissimus.* Non igitur locus erat heic metathesi litterarum.

nostri in theologico sermone perspicuam apprime denominationem, enumerationem, ac traditionem (1).

Reverendissimus idem Bencinius petenti mihi misit insuper Cyrilli fragmentum homiliae ex eodem laurentiano Nicetae codice p. 140. b; et mox alia duo minora, quae postea subtexam. De Cyrilli homiliis sic Gennadius cap. LVII: Cyrillus alexandrinae urbis episcopus homilias composuit plurimas, quae ad declamandum a graecis episcopis memoriae commendantur.

Τοῦ αὐτοῦ ἁγίου Κυρίλλου ἐκ τῆς πρώτης ὁμιλίας τῆς ὅτι οὐ χρὴ λέγειν ἄνθρωπον θεοφόρον (2), ἀλλὰ θεὸν ἐνανθρωπήσαντα.

Μέγας ἦν ὄντως ὁ μακάριος Μωϋσῆς· ἤκουσε γὰρ θεοῦ λέγοντος· οἶδά σε παρὰ πάντας, καὶ χάριν εὗρες παρ' ἐμοί· ἀλλ' ἦν ὡς οἰκέτης ἐν οἴκῳ πιστός· ἀξιάγαστος ἦν ὁ προφήτης Σαμουὴλ, ἀλλ' ἦν ἐναρίθμιος τοῖς ἐπικαλουμένοις τὸν τῶν ὅλων θεόν· ἅγιοι γεγόνασιν οἱ μακάριοι προφῆται, πλὴν ὁμολογοῦσι τὸ τῆς δουλείας μέτρον, καὶ τὴν οἰκέταις πρέπουσαν ἀνεπλήρουν οἰκονομίαν, τοὺς ἄνωθεν καὶ παρὰ θεοῦ λόγους τοῖς τηνικάδε διαπορθμεύοντες, μᾶλλον δὲ καὶ ἡμῖν αὐτοῖς· διακεκράγασι γὰρ ἀεί· τάδε λέγει κύριος· ἔφη δέ που καὶ αὐτὸς ὁ Χριστὸς περὶ τοῦ μακαρίου Βαπτιστοῦ· ὁ δὲ, καί τοι κατὰ τὴν ἀψευδῆ τοῦ σωτῆρος φωνὴν τὴν ἄνω τάξιν ἐν δικαιοσύνῃ λαχὼν, οὐκ ἠγνόησε τὴν ὑπεροχὴν, ὡμολόγησε τὸν δεσπότην, παρεχώρησε τὸ νικᾷν τῇ δόξῃ Χριστοῦ· ἔφη γὰρ ἐναργῶς· οὗτος ἦν περὶ οὗ εἶπον ἐγώ· ὀπίσω μου ἔρχεται ἀνὴρ, οὗ οὐκ εἰμὶ ἄξιος λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ· πλείστων οὖν ἁγίων ἐν ἑαυτοῖς ἐσχηκότων τὸν τοῦ θεοῦ λόγον, περὶ οὐδενὸς ἐκείνων γέγραπται ὅτι ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν· ἐπ' οὐδενὶ τὰς ἄνω δυνάμεις χορευούσας εὑρήσομεν· τίνος γὰρ, εἰπέ μοι, γεννηθέντος, πλῆθος οὐρανίου στρατιᾶς τὰς ὑπὲρ ἡμῶν ἐποιήσατο χαριστηρίους ᾠδάς; ἐπὶ μόνῳ τῷ Ἐμμανουὴλ εἰρήκασι· δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία· ἐν πολλοῖς οὖν, ὡς ἔφην, ἁγίοις κατοικήσαντος τοῦ θεοῦ, ἅπαξ ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων ὁ τοῦ θεοῦ λόγος ἐπιδημῆσαι λέγεται· ἅπαξ γέγονεν ἄνθρωπος· καὶ περὶ ἑνὸς ὁ προφήτης φησίν· ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει καὶ τέξεται υἱὸν, καὶ καλέσουσι τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ· εἷς ἡμᾶς καὶ μόνος ἐξηγόρασεν ἐκ τῆς κατάρας τοῦ νόμου, γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα· ἕνα δέδωκεν υἱὸν ὑπὲρ ἡμῶν ὁ πατήρ· εἷς υἱὸς τέθεικεν ὑπὲρ ἡμῶν τὴν ἰδίαν ψυχήν· εἷς ἐσταυρώθη καὶ ἀνεβίω, τοῦ θανάτου πατήσας τὸ κράτος· οὐκοῦν ἐν σαρκὶ γεγονότα κατὰ ἀλήθειαν, ἤγουν ἑνωθέντα τῇ σαρκὶ τὸν τοῦ θεοῦ λόγον ἐπιγινώσκομεν· καὶ οὐκ ἄνθρωπον εἶναι φαμὲν θεοφόρον τὸν Ἐμμανουήλ· ὁμολογοῦμεν δὲ ὅτι θεὸς ὢν φύσει, μορφὴν δούλου λαβὼν, γέγονε καὶ υἱὸς ἀνθρώπου· καί ἐστιν ὁ αὐτὸς θεός τε ὁμοῦ καὶ ἄνθρωπος.

(1) Haec mihi clausula subobscura est.
(2) Recole dicta nobis ad titulum dialogi S. Cyrilli cum Nestorio.

Ex eodem laurentiano Nicetae codice f. 179.

Τοῦ αὐτοῦ Κυρίλλου ἐκ τοῦ πρὸς Ἀλεξανδρεῖς προσφωνητικοῦ λόγου.

Ἡ μὲν σύγκρασις ἀφανισμὸν τῶν φύσεων ἐργάζεται· ἡ δὲ ἄῤῥητος ἕνωσις, παρὰ τῶν ὀρθῶς φρονούντων ὁμολογουμένη, ἀμφοτέρας ἀσυγχύτως σώζει τὰς φύσεις.

Ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου.

Τῶν δύο φύσεων τῶν ἑτεροουσίων ἐν ἑνὶ Χριστῷ υἱῷ ὄντι τοῦ θεοῦ σωζομένων, καὶ μήτε συγκεχυμένων μήτε ἀπολλυμένων ἢ διαιρεθεισῶν.

Sequentia duo fragmenta edidimus nos Tom. VIII. Script. vet. part. 2. p. 148, quae tamen nunc repetimus, atque heic connectimus, quia sunt ex eodem Cyrilli ad Alexandrinos prosphonetico (1).

Ἐκ τοῦ προσφωνητικοῦ πρὸς Ἀλεξανδρεῖς.

Εἰ γὰρ κέκρανται αἱ δύο φύσεις εἰς μίαν, ἑτεροούσιαι τυγχάνουσαι, οὐδ' ὁποτέρα σώζεται, ἀλλ' ἀμφότεραι συγχυθεῖσαι ἠφανίσθησαν.

Ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου.

Καὶ λέλυται ὁ ναὸς ἐν τῷ καιρῷ τῆς τριημήρου ταφῆς, βουλομένου αὐτοῦ· καὶ πάλιν ἀνέστησεν αὐτόν· καὶ ἡνώθη αὐτῷ ἀῤῥήτῳ καὶ ἀφράστῳ λόγῳ, οὐ κεκραμένος ἐν αὐτῷ ἢ ἀποσεσαρκωμένος, ἀλλ' ὑποσώζων ἐν ἑαυτῷ τῶν ἑτεροουσίων ἀσύγχυτον τὴν ἰδιότητα.

Sancti eiusdem Cyrilli, ex prima homilia, cuius argumentum est, quod non sit dicendus homo theophorus, sed Deus humanatus.

Magnus revera erat beatus Moyses; audierat enim Deum dicentem: novi te prae omnibus, et gratiam apud me nactus es. Nihilominus fuit tamquam famulus in domo fidelis. Admirandus erat propheta Samuhel, sed tamen unus ex eorum numero, qui universalem Deum invocabant. Sancti fuerunt beati prophetae, simul tamen confitentur servilem suam conditionem, servisque congruo fungebantur officio, traditum sibi superne a Deo sermonem viventibus tunc hominibus, immo et nobis ipsis, communicantes. Laudavit aliquando Christus ipse beatum Baptistam; hic tamen, quamquam iuxta verax Servatoris oraculum, sublimem ordinem in iustitiae virtute tenebat, attamen illum maiorem se esse non ignoravit, dominum confessus est, potiores partes Christi gloriae concessit. Aperte enim ait: hic est, de quo dixi: venit post me vir,

(1) Ex Cyrillo paulo longiores alias deperditi prosphonetici partes recitat Anastasius presbyter apud nos Script. vet. T. VII. pp. 7. et 8. Quodque idem opus videtur, p. 46. ἐκ τοῦ περὶ πίστεως λόγου πρὸς Ἀλεξανδρέας. Denique aliud segmentum cum Leontio dedimus tom. cit. p. 132. Nonnulla tamen segmentorum horum commata interdum repetuntur. Sic itaque mediocrem numerum cyrilliani prosphonetici fragmentorum habemus.

cuius ego non sum dignus corrigiam calceamentorum solvere. Igitur quum sancti plurimi verbum Domini apud se habuerint, de nemine tamen dictum fuit, quod Verbum caro factum sit, et in nobis habitaverit. Nullius illorum causa caelestes potestates choream agitasse comperiemus. Nam quonam alio, dic mihi, nato multitudo caelestis exercitus, eucharisticos pro nobis hymnos cecinit? De solo Emmanuhele dixerunt: gloria in altissimis Deo, in terra pax, in hominibus bona voluntas. Ergo postquam in multis, ut dixi, sanctis hominibus habitaverat Deus, semel in fine saeculorum Verbum Dei advenisse dicitur; semel factum est homo; deque uno dicit propheta: ecce virgo in utero habebit et pariet filium, et vocabunt nomen eius Emmanuhelem. Unus nos solusque ex maledicto legis redemit, factus pro nobis maledictum: unum tradidit filium pro nobis pater: unus filius propriam animam pro nobis posuit: unus crucifixus est et revixit, mortis potentiam calcans. Ergo in carne revera existens, id est carni unitum Dei Verbum agnoscimus, non autem theophorum hominem dicimus esse Emmanuhelem: sed confitemur, eum qui est suapte natura Deus, servi forma adsumpta, filium quoque hominis esse factum: eundemque et Deum simul esse et hominem.

Cyrilli eiusdem, ex sermone prosphonetico ad Alexandrinos.

Concretio quidem destructionem naturarum efficit. Contra vero ineffabilis unio, quam orthodoxi confitentur, ambas inconfuse conservat naturas.

Ex eodem sermone.

Duabus diversae substantiae naturis in uno Christo filio Dei conservatis, non autem confusis, aut pereuntibus, aut divisis.

Ex eodem prosphonetico ad Alexandrinos.

Nam si in unum veluti cinnum coaluissent duae naturae, quae diversa substantia constant, neutra incolumis mansisset, sed utraque, confusionis causa, periisset.

Ex eodem sermone.

Et dissolutum templum fuit triduanae sepulturae tempore, volente ipso; tum et illud rursus excitavit: unitusque templo fuit arcana ineffabilique ratione, non tamen cum eo concretus, neque in carnem conversus; sed diversarum substantiarum inconfusam proprietatem in se conservavit.



Ex codice vat. 1904. f. 54. Fragmentum homiliae sancti Cyrilli apud Euthymii Zygabeni panopliam tit. XVI, quod ego hoc loco cum aliis ponere debeo, sive extet, ut puto in editione graeca unica panopliae Euthymii, Tergobisti in Moldavia olim curata, sive secus.

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΚΥΡΙΛΛΟΥ

ΕΚ ΤΗΣ ΠΡΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΣ ΟΜΙΛΙΑΣ.

Peperit nobis virgo Emmanuhelem, secundum deitatem consubstantialem patri, secundum vero humanitatem nobis consubstantialem: deitate, impassibilem, humanitate, passibilem. Etiamsi enim proprias sibi facit proprii corporis passiones Deus Verbum, atque ad se refert, nihilo tamen minus manet idem in impassibilitatis suae finibus. Etiamsi audias ab eo dici: dedi dorsum meum ad flagella, et malas meas ad alapas, faciemque meam a sputorum foeditate non averti; nihil tamen huiusmodi pertulisse ipsum in propria natura existimes; sed potius sibi fecisse proprias corporis proprii verbera. Nam cuius proprium est corpus, huic recte adscribentur, quae sunt corporis propria, excepto peccato. Igitur quamquam Verbum se inhumanavit, mansit tamen divinitus impassibile: sed quia necessario sibi proprias fecit carnis adfectiones, passum dicitur secundum carnem, etiamsi immune cruciatuum est, quatenus Deus intelligitur. Non ergo hi considerant, servatam ei esse impassibilitatem, quatenus Deus est; adscribi autem eidem etiam passiones pro nobis, secundum carnem, quatenus nempe qui erat suapte natura Deus, factus est homo perfectus. Nam quis patri Deo caelesti dicebat: sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocausta et pro peccato non postulasti? Tunc dixi: ecce venio facere, Deus, voluntatem tuam. Nam qui extra corpus erat Deus, corpus sibi aptasse dicit, ut hoc pro nobis offerens, proprio livore nos omnes sanaret, ut ait propheta.

Ἔτεκεν ἡμῖν ἡ παρθένος τὸν Ἐμμανουήλ, κατὰ τὴν θεότητα ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, κατὰ δὲ τὴν ἀνθρωπότητα ἡμῖν ὁμοούσιον· κατὰ τὴν θεότητα, ἀπαθῆ· κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, παθητόν· εἰ γὰρ καὶ οἰκειοῦται τοῦ οἰκείου σώματος τὰ πάθη ὁ θεὸς λόγος καὶ εἰς ἑαυτὸν ἀναφέρει, ἀλλά γε αὐτὸς μεμένηκεν ἐν τοῖς τῆς ἀπαθείας ὅροις· κἂν ἀκούσῃς αὐτοῦ λέγοντος· * ἔδωκα τὸν νῶτον μου εἰς μάστιγας, τὰς δὲ σιαγόνας μου εἰς ῥαπίσματα, τὸ δὲ πρόσωπον μου οὐκ ἀπέστρεψα ἀπὸ αἰσχύνης ἐμπτυσμάτων, μηδὲν αὐτὸν πεπονθέναι εἰς τὴν οἰκείαν φύσιν ὑπολάβῃς, οἰκειώσασθαι δὲ μᾶλλον τοῦ ἰδίου σώματος τὰς μάστιγας· οὗ γὰρ ἴδιον ἐστὶ τὸ σῶμα, τούτῳ ἂν εἰκότως προσγράφοιτο καὶ τὰ αὐτοῦ πάντα, δίχα μόνης ἁμαρτίας· οὐκοῦν ἐπειδήπερ ἐνανθρωπήσας ἦν ὁ λόγος, μεμένηκεν μὲν θεικῶς ἀπαθής· οἰκειούμενος δὲ ἀναγκαίως τὰ τῆς ἑαυτοῦ σαρκὸς, παθεῖν λέγεται κατὰ σάρκα, καίτοι τοῦ παθεῖν ἀπείρατος ὢν, καθ' ὃ νοεῖται θεός· οὐκ ἐννοοῦσιν οὖν ὅτι τετήρηται μὲν τὸ ἀπαθὲς αὐτῷ, καθ' ὃ θεός ἐστι· προσγράφεται δὲ καὶ τὸ παθεῖν ὑπὲρ ἡμῶν, κατὰ σάρκα· καθ' ὃ θεὸς ὢν φύσει, γέγονε σὰρξ, ἤτοι τέλειος ἄνθρωπος; τίς γὰρ ἦν ὁ λέγων, πρὸς τὸν ἐν οὐρανοῖς πατέρα καὶ θεόν· * θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐ ἠθέλησας, σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι· ὁλοκαυτώματα καὶ περὶ ἁμαρτίας οὐκ ἐζήτησας· τότε εἶπον· ἰδοὺ ἥκω τοῦ ποιῆσαι ὁ θεὸς τὸ θέλημά σου· ὁ γὰρ ἔξω σώματος ὡς θεὸς, ἑαυτῷ σῶμα κατηρτίσθαι φησὶν, ἵνα τοῦτο ὑπὲρ ἡμῶν προσενέγκας, τῷ ἰδίῳ μώλωπι πάντας ἡμᾶς θεραπεύσῃ, κατὰ τὴν τοῦ προφήτου φωνήν *.

* Is. L. 6

* Ps. XXXIX. 7.

* Is. LIII. 5.

Cyrilli locus pertinens ad commentarium in epistolam ad Romanos, et quidem ponendus ante primum fragmentum a nobis editum p. 1, quod est huius veluti compendium: vel potius ei substituendus. Conservavit autem nobis hunc Cyrilli tractum Nicephorus in antirrhetico III. cap. 30. editionis nostrae gr. p. 94.

Ἔτι δὲ πρὸς τοῖς εἰρημένοις, τὸν ἱεροφάντην Κύριλλον τοῦ καθ' ἡμᾶς λόγου καὶ τῆς ἀληθείας ὑπέρμαχον προστησάμενοι, ἴδωμεν πῶς ποτε ἄρα ὁ τῆς εἰκόνος αὐτοῖς λόγος ἐκβήσεται· θαυμάζω γὰρ εἰ μὴ ἀποστασίου γραφὴν ἀπενέγκοιντο· ὧδε γάρ, φησι, τὴν πρὸς Ῥωμαίους τοῦ θείου ἀποστόλου ὑπομνηματίζων ἐπιστολήν.

“ Τόν γε μὴν ἐκ σπέρματος Δαβὶδ γεγονότα, κατὰ τὴν σάρκα ὡρίσθαι φησὶν εἰς υἱὸν θεοῦ ἐν δυνάμει, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν· ὡρίσμεθα μὲν γὰρ καὶ ἡμεῖς εἰς υἱοὺς, ἀλλ' οὐκ ἐν δυνάμει μᾶλλον, ἀλλ' ὡς ἐν χάριτος μοίρᾳ, τῆς κλήσεως ἀξιούμενοι· καὶ ὡς ἐν μόνῃ θελήσει τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς, τὸ χρῆμα κερδαίνοντες· ὁ δέ γε Ἐμμανουὴλ οὐκ ἂν ὧδε ἔχοι, πολλοῦ γε καὶ δεῖ· ἀλλ' εἰ καὶ γέγονεν ἐκ σπέρματος τοῦ Δαβὶδ κατὰ σάρκα, καὶ ὡς εἷς ἐξ ἡμῶν εἰς υἱὸν λογίζεται θεοῦ διὰ * τὸ ἀνθρώπινον, ἀλλ' οὖν ἐν δυνάμει καὶ ἀληθείᾳ κατὰ φύσιν υἱός ἐστι· δι' οὗ καὶ ἡμεῖς υἱοποιούμεθα· εἴπερ ἐστὶν ἀληθὲς εἰπεῖν, ὡς τὸ αὐτοῦ πνεῦμα πεπλουτηκότες διὰ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, τότε δὴ τότε καὶ ἀνεπιπλήκτως φαμὲν, ἀββᾶ ὁ πατήρ· οὐκοῦν ὡς εἰκόνες πρὸς ἀρχέτυπον, οὕτω καὶ ἡμεῖς οἱ κατὰ θέσιν υἱοὶ, πρὸς τὸν φύσει τε καὶ δυνάμει καὶ ἀληθῶς ἐκ πατρὸς μεμαρτυρημένον εἰς τοῦτο. ”

* p. l. κατά.

Sed nos, praeter dicta, hierophantam Cyrillum, sermonis nostri veritatisque patronum producentes, videamus quònam haec de imaginibus controversia istis demum evadet. Miror enim, nisi huic ipsi sancto viro repudii libellum dent. Quippe is sic ait, divi apostoli ad Romanos epistolam commentario explanans.

« De semine Davidis natum secundum carnem, praedestinatum ait filium Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum. Etenim praedestinati fuimus etiam nos filii, sed tamen non ex virtute, sed tamquam ex gratia, hac appellatione digni habiti; et tamquam sola Dei patris voluntate, hanc rem sortiti. Verum enimvero Emmanuhel multum abest ut ita se habeat. Etiamsi enim de Davidis semine extitit secundum carnem, et tamquam unus ex nobis filius Dei censetur in humanitate; attamen virtute ac veritate naturalis filius est; perque eum nos quoque filii efficimur. Siquidem vere dicitur, quod eius ditati spiritu per sanctum baptismum, tunc demum citra reprehensionem dicimus: abba pater. Igitur sicut imagines sunt erga archetypa, ita et nos per adoptionem filii, erga eum sumus qui suapte natura ac virtute vereque patris testimonio talis est declaratus. »

Pag. gr. 157. in fine commentarii Cyrilli ad psalmum V. addendum est fragmentum, a nobis antea editum Script. vet. T. VII. p. 51. ex Anastasio presbytero, quod quidem ne apud Corderii quidem catenam extabat.

Κυρίλλου Ἀλεξανδρείας ἐκ τοῦ ὑπομνήματος τοῦ εἰς τὸν ε΄ ψαλμόν.

Καὶ γὰρ ἀμελούμενα, μείζονα γίνεται τῶν ἁμαρτημάτων τὰ τραύματα· καὶ οὐ μέχρι τραυμάτων ἵσταται τὰ τῆς νόσου καὶ τῆς ἀῤῥωστίας, ἀλλὰ καὶ θάνατον τίκτει τὸν ἀθάνατον.

Cyrilli Alexandriae ex commentario in quintum psalmum.

Etenim neglecta, maiora fiunt peccatorum vulnera: neque vulneribus contenta morbi infirmitas, mortem quoque immortalem parit.

INDEX RERUM

SECUNDUM PAGINAS LATINAS, QUARUM IN MARGINIBUS CITANTUR PAGINAE GRAECAE, SI QUIS FORTE AD HAS RESPICERE MALUERIT.

A

B

C

*

D

E

EMENDATIONES.

P. gr. 19. v. 2. addi potest initio ἅγιος ὁ νόμος, et v. 6. item initio ἁγία ἡ ἐντολή. Ibidem adde ἡ ante εἰ,. Ibid. v. 10. scribe τὸν pro τό. P. 21. v. 6. a fin. corr. αὐτῷ. P. 51. omittatur adn. P. 88. v. 8. οὐχ corr. οὐχ ὡς ἐν. Et v. 22. adde θεῷ. P. 96. v. 7. corr. ἔξω. P. 102. v. 8. corr. ἐνεργόν. P. 139. col. 2. v. 20. corr. τοῦτον. P. 143. v. 2. corr. κρεῖσσον. Sic enim est in cod. veron. Sic habet textus biblicus vat., et Cyrillus ipse in exordio libri I. contra Nestorium. P. 143. v. 10. Mallem retinuisse δύνονται, quod videtur ex dialecto alexandrina; namque et in codice celebri vat. Matth. XXVI. 53. scribitur δύνομαι a prima manu. P. 181. v. 18. corr. κόπον. P. 183. v. 4. τοιαύτη. P. 205. v. 20. παραχώρει. v. ult. ὑφάντου. P. 214. v. 4. ἔλεος. v. 4. a fin. δέξασθαι. P. 234. v. 9. ἕτοιμον. P. 246. v. 20. κόλπους. P. 254. v. 5. a fin. κολοκύνθης. P. 256. v. 2. a fin. πεπαρῴνηκεν. P. 323. v. ult. ἠγάπησεν. Alias graecae partis emendationes fecimus in partis latinae marginibus vel adnotationibus.

Pag. lat. 93. v. 13. corrige *ad Hebraeos*. P. 101. Substituendus est versiculus psal. VI. 10. *exaudivit Dominus deprecationem meam*. Sic etiam in parte graeca. P. 115. v. 5. a fin. corr. *verisimile*. P. 140. Omittatur adn. 6. P. 151. Omittatur adn. 1. P. 157. adn. 1. *gr.* corrige *lat.* P. 210. v. 3. corr. *gradientes*. P. 255. v. 11. corr. *penes*. P. 280. adn. 3. εἰς ὑπακοὴν, sine dubio intellige, ut dixi, *in auditorio*, vel *in concione*, seu *panegyri* ad honorandos martyres.

Admonitio. Longus psalmi III. prologus editus a Fleckmanno inter sua athanasiana, in codice nostro A. f. 15. adscribitur utrique, Athanasio scilicet et Cyrillo; quod nimirum significat eadem esse verba vel sententiam utriusque patris.

